TRACTATIONES POSTHUMÆ IN PRIMAM PARTEM DIVI THOMÆ:

AUTHORE
R. P. JOSEPHO DE AGUILAR
E SOCIETATE JESU

PERUANO LIMENSI, ARGENTOPOLI, ET LIMÆ PRIMARIO
Theologiæ Professore, Examinatore Synodali, Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, & ad vtranque Curiam bis electo Procuratore,

ILLUSTRISSIMO,
ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI, AC DOMINO
D. JOANNI CABERO
EPISCOPO AREQVIPENSI
DICATÆ
A R. P. JOSEPHO PEREZ
DE UGARTE,
CVJVS OPERA, ET SVMPTIBVS IN LVCEM
PRODEUNT.

VOLUMEN PRIMUM
CONTINENS TRACTATUS DE PROLEGOMENIS THEOLOGIÆ;
de Essentia, & Attributis, & de Visione Dei.

Cordubæ: in Collegio Assumptionis Societatis IESV. per Petrum de Pineda, & Valderrama. An. Dñi. 1731.

ILLVSTRISSIMO AC RE.MO D.D.D.

JOANNI CABERO DE TOLEDO

CALATRAVENSIS ORDINIS EQVITI PROFESSO è Philoſophiæ olim, & Theologiæ Profeſſore bis Primario in Regia limana D. Marci Academia, ibidemque Scholiarcha, iterùmque iterùmque Rectore, & in Metropolitana & jam Limenſi Eccleſia Canonico Magiſtrali, nunc denique poſt Miſquenſes infulas decoratas, Epiſcopo Arequipenſi.

S. P. D.

S*APIENTISSIMI P. JOSEPHI DE Aguilar vtroque in ſuggeſto præclari, poſt Concionũ ſeptem, triaque Philoſophiæ volumina haud pridem in lucem edita, ingentique litterarij Orbis gratulatione ſuſcepta, Theologici etiam tractatus, quibus Auditores ſuos Platenſi in Vniverſitate, & Limano Jeſuitico Lycæo inſtruxit, in Europam viam adornant; vt typis excuſi eandem, quam reliqui fœcundiſsimi ejus ingenij fætus, publicam lucem videant. Et priuſquam portu ſolvant, mariſque fluctibus ſe ſe committant, longiſsimæ navi-*

navigationis pericula subveriti, vt vada, & Syrtes, aliaque Neptuni mala, in quę, non semel incurrere, fæliciter evadere, avt vitare omnino possint, pro Castore, ac Polluce,

Quos nauta solutis
puppibus, & jam jam vincentibus invocat vndis;

te Pręsul Illustrissime, qui Episcopalis Dignitatis summo è fastigio gemina doctrinæ, & sanctitatis luce præclarissimum Sydus affulges, tutelare Numen invocant: cujus auspicijs freti, quæ olim timuère, atque experti sunt pericula, securi valeant superare. Nec eos fallet spes, fraudivè erit fiducia, qua te exambiunt Mecænatem, tuumque nomen fronti inscriptum præferre sibimet ipsis consulentes exoptant; verebuntur enim te Nerei fluctus, suspicient ventorum turbines, & te coram, superbæ alioquin vndę intumescere non ausæ molliter subsident; vt tibi mancipatis voluminibus, obsequium colendissimo Patrono debitum, exhibeant.

Hac equidem ipsi proprij quasi boni spe innato quodam appetitu in te feruntur; à me tamen cujus modò arbitrio subsunt, alia reguntur mente, alioque consilio permoventur, vt pręclarissimi tui nominis splendore in limine ambiant exornari. Cum enim tractatus istos prælo commissos prodire Superiores mei constituerint, in gratiam pręcipuè nobilium Juvenum, qui in Societatis Convictorijs liberalibus Disciplinis excoluntur, tuum pręalijs nomen ipsis in fronte inscribendum duxi: vt qui eos evolvent, perillustre habeant præ oculis exemplar, quo ad litterarum, & pręsertim Sacræ Theologiæ studia permoveantur. Ingenuorum quippè Adolescentum animi, quorum generosa indoles assequendi honorum cupidine maximè accenditur; vt eas

devo-

devoret difficultates, quas passim inter addiscendum offendit; nimium quantum erigentur vires, nervosque omnes contendent, dum prima pagina libri, quo addiscenda doctrina continetur, viderint imaginem amplissimi Præsulis. Tot honorum titulis decoratam, totque oneratam trophæis obtentis scientia per hujusmodi studia eodem, vel simili Juvenum Collegio comparatam.

Habent quidem te in Limēsi Martiniano Athenæo, quod te gloriatur alumno, inter insignes Heroas, qui ejus atrium nobilitant, vivis coloribus expressum; sed muta in tabella id duntaxat quod in te minimum est, licet contemplari, videlicèt oris pulcritudinem, qua totius corporis decore, & majestate conjuncta, reliquis omnibus, vel in emortua imagine, sic præcellis, vt elleganti specie vivos, & spirantes alios quosque semper superasti. Natura enim, quę in alijs accusari solet, quod habitum corporis ad animi excellentiam non componat, adeò vt Vates dicere sit ausus:

Nunquam sincera bonorum
Sors vlli concessa virum: quē vultus honestat,
Dedecorāt mores: animus, quē pulcrior ornat,
Corpus destituit,

in te vnum præter morem munifica, præstantissimi animi dotibus consentiens corpus concessit, dignumque animo templum ingentis speciei corpore struxit. Propterea imagini tuos vultus egregiè adumbranti Nasonis illud subscribo:

Ovid. Fast. lib. 6. Par animo quoq; forma suo respŏdet in illo:
Et genus, & facies, ingeniumque simul.

Vtque illustrissimi exemplaris decora, quæ in appensa effigie penicillus exprimere non potuit, calamus hic adumbret: à generis explendore, quo maximè commendari decet exemplar, quod nobilibus imitandum proponitur, incipiam. Sed

Sydon. in Paneg. Antē. Aug. cōs. Tibi prisca propago
Augustis venit à proavis, quem dicere digno
Nō datur elloquio, nec si modò surgat averno,
Qui cantu flexit scopulos, digitisque canoris
Cōpulit auritas ad plectrum ducere chordas,
Cum starent Hebri latices, cursuque ligato
Fluminis attoniti, carmen magis vnda sitiret.

Nobilissimus siquidem Pater tuus Castrorum præfectus D. Albarus Cabero, & Timoco præclaram originem traxit ab antiqua familia de Cabero, *Aragoniæ in Regno notissima dominatu Baroniæ* de Xavierre, Gay, *&* Ortilla Cid, *ac suum deducente principium ex comitibus de Sobradiel Regiæ Stirpis cognatis, quibus jus etiam in regnum illud regio sanguine partum est, & ex Comitibus de Atàres avitæ nobilitatis luce tota Hispania celeberrimis: strictis quoque cognationis, & propinquitatis nexibus cum cœteris Regni illius primoribus implicatà: nec minùs item notà Bœticæ, vbi plures Familiæ hujus domicilium, ac sedem fixerunt,*

runt, honorificentissimaque Regni munera obiere. Ex quibus D. Alvarus Cabero, & Henao, Valderrabano, & Avila proavus tuus, qui Granatæ inclytà Hispaniæ urbe pingue patrimonium possidebat, in Peruvium translatus (postquam Archithalassus, seù maritimus Imperator classes ad Boreales oras ingenti cum sui nominis gloria administraverat) itineris, & navigationis comes Excelentissimi D. Proregis Marchionis de Cañete, parem sibi vxorem duxit D. Mariam Annam de Tinoco, cui etiam Primogenituræ jure amplum aliud contigerat patrimonium, & quæ dotata pręterea est octo millibus argenteis scutis à Rege consignatis pręmij loco ob egregia cum Patris, tum etiam Patrui D. Petri de Tinoco Panamensis Armorum Gubernatoris merita, quibus totam sibi Provinciam demeruerat. Sed & magnis Alvarus ipse cumulatus à Rege muneribus trium Officiorum Civ. de Truxillo Sanà, & Guayaquil, *atque à superius nominato ProRege Dux suarum Custodiarum delectus eminebat & proprij sanguinis majestate, & matrimonij splendore, ac officiorum denique, quibus fungebatur dignitate.*

Alvari hujus frater, & propatruus tuus D. Antonius Cabero, cui Rex contulerat officium Quitense, in vxorem duxit D. Mariam Annam de Vlloa præstantissimi Viri filiam D. Laurentij de Vlloa, cui, quòd vnus esset, neque vltimus, è

Hi-

Hispanis, qui Regnū hoc potentissimo, & Catholico Principi asseruerunt incredibili fortitudine occupatum, Militaris Ordinis Commenda in remunerationem obtigit cum designatione duodecim millium Scutorum argenteorum, quà & trinepotes, ac trineptes potiti sunt.

Ex Alvaro Patre, & Matre Maria Annà alter Alvarus susceptus est. Avus nempè tuus, qui & Castrorum Præfectus; ac perpetuus Vrbis de Truxillo *Senator fuit. Verè Pater Patriæ, imò & Regni totius Custos vigilantissimus, qui dum Insulam Callau hostis obsessurus videretur, auxiliaribus vndique adscitis Copijs, quorum Dux, & Gubernator Regis Edicto creatus est, Provinciam metu liberavit, Concives suos servavit ab inimicorum vexationibus immunes. Is in vxorem duxit D. Joannam de Francia, & Espinosa Splendidissimam Fœminam neptem Sanctij de Francia Caroli V Cæsaris gratissimi stipasoris, filijque Dominorum de Bureta, hodie Comitum: quæ Domus plures Archistrategos protulit; Exercituum Imperatores, & Duces. E quibus memoriæ nostrę proximior D. Lupus de Francia Mallorica Prorex perquam dignus. Viri etiam prodière litteris excultissimi, & qui Sapientum togas supra modum illustraverint. E quibus vnum satis sit appellasse, honoris ergo, ac reverentiæ, D. Andream de Francia Cabero Avunculum tuum magnum Militaris*

Or-

Ordinis Calatravensis Equitem, & in Regali Quitensi Audientia Senatorem egregium.

Optimus parentibus successit haud degener filius, nec degeneris filij parens. Patrem tuum designo (quem semel nominasse necessitatis fuit; pluries, gloriæ, & voluptatis) D. Alvarum Cabero, Francia, & Timoco, qui heroicis planè virtutibus instructus domus suæ majestatem, quam vix augere poterat, illibatam saltem, & puram ad posteros transmisit. Fuit is semper ob fidei constantiam, & eximiam in negotijs tractandis, ac peragendis dexteritatem magni habitus. Cujus sanè rei vel id argumento est (neque alia desunt complura) quod D. Blasio Ramirez in Prætoris munere toto triennio suffectus sit. Enimverò sic Reip. expedire publico edixit Diplomate Exc. Comes de Lemos, cum ipsi Pumum, & Icacotam fuit adeundum, vt tumultuantes illas Provincias compesceret.

Sed cum tibi exornando natura nimium quantum indulgens fuerit, vtrinque nobilem effecit: & quem paterno genere illustrem admodum efformavit, materni etiam generis insigni claritudine fecit illustriorem. Sortitus quippè es Matrem D. Vrsulam de Toledo ex vtroque parente clarissimam: progeniem quidem D. Joannis de Toledo Pancorvo, & D. Cæciliæ de Vrrego; è quibus hæc prognata ex primario milite regni istius occupatore, Militaris Ordinis Commenda in præmium acceptà adhuc fruebatur. Illum genuerat D. Didacus de Toledo, & Esquivèl, qui in Peruvicum regnum traductus, & proprijs factis magnum suo nomini decus accersivit urbis Mariquitensis Gubernator emeritus, & ex contracto connubio Majorum famosas imagines novis stemmatis, opibusque ditavit. Quas tamen

¶¶ men

men imagines? Non alias profectò, nisi Ducum Albanorum, potentissimorum Hispaniæ Procerum, qui & D. Didacum de Toledo, & huic proximè conjunctum sanguine D. Sebastianum de Navarrete, & Toledo Equitem Calatravensem, Thesaurarium Officialem Limensem suæ stirpis surculos, quin & gentiles suos, & consanguineos dixère. Hujus nuper memorati filia D. Silvestra de Navarrete, & Toledo primum nuptui tradita D. Iosepho de la Cueva primo-genito D. Francisci de la Cueva Equitis Calatravensis, Marchionis de Cochan, secundò autem D. Sanctio de Castro; ipseque D. Sebastianus in secundam vxorem suscepta D. Cęcilia Calderon Limensi, notissima hæc juxta ac nobilissima cognomina in domum tuam intulerunt, vt novis videlicet, & veluti adventitijs fulgoribus quaquaversum colluceres.

Neque fas erit in censu isto, & catalogo præteriri D. Joannam Valerianam Cabero de Toledo fœminam lectissimam, sororem tuam germanam, quæ nupsit D. Josepho Tiburtio de Villaroel Jacobęi stemmatis Equiti Castrorum Præfecto, atque Armorum Gubernatori. Et eum, qui familiam ducit, D. Bartholomęum Tinoco Cabero fratrem tuum, Equitem Calatravensem (cujus Ordinis & tu insignibus ornaris, aut ornas potiùs) qui ex D. Josepha Leocadia Moncada, & Hurtado præclaris animi, & corporis dotibus maximè conspicua, & generis nobilitate suppari, Comiti del Castillejo, Marchioni de Cochan Jacobæo Equiti, & supremo in his Regnis Cursorum Præfecto arctissimis consanguinitatis vinculis illigata, progenuit D. Josepham Tinoco Cabero. Et hæc est quę vniversi domus amplissimæ patrimonij hęres magno ambitu prensata est,

&

& concessa D. Joanni Roldan de Castilla Equiti Jacobæo, cui patruus est Castrorum Præfectus D. Joannes Roldan, Jacobæus Eques; avunculusque D. Ferdinandus de Castilla, & Altamirano, Eques pariter Jacobęus: ex sorore autem nepotem habet Comitem de Villanueva Marchionem à S. Michaele.

Vnde perspiciat facilè Lector, quàm non à trunco dumtaxat vtriusque Parentis nobilitatis haurias splendorem; sed cognatorum insuper proprijs illustrium gestis, aureis velut ramis, vndique orneris. Habet hìc ex necessarijs tuis nonnullos, qui Equestrium ordinum insignibus decorati suam erga Regem fidem avita nobilitate dignam factis sæpè probavère in sublimi Civilium Dignitatum fastigio Collocati; conscriptis etiam sub se passim proprio ære militibus, vt Regis, Regnique hostium invasionibus obsisterent. At requirat fortassè alios, qui vel intra sacratiora claustra abditi novum tuæ familiæ decus, & gloriam pepererint ex solidę, ac vegetæ pietatis professione, rarę, atque exquisitæ doctrinæ commendatione. Sunt & multi, qui in sacris Ordinibus religiosæ militiæ nomen dederint, Virtutisque, & Sapientiæ suffragio ad prima subsellia evecti non parùm lucis suæ gentis splendori etiam latentes addiderint. Hos inter eminent sapientissimus Pater Gabriel de Henao in Vallisoletana, & Salmanticensi Vniversitatibus Theologię Professor Primarius, toteque Orbe litterario, ob doctissima, quibus eum ditavit, volumina notissimus. Et de nostra Provincia optimè meritus Pater Ferdinandus de Cabero, qui postquam suæ novi Regni Granatensis Provinciæ clavum tenuisset, & Mexicanam visitasset, Peruvicam nostram Visitatoris, ac Vice-Provincialis muneribus lustravit,

ſtravit, atque illuſtravit. Vir magni conſilij, eximiæ Pietatis, Doctrinæ egregiæ, Prudentię verò nullo hactenus excogitato epitheto ſatìs commendabilis: qui, cum libero, integroque animo, nulli, præterquam Deo placere ſtudens, ad plures annos Noſtrates rexiſſet; omnibus ità placuit, vt eorum in animis imperaverit, dum vixit, & poſt fata etiam ſuperſtes ejus memoria in benedictione eſt apud omnes, qui in hac Provincia Societati nomen damus, & eum, cum non viderimus, diligimus. E proximiori tamen Decus tuum, noſtrumque paritèr ſupramodum adaugent duo germani Fratres Thomas, & Alvarus Provinciæ noſtræ Luminaria magna, quorum alter alteri totius Provincię in regimine ſucceſsit, vt alterum Luminare magnum alteri etiam magno Luminari Orbis in illuminatione ſubſequitur. Par Fratrum ſinè pari. Per omnes ferè Magiſtratus ambo exerciti; & in omnibus æquè ob eminentem ſcientiam, ac Religioſę diſciplinæ obſervantiam ſpectandi. Humanitatis, Philoſophiæ, ac Theologiæ in Noſtratum Collegijs, & Vniverſitatibus egregia cum laude Magiſtri, ſupremique Moderatores: ambo etiam in publica Limenſi D. Marci Academià Theologiæ Doctores, & eximij Profeſſores, Collegiorum ſæpè Rectores, demumque Provincię totius ingenti ejus gloria, atque exultatione ſucceſsivè Præpoſiti Provinciales. Deo nimirum Subditorum votis ſic annuente: vt qui majoris natu fratris prudentiſsimo regimini aſſueti perpetuum eundem Provinciæ moderatorem exoptabant, ſimillimum per omnia fratrem ſucceſſorem nacti expetitam moderaminis perpetuitatem diviſam in vtroque aſſequerentur. Quemadmodum immortali Pollucis Jubare Orbis perfruitur alterno Caſtoris exortu, ubi fraternum Sydus abſconditur.

Enim-

Enimverò hæc quantumcunque magna tuorum decora, quæ à gentilitio explendore egregiè te commendant, minora sunt his, quæ factorum nobilitatem insectatus, perinde ac si nihil naturæ debuisses, proprijs tibi meritis comparasti. Morum, inquam, probitate à teneris annis ad præsens constantissimè servatà: assiduà, atque indefessà animi ad studium scientiarum contentione: pluribusque alijs virtutibus, quę, cum te à genere nobilem invenissent, perillustre Nobilium exemplar effecère; atque in Exedrarum regimina, totiusque Academiæ moderamen Rectoris, & Scholiarchæ Dignitatibus in Metropolitanæ Ecclesiæ Limensis Ecclesiastem Canonicum: ac denique ad Pontificias Infulas evexerunt. Ad hos enim Dignitatum supremos apices, non sanguinis à Majoribus accepti privilegio, aut temerè faventis fortunę flatu subito pervolasti, sed virtutis, ac viam omnem emensus quasi per gradus ascendisti: adeo vt de te dictum videatur, quod de Cassiodoro olim Theodoricus scripsit: Qui non fragili fœlicitate provectus fortunæ ludo ad apicem fascium repentinis successibus evolavit, sed vt crescere virtutes solent ad fastigium preconij conscendit gradibus Dignitatum. *Quod in tui maximam laudem, suique ipsorum exemplum ad Dignitatum honores per virtutis, & sapientiæ semitam, vtì decet, prosequendos, statim in te adnotabunt quicunque in vitæ tuæ*

Cassiod. Var. l. 1. Ep. 4.

 acta,

acta, & munera; quæ breviter perstricta dabo; vel fugiente oculo, & quasi per transennam inspexerint.

Nondum infantià planè excesseras, vixque fueras pueritiam ingressus, cum vernaculo pariter ac latino sermone loqui simul, atque eloqui edoctus, antequam prætextam exueres, Martiniani Limensis Athenæi purpuream trabeam induisti: vt Philosophiæ, ac Theologiæ, quarum amore ferè ab incunabulis flagrabas, studio spontè vacares, eà ætate, in qua alij Alphabetarios ludos inviti solent frequentare. Mirumque fuit, te puerum in Logicæ caliginem impavidum ingredi, per Dialecticæ spinas delicatissimum inoffenso pede percurrere; & inter difficultatum sentes amenissimo veluti in topiario voluptuosè spatiari; mirabilius tamen, quòd eas tenebras in clarissimam lucem commutatas mox videris, & in Rosas tribulos abijssè ante annum expertus pronuntiaveris. Quare cum tibi ludus essent, jucundissimaque spectacula severiores alioquin Disciplinæ, nullà alià curà distractus in eis dumtaxat addiscendis assiduus versabaris: breviterque eam doctrinæ copiam comparasti, quà aliorum Magister eras, cum superiorum facultatum tyrunculus, vixque auditor, à te videntibus, & ex corpore æstimantibus, habebaris. Herculè dum egregios tuos in litteris progressus tenerrimà eà in ætate ad memoriam revoco, in te respexisse

arbi-

arbitror Hiſpanum cultiſsimum Vatem Comitem de la Granja Europæ natum, ſed ex eo tempore Limæ meditantem Heroycum Poema, quo Peruvij noſtri ingenia ſinè poetica auxeſi ità dilaudat.

Si en Europa ſasòna entendimientos *Cantu 1. Octava 32.*
la edad, aquì à ſu curſo adelantados
quando allà apenas ſaben rudimentos
ſe hallan en facultades graduados:
no ſe conoce infancia en ſus talentos,
pues de ſu proprio ingenio doctrinados
apurando à las ſciencias aforiſmos
Diſcipulos parecen de ſi miſmos.

Nec in te cadit veterum gnome: odi puellos præcoci ſapientià, *quia hujuſmodi, quæ ante tempus adoleviſſe videntur, taxari ſolent à ſenibus; eo quod vt Quintilianus ajebat*: Iſtud ingeniorum velut præcox genus non temerè vnquam pervenit ad frugem. *Regia etenim alma Limenſis Academia prudentiſsimo Academicorum conſenſu, præcoces ingenij tui fructus multis prævijs examinibus perſpectos, Doctorali Theologorum conceſſà Laureà, approbavit: tuique adhuc jubenis aureos crines ornavit candentibus filis lemniſcato pileo, quo cana Sapientum tempora aſſuevit coronare. Multò tamen melius tu ipſe probaſti, novis in dies editis maturæ doctrinę fructibus, Collegij quippè alumnos ſcientià candidatos in tui diſcipli-* *Quin. l. 1. c. 3.*

ſciplinam tradditos ; Magiſtri dexteritate ; ac perſpicuitate docebas , eijſdem in publicis Diſputationibus præſes aderas , objectiſque difficultatibus ſolutiones , mirà facilitate, expeditione , ac promptitudine ſuggerebas. Quin Sphinx vnquam appareret , cui præſto Oedipus non adeſſes : nec Gordianus aliquis nodus ità ſtrictus , quem perſpicaciſsimà mentis acie , laxatis illicò nexibus non ſolveres. Aſt qui ſolvendis aliorum ænigmatis Oedipus eras, dum Aſſerta publicè propugnares ; quando ad aliorum Theſes impugnandas Minervalem in arenam ardens proſiliebas invictus ſcientiarum prælijs Achilles exultabas. Volupe erat cunctis , præter illum , in quem ictus deſtinabas, in ſapientiæ Gymnatijs te videre epicherematum tela ſic intorquentem , vt nullis dolis , nullis artibus ictus poſſent evitari. Quod ſi vulnus ſaltim obtegere offuſà verborum nebulà aliqui conarentur ; juvenili ſtatim ardore inſurgens , geminatis ictibus , clariſsimàque explicationis luce ſuperfusà , Achillæi argumenti vim omnibus oſtendabas, ingenteſque Coronæ totius plauſus exitabas , peritioribus ſæpè conclamantibus

Qui hæc vulnera fecit
Solus Achillæo tollere, more poteſt.

Hæc fuère prima tua quaſi rudimenta , ac proludia majorum certaminum , in quibus maximam vitæ partem glorioſiſsimè exegiſti , & innumera

Tro-

Trophæa Pancratiastes reportasti. Sed, vt Hercules in cunis angues extinxit: sic tu Juvenis adhuc, in Martiniano degens Athenæo, victorijs, & triumphis litterarijs assuevisti. Nam cum sępè tantùm doctrinæ exercendæ, atque ostentandæ causà, ad ea mentis prælia exijsses, in quibus pro Exedrarum moderamine obtinendo Academici Doctores inter se contendebant, & in his, Senioribus, præ animi tui modestia, palmam tibi debitam cessisses; tandem eorum, penes quos in te arbitrium erat concilio, atque imperio adductus, petijsti, postulasti, pluriumque suffragijs obtinuisti Philosophiæ Cathedram; cujus regiminis dignior fuisti existimatus præ concertatoribus alijs, in quibus grandior ætas, pluriumque annorum studio scientia comparata reportati trophæi Lauream plurimùm decorarunt. In te enimverò supra ætatem doctrina eminebat, & ingenium annis prævolabat, juxta illud Vatis:

Sunt quibus ingeniũ, & rerũ prudentia velox
ante pilos venit.

præstantissimasque animi dotes speciosa forma commendabat, Virgilio accinente:

Gratior, & pulcro veniens in corpore virtus. *Virg. Æneid. l. 5.*

Hinc, qui vt Phosphorus florida in juventa roseo scientiarum explendore illuxeras in Cathe-

¶¶¶¶ *dram*

dram, Caſsiopea illa, quam Aſtrologi inter Sydera norunt clariorem elatus, vt fulgentiſsimus Sapientię Sol, & Gigas ad currendam viam tuam exultaſti. Vtque Sol in Eccliptica poſitus non eodem ſemper è loco luciflues radios ſpargit, ſed à primo omnia Zodiaci ſigna percurrens, ab vno ad aliud procedit,

Ac certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus Aſtra; Virg. Georg. l. 1.

Sic & ipſe in Litterarij Orbis fulgentiſsima Eccliptica locatus, omnia ejus ſigna, Cathedras videlicet, ab vna ad aliam gradum faciens, ad ſupremam, omnes illuſtrando, percurriſti. E Philoſophię namque Profeſſore ad Moralis Theologiæ Cathedram proceſsiſti: ab hac ad Veſpertinam Scholaſticæ: hinc ad Primariam Scripturę: ex qua denique ad Primariam alteram Scholaſticæ Theologiæ, vnde vlteriùs progredi non datur, aſcendiſti. Quin ſolaris tui curſùs progreſſus impedire vſquã, aut retardare potuiſſent æmuli, haud ignobiles, quos, vel certamine ſuperaſti, vel tibi ante pugnam cedere reverentià ductos feciſti. Haud ſecùs, ac Phœbo ſtellatam Zonam percurrenti, cedunt ſyderea Monſtra, Leo, Scorpio, & alia, per quæ ipſe luculenter incedens, ad maximę ſuæ exaltationis augem progreditur.

Nec

Nec Exedrarum tantùm Moderator Academiæ Limanæ affulsisti; Cancellarius etiam eam illustrasti; nam cum à Rege designatus obijsset, Academicorum suffragijs hic fuit tibi honor delatus. Rectoris tamen munus ad plures annos gessisti, iterum, atque iterum relectus. Quo tempore, quantùm studia promoveris, annuos Vniversitatis reditus auxeris, in ejusque classibus exornandis laboraveris, silentio prætereo, vt tibi gratissimi, nobisque gloriosissimi diei, quo citiùs memoriam renovem. Cum enim à Catholico nostro Rege decessores tui petijssent, quòd Societati nostræ aliquas in Vniversitate Cathedras adscriberet; tu denique, honorificentissimis allegatis causis, duas impetrasti: alteram Theologiæ Scholasticæ Primariam, alteram Controversiarum Vespertinam; senasque Doctorales Laureas, totidem Societatis viris perpetuas. Vbi primùm verò Regiam hujus concessionis Schedulam accepisti, maximi tui voti compos, ingentique gaudio delibutus; quod totius Orbis, tuosque Magistros, vt ipse palam pro eximio erga nos amore profitebaris, in Academia ad omnium vtilitatem esses excepturus, executionem sic vrgebas, ac si tua vnius permagni interesset, quòd ad nostrum honorem maximi referebat. Paucisque post diebus, tuà curà, & solicitudine singulari, facta est publica Nostratum in Regia Vniversitate susceptio. In qua præter Academicorum doctas congratulationes, tantus ex omnibus spectaculis ex cunctis Cœtibus plausus fuit excitatus, vt nunquam aliàs major vrbis vniversæ consentio in vlla solemni pompa fuisse diceretur. Quod totum, cum tibi eà die reliquorum animos incendenti, & in Societatis nostræ laudes vbique effusso, in acceptis referamus; memori, gratoque animo retinemus, vt quas referre gratias non possumus,

pro

pro nostra facultate saltim habeamus, illud Vatis ingeminantes:

Nam priùs vmbrosa carituros arbore montes,
Aut freta velivolas non habitura rates,
Fluminaque in fontes cursu reditura supino,
Gratia, quàm meriti possit abire tui.

Verùm quemadmodum Sol suum intra duas tropicorum lineas contentum Zodiacum, sic percurrit, vt ab vno ad alium tropicum pertransiens, fulgentissimos vtrobique radios effundat, & vtrobique gradatim progrediatur, donec maximæ suæ exaltationis augem contingat: haud aliter qui vt Sol ad currendam viam tuam exultasti, ab Exedrarum, & Academiæ regiminis linea, vbi Solstitium fecisse videris, ad alterius lineæ Ecclesiasticas Dignitates transiens, per omnes successivè progrediens ad Infularum apices demùm pervenisti. Etenim Sacris ordinibus initiatus, inter hujus Limensis Metropolitanæ Ecclesiæ Beneficiarios mox fuisti adnumeratus; & ex semi-portionario, in Portionarium ex ordine processisti. Hic verò, cum in via esses ad plures Canonicatus, quibus te dignissimum sæpè in publicis doctrinæ experimentis probaveras, omnes te certatim ambierunt. Doctoralis, vtpotè Sacrarum Bibliorum, quæ ad plures annos in Academia è Cathedra explicuisti, doctissimum, te exoptans quasi jure postulabat. Pœnitentiarius, ob tuam in conscientiæ dubijs exolvendis peritiam, judicijque maturitatem in multis spectatam, te animorum Judicijs præficiendum contendebat. Magistralis verò te eximium Theologum, omnibusque egregij concionatoris partibus natura arte, & exercitatione perfectis ornatum

natum exigens; Ecclesiastem Canonicum, suffragante Capitulo te est nactus. Hujusque Dignitatis munus, ingenij mirà fæcunditate, parique elloquij facundiâ, sic explevisti; vt qui te è Pulpito concionantem audiebant, nil se vnquam doctrinâ vtilius, aut orationis lenocinio gratius, audivisse testarentur; oris namque majestas, firma latera, vox sonora, actio varia, aliæque Oratoris partes, quę in te semper eminuere, ab integerrimæ tuæ vitę optimâ existimatione vim maximam habebant, vt Auditorum animos delectando, ad virtutis studium, quò tua semper adhortatio spectabat, facilè inflecteres, ac permoveres. Problemaque fuit ex eo tempore excitatum, hactenus verò irresolutum: dicendi nè ellegantiâ, arguendivè ingenio, & acumine maximè pręstares?

Igitur non fragili fælicitate provectus fortunæ ludo, ad apicem fascium repentinis successibus evolasti; sed, vt crescere virtutes solent, ad fastigium præconij conscendisti gradibus Dignitatum. Ad Episcopale, inquam, fastigium, & Infularum culmen, quò te merita evexerunt, & cunctorum vota destinarunt: ut gereres etiam nomine, quam possidebas meritis Dignitatem. Misquensis Ecclesia præ alijs id sibi decus avidè exoptantibus, fortunatior, primatè Præsulem obtinuit, ingentique suo bono gratulabunda suscepit; invidentibus interim reliquis fælicissimam sortem, quam ipsis vi-

cinioribus arreptam glorioso tibi dolore querebantur. Crescebatque in dies hæc earum laudabilis invidia, acceptis subindè nuntijs, quibus certiores fiebant de tua novo in munere agendi ratione, in qua omnia, quæ à perfectissimo Antistite exigi possunt, mirabiliter ellucebant. Etenim (vt Sydonius olim tibi assimili Pontifici applaudebat) agere, dicebaris, sine superbia nobilem, sine invidia potentem, sine superstitione religiosum, sinè jactantia litteratum, sine ineptia gravem, sinè studio facetum, sinè asperitate constantem, sinè popularitate communem: *Ad hæc, nuntiabant: te aditu facilem, & alloquio suavissimum merentes solari, pauperibus abundè subvenire, ægros visitare, dissidia componere, cunctisque ea, quibus egebant, seù corporis, seù animæ remedia promptissimè adhibere. Laudabant eximium tuum erga Cathedralem tibi desponsatam Ecclesiam amorem, quo liberalitèr ei dedisti ingentis pretij donaria sponsalitias Arrhas, mox à tuo ad illam adventu: & sacrà prætiosà supellectili, qua ferè nudam inveneras, eandem paulò post exornasti. Plaudebant animarum zelum ferventissimum, quo Diœcesis Visitationem aggressus, Provinciam omnibus Peruvici hujus asperrimi tractus meatu difficiliorem, innumera passus incommoda peragrasti. Per rigentes glacie terras, per tesqua, & invia saxa, grandinante Cœlo, & crebris ig-*

Sydonius *Apoll. c.* 8. *Epist.* 14.

nibus

nibus emicante, vicatim eam obiens, singulas Parœcias accuratè lustrans in Parochorum mores inquirens, & vbique ferè ingentes hominum Catervas Confirmationis Sacramento in suscepta Fide roborans. Commendabant miram solicitudinem pro puerorum instructione, non modò cathechêsi, & Sacrarum rerum doctrinà, quam tu ipse Pastor, & Doctor illis explicabas, sed etiam latinitate; impetrato à Societatis Superioribus Præceptore Iesuita, in Sanctæ Crucis Residentia tuis sumptis alendo, vt eos Grammaticæ rudimenta edoceret. Celebrabant Hospitalitatem, qua peregrinos omnes, & præcipuè Jesuitas Missionarios ad vicinas Provincias de Moxos iterfacientes, & apud te amore Jesuitam sępè diversantes domo excipiebas, viatico ad reliquum itineris, & muneribus te dignis ad Missionum Templa exornanda, eos sub discessum cumulans. Supra omnia tamen alia te præsentibus charum, & absentibus optatissimum faciebat Prudentia rara, qua Dignitatis tuæ munera omnia explebas, & jura illęsa servabas, nulla sæcularium Principum, & Magistratuum offensione. Id, quod in te demirantes summis laudibus efferebant, efferuntque omnes; vt qui Deo, & Regi fidelem Ministrum te exhibere studens, præ oculis semper habueris & Regij Patronatus jura accuratè observare, & Ecclesiasticam jurisdictionem sine vllius Majestatis offensione exercere, nec

enim,

Apud Corn. super cap. 22. Math.

enim (*vt optimè Origines*) ex eo, quod quis reddidit Cæsari, quæ Cæsaris sunt, impeditur reddere Deo, quæ Dei sunt.

Harum virtutum, Prudentiȩ istius, & summæ erga vtramque Majestatem fidelitatis fama, quȩ Americam totam compleverat, velox etiam in Europam advolavit; atque in ipsa conclavia pervenit Catholici nostri Regis, qui vt Arequippensis Ecclesiæ suo Pastore viduatȩ lacrimas obstergeret, ejus te Antistitem renuntiavit. Ingens tui existimatio eò pridem devenerat; itàque vbi te ad illam properare accepit; illicò mærore posito, in novam spem erigi visa, seque fælicem existimare cæpit. quod tantus magni Præsulis, cui ante illacrimabatur, successor ei contigisset. Superasti tamen spes, & vota adventu fælicissimo, ingeniosaque liberalitate, qua vltra egenorum desideria progressus es. Nam cum te eà sede locatum videres, ex qua Decessores tui totum, quod habebant, pauperibus liberalitèr erogabant; vt eos largitate excederes, facultatibus superare studuisti: plus illis habere procurans, quo plura posses, quàm illi, qui omnia sua largiebantur, impertire. Hæc sit maxima beneficentiæ tuæ laus, quod sis etiam æmulatione beneficus: *dignusque ellegantissimo præconio, quo summam Dei beneficentiam commendat Tertullianus: & quod munificentiæ certamine eos viceris, quos æmulari dumtaxat, foret cuique gloriosissi-*

sissimum. Gloria Episcopi est (*ajebat Sanctus Hieronymus*) pauperem opibus providere, ignominia Sacerdotis est proprijs studere. *Hanc tu ignominiam abhorres, illamque gloriam prudenter sectatus, Ecclesiæ reditibus augendis providè incumbis; quo, nec sinè multorum stupore, factum est, vt duplo majorem eorum summam, quàm Decessores tui colligas, ac duplo etiam majores eleemosynas impertiaris. Vt enim Sol industrio calore telluris vapores attrahit, vt eos postmodum pluvialibus aquis restituat; & quo plus haurit, eò copiosiores aquarum imbres effundit: sic prudenti œconomicà curà Decimarum proventus colligẽdi satagis, vt mox vberrimos eleemosynarum imbres pauperibus effundas. Tibi ædepol accinuisse videtur elegans Claudiani Musa:* D. Hieron. ad Nepot.

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris, *Claud. paneg. in cons. Probi, & olib.*
Nec tenebris dãnavit opes; sed largior imbre
Sueverat innumeras hominũ ditare catervas.
Quippè velut denso curĩctia munera nimbo
Cernere semper erat populis vndare Penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.

Quin beneficentiæ tuæ profusa largitas ad illos etiam redundat, quos nec Cæli imbres profusissimi contingerent. Ad nobiles videlicèt pauperes, intra proprios lares ingenuo pudore contentos, quos tu

solicitus inquiris, vt eleemosynarũ ditissimà alluvione eos etiam involvas. Ità *sanè* dives in misericordia *collectas opes misericordiæ operibus impendis; quo plus tamen his insumis, eò plus videris abundare. Nam præter publicas, privatasque eleemosynas, à quibus liberaliter erogãdis nunquam abstines; suppetunt etiam facultates ad alia opera sumptùs non exigui. Cathedralem Basilicam, quam à Decessoribus magnificè structam, & ornatam accepisti, novis in dies ornamentis ditare non cessas. Argenteos pluteos, & ramos etiam argenteos multis tibi millibus nummorum constantes nuper ei dederas; moxque peritiores Regni artifices convocasti, vt duo magna tabernacula cedrina politissimo opere elaborata perficiant: & ex his alterum plusquam sexmillibus ducatis; alterum verò majus ad Basilicæ caput locandum duplo majori pretio ex conventione jam facta stabit. Construxisti tria ampla senacula, aliud ad Capituli cœtus, & concilia, aliud ad Ecclesiastica judicia, & aliud ad Templi sacram supellectilem asservandam. Demumque aliud magnæ mollis opus aggressus, malè nuptarum Cœnobium, quod, spirituali paritèr, ac temporali Diœcesis tuæ regimini valdè necessarium judicasti, ingenti studio, nulli parcens sumptui, ac labori ædificari procuras. Quo in opere, præter liberalitatem tuam multis alijs comprobatam, elucet etiam ferventissimus salutis animarum zelus,*

D. Amb. l. 1. de offic. Scio plerosque Sacerdotes, *quo plus contulerint, plus abundasse.*

quem

quem omnia tua facta testantur ; & igneis verbis respiras. Vellem equidem singilatim opera, in quibus ardens hic ovium tibi commissarum amor sese luculentiùs prodidit, exponere ; sed tam multa paucis complecti qui possim ? Brevis nuncupatoria Epistola certè non capit ea, quibus referendis tantùm, nedum laudandis ingentia volumina vix sufficient. Aliorum id opus erit, quibus, & facundia sit vberior, & libera se spatiandi per immensum laudum tuarum æquor, quantum magnitudo exigit argumenti, facultas.

Ego verò his dumtaxat, quæ hactenus, properante calamo, scripsi, animi tui Imaginem, quam studiosis Nobilibus proponere statui, mihi videor absolvisse ; vt ab ea (Plinius elloquitur) si non quasi à Magistro, sed tamen sub exemplo præmoneatur, quà potissimùm vià possint ad eandem gloriam aduiti. *Præclarissima cuncta in ea adnotabunt ; nec alias vmbras offendent, præter illas, quas styli mei inconcinna ruditas induxerit. Sed & has etiam factorum, quæ retuli, ingens obruet claritudo ; tantum enim illis inest splendoris, vt nulla possint caligine obnubilari. His, si se conformare studeant Juvenes, queis ad exemplum offeruntur, vel hoc solo nomine laudem consequentur, quòd rem pulcherrimam tentaverint: vbique gratias habebunt, quòd tanti habendum exemplar eis obtulerim ; tibi verò majores, quòd ea solus egeris,* — *Plinius Trajano.*

egeris, totque virtutum dederis exempla, quæ in pluribus divisa vix ambitioso labore possent invenire. Nec vereor te bono animo laturum, quòd tuorum factorum laus illis ad glorię calcar offeratur; optimorum quippè esse scio, eam, quam assequuti sunt fœlicitatem, in alios omni ratione derivare. Vive igitur animi tui pulcherrimam imaginem æternitati depingens; & absolutissimæ effigiei, quam Posteris virtutibus, & sapientià politissimam relinques, nova adijciens exemplorum parerga, ad Nestoris annos vale.

ILLVSTRISSIMÆ AMPLITVDINI TVÆ,

Additissimus & deditissimus,
Josephus Perez de Vgarte,
è Soc. Jesu.

APPROBATIO R. Adm. P. Fr. ANtonij de Torquemada Lectoris Jubilati Regijs ac Militaris Ordinis B. V. M. de Mercede Redemptionis Captivorum in Cordubensi Conventu Studiorum Regentis.

IUssu, & præscripto D. D. D. Francisci, Michaelis Moreno Hurtado in Alma, Cathedrali, ue Ecclesia Cordubensi Præbenda insigniti Provisoris, ac Vicarij Generalis Diœcesis Cordubensis, vidi decem Tractatus Theologicos in quinque tomos distributos, adamusimque elaboratos à R. P. M. Joseph de Aguilar ex Inclyta Societate Jesu, virtutum, ac scientiarum Matre semper fœcunda, quæ in Domo Dei plantata tanquam oliva fructifera, Paulo Tertio Pontifice testante, *non tantùm singulis annis, sed diebus singulis multiplices, uberesque fructus producit.* Quæ verbo, calamo, & exemplo ità litterarium Orbem ditavit, *ut sapientiæ Religiosæ monumentis* à Societate Jesu in lucem prolatis, Clemente Nono Pontifice Maximo proferente, *litteraria decorentur Theatra, & Catholica coronetur Ecclesia. O Societas planè singularis, verè admirabilis*, verbis utor non

Paulus III. Diplom. ann. 1549.

Clemens IX. in Bulla, qua cõfirmavit Cathedras publicas Societatis.

¶ me-

Maclianus pag. 287. & 288. meis, sed Marliani Religiosissimi Canonici Lateranensis in suo eruditissimo Theatro, *quæ tam brevi temporis inter vallo universum mūdum peragravit, & in vinea Domini fructum affert vberrimum.* Innumeris nanque periculis vastissimi maris alacriter devictis, in alium amplissimum orbem pervenit; ubi Japoniæ Reges, Principes, Dynastas, integrasque Provincias Christianæ Fidei fideliter subjugavit. Isti nanque fuere, de quibus Isaias ità prænuntiando rogavit: *qui sunt isti, qui ut nobes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Isti quippè tamquam nubes in fines terræ convolarunt; quorum stillicidijs inebriatur America, eruditissima decoratur Italia, Gallia politissima floret, ac Germania, ubique germinans, germinavit. Quorum rore Hispania nostra ubique Catholica, catholicè semper militando, triumphavit. De hac igitur Societate jure fari potest, quod de Catholica Ecclesia Augustinus pronūtiavit: aut miraculis crevit, aut sinè miraculis? Si miraculis; utpotè à Deo factis, opus Dei esse demonstratur: si verò sinè miraculis; hoc est inter miracula eximium: tempore misero, quando Charitas friget, & abundat iniquitas, hanc sanctam Societatem tot Divorum aureolis, tot Doctorum scriptis, tot Filiorum exemplis fuisse cumulatam. Opus igitur, quod ex

Isai. 60. v. 8.

ordi-

Ordine tam mirifico processit, par est, miram continere doctrinam, quæ dum Catholica Dogmata firmat, pravos, ac devios mores comburit. Vidi itàque hosce tractatus Theologicos in quinque tomos partitos, & summa voluptate, ac vigilantia vidi. Et quamquàm Author suis elucubrationibus Philosophicis, jam editis, & suis eloquentissimis Orationibus Evangelicis prælo mandatis, Ecclesiæ Catholicæ, ac litterarum Orbi sit notissimus, in his tamen quæstionibus Scholasticis, ac tractatibus Theologicis videtur iterum revivìscere. Sic enim dum Philosophica tractat ità principium Philosophorum percepta habuit præcepta, ut calamum censeatis, *unquam atramento, semper in mente tinxisse*, quemadmodùm olim de Aristotele acutissimas scribente argumentationes, veteri proverbio fuit dictum; in Theologicis verò tractatibus agens apud Augustinos, Anselmos, & alios Ecclesiæ Patres, & apud Eximios Doctores, & ferè omnes Scholasticæ Theologiæ candidatos; ità medium se gerit Artifex, ut nec illorum candidam, & sublimem majestatem aufugiat, nec istorum acumine, & subtilitate rapiatur. Sed tamquàm providus familiæ Parens de Theologico Thesauro nova, & vetera proferens; dum illos imitari velit, istos possit; utriusque tamen generis optima eligat,

Alcuinus Epist. 58. videt etiam notas Canisij in eandem Epistolam pag. 666.

& veluti apis ingeniosa ex utrisque utiliora dis-cipulis delibet, & tamquàm apis argumentosa deserviat. Tanta dexteritate, brevitate, & facilitate tanta, vt nec multis verbis det pauca in quæstionibus longior, nec paucis det multa dum brevior. Quæ idea est optimi, & absolutissimi Scriptoris Theologici; nam Dionysio Areopagita teste: inter Angelicas mentes illa est suprema, quæ paucissimis notionibus per intelligentiam comprehendit, quæ inferiores Angeli varijs, ac multiplicibus speciebus; sic ergo inter scripta illud est optimũ, quod paucissimis verbis omnia veluti singula, & singula veluti sola aptissimè comprehendit. Duplex quippè lingua, duplexve stylus ab Apostolo agnoscitur, dum *linguis hominum, & Angelorum* ipse aliquando loquatur; nam S. Remigio teste, *per Angelos citissimè, brevissimèque loquentes exprimuntur, qui liberalibus artibus instructi, verbis, politis, quæ norunt, differunt alijs; per homines verò, qui clarè, & simpliciter loquuntur, & in suis verbis, & scriptis id proponunt, id dispntant, quod multi quærunt ad sui animi perfectionem.* Author igitur sua concissione, & brevitate Angelico veluti calamo scribens; mira claritate, & subtilitate, ità difficiliora exprimit, ut lingua loqui videatur humana. Humana quidem: nam ita se demittendo, suis

Epist. 1. ad Corint. cap. 13. v. 1.
S. Remigius ibidem.

dis-

discipulis semetipsum adaptat; ità doctrinam ipsis tribuit pro captu congruentem, ut non minùs re, quàm nomine sit *Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, & expandit alas suas, & assumpsit eos, atque portavit in humeris suis*. Hac igitur dexteritate Aquila ista sublimis se erga discipulos demittit; *secura quidem*, ut ibidem exposuit eruditissimus Bonfrerius, *ab alijs avibus; at non secura à telis, quæ infernè emitti in pullos possunt, & ob id se ipsam malit objectu corporis periculo exponere, quàm pullos suos*. Sic ergo disputans, docens, & scribens Aquila hæc Peruana non tam sibi, quàm discipulis, publicæve utilitati, videtur insudare. Cujus asserta, conclusiones, & omnia in eis contenta, judico sanas doctrina, tutas in moribus, utilesque discipulis, cæterisve lectoribus. *Salvo semper, &c.* In hoc Cordubensi Cœnobio Regij, ac Militaris Ordinis B. V. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, die 15. Februarij ann. Dñi. 1731.

Deut. 32. v. 11

Bonfrerius in Pentath. super cap. illud Deutheron.

Fr. Antonius de Torquemada.

CEN-

CENSVRA, ET APPROBATIO R. A. P. Didaci Vazquez è Societate IESV, in Cordubensi Collegio Primarij Professoris.

REgij, ac summi Castellæ Senatus imperio, R. P. Josephi de Aguilar Societatis JESU Argentopoli, & Limæ Primarij Theologiæ Professoris, Examinatoris Synodalis, Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, &c. *Tractationes posthumas in primam partem Divi Thomæ*, Præceptoris Angelici introspiciendas suscepi, atque

2. Machab. 2. 9. suspiciendas, quibus Author, *ut sapientiam habens, magnificè* novo quodã honore *sapientiam tractat*. Certè *Doctrinam sapientiæ (de divinis) & dis-*

Eccle. 50. 29. (Hugo Card. hic.) Filius accrescens Ioseph. (Idem Hugo) *ciplinæ scripsit in Codice isto Iesus filius Sirach* (idcirco & ipse Iesuita, filiusque accrescens) *qui renovavit de corde suo (de ingenio suo) sapientiam.* Quinque Opus implet volumina (utinam plura) quæ, non quidem quia nova (est enim non tam æqui rerum æstimatoris sententia, quàm, ut cum stomacho loquar, circulatorum conventuum vagus & circumvolitans error,

Ovid. lib. 3. de Ponto. cui *cunctarum novitas gratissima rerum*) sed quia rei Theologicæ majestati consentanea, gratiora mihi fateor extitisse.

Ovid 3. de Ponto. Eleg. 5.

Quæ, quãquàm lingua mihi sunt properãte per horas
Lecta satìs multas, pauca fuisse queror.
Plura sed hæc feci relegendo sæpe, nec umquam

Hæc

Hæc mihi, quàm primò, grata fuere minùs.
Cumque ſua toties nihil è dulcedine perdant,
Viribus illa ſuis; non novitate, placent.

Placet profectò, maximèque probatur commendabile Authoris ſtudium, ac ex vitæ inſtituto impoſito ſibi muneri congrua ſedulitas, qua poſthumo labore ſibimet, in aliorum commodum, atque utilitatem, novit eſſe ſupeiſtes. Probè quidem: nam *Docti non ſolùm vivi, ac præſentes, ſtudioſos diſcendi erudiunt, atque docent, ſed hoc etiam poſt mortem monumentis litterarum aſſequuntur.* Quo ſanè ingenio, non modò hæreditario veluti jure honorem, verùm & quandam nominis immortalitatem nactus eſt: nam *ſapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.* Atque hoc alienæ utilitatis flagrans deſiderio, non modò notæ ſplẽdoribus doctrinæ Indico illuxit Orbi (*ſapiens enim plebem ſuam erudit*) ſed & Hiſpano. Si ergo unus non ſufficit Orbis.

Cic. 1. Offic.

Eccle. 37. 29.

Eccle. 37. 26.

Hoc quoque neſcio quid noſtris appone libellis:
Diverſo miſſum quod tibi ab Orbe venit.

Ovid. Triſt. 3. Æleg. 14.

Vix Authoris modeſtia id ſperaſſet, quo abſque ipſius injuria noſtra non caruiſſet utilitas.

Per tantum terræ, tot aquas, vix credere poſſum.
Indicium ſtudij tranſiluiſſe mei.

Ovid. de Ponto lib. 1. eleg. 6.

Tranſiluit tamen. Si enim ſapiens, quos docet, luce perfundit: *qui mittit diſciplinam ſicut lucem,*

Eccle. 24. 37.

ſi

ſi quos erudit, vivo, præ mari, aquarum du-
V. 40. 41. ctu irrigat; *à mari enim abundat cogitatio ejus... quaſi trames aquę ... & ſicut aquæductus*; debuit Author ex injuncto officio priores adhibuiſſe curas, ut proprium illuſtraret orbem, & uber-
V. 42. tim irrigaret: *dixi, rigabo hortum meum, & inebriabo prati mei fructum*: indeque ditior factus,
V. 43. & 44. ad mare, ut tranſiliret, accedere; *& ecce factus eſt mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare; quoniam doctrinam, quaſi antelucanum, illumino omnibus, & narrabo illam uſque ad longinquum.* Ut utrique indixiſſe Orbi, proprias
V. 47. adimplens partes, videretur: *videte, quoniam non ſoli mihi laboravi, ſed omnibus exquirentibus veritatem.*

Miratum me, fateor, ibi Authorem opus adeo ſuis numeris abſolutum confeciſſe, ubi adeo rarus, qui ſuppetias tulerit:

Ovid. Triſt. lib. 3. Eleg. 14

Non hìc librorum, per quos inviter, alarque
Copia....

Nec imbrobandus, quòd illas tractationes ſit
D. Hieron. ad Marcel. agreſſus, *in quibus per tot jam ſæcula tantorum ingenia inſudarunt*, quaſi rem agat otioſam, aut nil ultra proprio partum ingenio ſperandum
Cic. 1. de Invent. ſuperſit. Cum tamen vel ipſa *Natura nihil in ſimplici genere omni ex parte perfectum, atque beatum expolivit, tamquam cæteris non ſit habitura, quod largiatur.* Eas igitur tractationes enucleandas

ſuſ-

suscepit, atque elucidandas, in quibus & rei dignitas, ac majestas Authori congrueret, & gravitas tanti ingenij viribus suffulta consisteret: vt & illud ad unguem servaret monitum:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam Horat. in Artè Poet.
Viribus, & versate diù, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Quamobrem, eà rem (licèt tantam) persequitur dexteritate, ut & altè concepta pedestri sermone depromat, & aptà rerum dispositione, consentaneàque illustratione studiosum invitet, & alliciat lectorem. Quì enim fieri poterat, ut virum optimè de Theologia meritum ea latuisset sententia: *mandare quenquam litteris* Cic. 1. Tusc. *cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliquà allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & litteris.* Rem, prolixam satis, insitàque involutam caligine, & perspicuitate sermonis (non grandia quidem trutinantis verba) pandit, & sententiarum brevitate concludit, ut & illud, quod in Scriptis Cordubense decus expostularat, fastigium operis obtineret: *plus intelligendum, quàm* Senec. in Prolog. ad lib. 4. *legendum*: & egregij Scriptoris functus munere videretur: *nam nihil egregius quàm res est cernere* Lucre. lib. 4. de nat. rerum. *apertas.*

Legentium oblectationi, studentium me-

moriæ, omnium denique consulens utilitati, in his paucis, quæ in innumeris penè sunt voluminibus contenta, perspicuà hàc brevitate contraxit, & dilucidè concinnavit. Opus sanè pulchro enutritum labore, oleo, atque sudore perfectum. *Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem. .curavimus, volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio; studiosis verò, ut faciliùs possint memoriæ commendare; omnibus autèm legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causà suscepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus.* Cum itàque Opus, quod Authoris ingenio, atque doctrinà elucubratum penitiùs inspexi, tantũ, ac tale sit;

2. Machab. 2.

Ovid. 3. de Pōto. Eleg. 9.

Corrigere at, res est tantò magis ardua, quantò
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

Nec modò correctionem difficilem, verùm & censoriæ virgæ officium in eo penitùs interdictum, vel ipsis oculis hausi. Dum verò mihi Authorem, eàdem vitæ ratione adstringente, tanto fœdere devinctum considerassem; non nil à propria super commisso Opere proferenda sententia deterruit suspectum propriæ fermè causæ præjudiciũ. *Si amicus pro te dixerit, non testis, aut judex, sed fautor putabitur.* At cum ex injuncto censoris munere, ac tuo (Senatus amplissime) cui parendi necessitate constringer;

D. Hieron. ad Pammach. adversùs Joan. Hyerosol.

gor,

ger, imperio, propriam teneat aperire sententiam: & *vera amicitia, quod sentit, dissimulare non debeat*; fatendum planè duxi: *accepi librum, quem transmisisti, stylo brevem, doctrina uberem, lectione expeditum, instructione perfectum.* Cumque ea sit his quinque voluminibus comprehensa Authoris doctrina;

Idem D. Hieron. ad Ruffin.

Sidon. Apol. lib. 4. Epist. 3.

:::::*Valet hęc sub luce videri,*
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

Horat. in Art. Poet.

Opus igitur & bonis moribus consonum, & Sacrę Paginæ, SS. Patribus, ac Concilijs consentaneum; atque Hispanicarum legum, Politię civilis, Regiæque Authoritatis apicibus nec minima ex parte dissonum: ac in publicam tandem prodire lucem, dignum existimo. Ità sentio in hoc Cordubensi Divæ Catharinæ V. & M. sacro Societatis IESU Collegio. Februarij die 22. an. 1731

Didacus Vazquez.

FACULTAS RELIGIONIS.

E*Go Emmanuel Sanchez Provincialis Societatis Iesu in Provincia Bœtica, poteſtate ad id mihi facta à R. admodum P. N. Franciſco Retz Præpoſito Generali, facultatem concedo, vt primus Tomus, cui titulus:* Tractationes poſthumæ P. Joſephi de Aguilar in primam partem Divi Thomæ, *& ejuſdem Societatis piorum, ac doctorum Theologorum judicio examinatus, & approbatus, typis mandetur.* In *quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & noſtri Officij Sigillo munitas dedimus, Hiſpali die* 27. *Februarij, anni* 1731.

Emmanuel Sanchez.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Pedro de Salazar, y Gongora Cavallero del Orden de Calatrava, Dean, y Canonigo de la Santa Iglesia Cathedral de esta Ciudad, Provisor General en ella, y su Obispado por los Señores Canonigos Cabildo de dicha Santa Iglesia, *Sede Episcopali vacante*. Aviendo visto, los cinco Tomos de Theologia Escolastica (cuyo titulo es, *Tractationes posthumæ in primam partem Divi Thomæ*) que pretende sacar à luz el M. R. P. M. Phelipe del Castillo de la Compañia de JESUS en nombre de su Autor el R. P. M. Joseph. de Aguilar de la misma Compañia, y vista la aprovacion, y censura dada en ellos en virtud de comission de el Señor Doct. D. Francisco Miguel Moreno Hurtado Prevendado de dicha Santa Iglesia nuestro antecessor, y que por ella consta, que dichos libros no tienen cosa alguna, que se oponga à nuestra Santa Fe Catholica; y buenas costumbres: Damos licencia, por lo que à Nos toca, para que se puedan imprimir en qualquiera de las Imprentas de esta Ciudad. Dada en Cordoba à veinte dias del mes de Febrero de mil setecientos, y treinta y vn años.

Doct. D. Pedro de Salazar.

Por mandado del Señor Provisor

Alonso Joseph Gemez de Lara.

SVMA DEL PREVILEGIO.

TIene Privilegio del Rey nueſtro ſeñor el R. Padre Phelipe del Caſtillo de la Compañia de JESUS Procurador General por ſu Provincia del Perù en las Cortes de Eſpaña, y Roma, &c. para poder imprimir por tiempo de diez años diez Materias de Theologia Eſcolaſtica repartidas en cinco Tomos, cuyo titulo es: *Tractationes poſthumæ in primam partem Divi Thomæ*, ſu Auctor el R. P. Joſeph de Aguilar de la miſma Compañia, y para que ninguno en el tiempo ſuſodicho las pueda imprimir, ni vender ſin ſu licencia. Como mas largamente conſta de ſu Original fecho en Madrid ante D. Miguèl Fernandez Munilla Eſcribano de ſu Mageſtad à 14. de Marzo de 1731.

TASSA.

TAſſaron los Señores del Cõſejo eſte primer Tomo, cuyo Titulo es: *Tractationes Poſthumę in primam partem Divi Thomę*, à ſeis maravedis cada pliego, como mas largamente conſta del teſtimonio, que diò D. Miguèl Fernandez Munilla.

FE DE ERRATAS

FOl. 12. col. 1. parf. 5. minorem. lege majorem. fol. 55. col. 2. parf. 38. Ecclesiæ lege Ecclesia. fol 86. col 2. parf. 15. corte lege corde. fol. 89. col. 1. solvunur. lege solvuntur. fol. 114 col. 2. minari. lege mirari. Fol. 137. col. 1. caulis. lege causalis. Fol. 143. col 1. mas. lege magis. Fol. 145. col. 1. natuam. lege naturam. Fol. 158. col. 2. convero. lege converso. Fol. 160. col. 1. rurus. lege rursus. Fol. 164. col. 2 judicio. lege judico. Fol. 182. col 1. incluonsiem. lege inclusionem. Fol. 188. col. 1. possibile. lege possibilium. Fol. 279. col. 2. concurre ad visionem lege concurrere ad visionem. Fol. 293. col. 2. probabilios lege probabilius. Fol 293. col. 2. differunt specie lege non differunt specie. Fol. 296 col. 1. haben lege habente. Fol. 308. col. 1. applicationem lege applicatio. Fol. 347. col. 1. vt species impressas lege vt speciem impressam. Fol. 430. col. 1. peccato impediente. lege peccatum. Ibidem peccato expellente. lege peccatum.

Hæc si demas, aliaque haud dificiliora cognosci menda; suo originali respondet: Carpentana Vrbe Vndecimo kalendas Iunij anni D. MDCCXX XI.

Lic. D. Emmanuel Garcia, & Alessòn

Catholicæ Majestatis Generalis Corrector.

PROOEMIUM

CVM MECUM IPSE DE THEOlogia pro discipulis scribendà consulerem, in mentem subijt illud Christi Domini ad Inceptores ludibrium: *Incipiant illudere ei dicentes: quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare*, quo territus ità ædificare statui, vt consummare possim. Ast, cum tot sint Theologicæ materiæ, totque difficultatibus refertæ, vt nec vita integra pro qualibet eius parte integrè extruenda sufficiat; Noëmi divinum commentum pro re assequenda assequi conabar: hic enim cum Arcam illam animantia pænè innumera singillatim capere haùd posse videret: quid faceret, vt omnes posteà Viventium species ab ea suscitaret? Ex omnibus speciebus, non omnia individua, sed bina, & bina suscepit: *De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod movetur super terram duo, & duo ingressa sunt ad Noè in Arcam.* Indè viventium vniversum semen duxit propaginem, intentumque ipsius, & Dei rem tenuit. Non alitèr cum Actum generalem Theologicum à fronte huius operis promittam, viderimque temporis angustias, omnes, & singulas cuiusque materiæ Theologicæ quæstiones capere, nec posse, nec sufficere: non omnes, sed ex omnibus aliquas, celebrio-

Lucæ 14. V. 29.

Genes. 7. V. 8.

A

briores tamen, ſcribere decrevi, quó, & univerſum ſemen Theologicum reviréſcet, & promiſsi culmen ſine illius ludibrij metu pertingere queam.

Labor vtilis admodum Scholaſticis (quibus in eo ſpecialitèr conſulo) præcipuè noſtri Regalis Divi Martini Athænei (cui, dum hæc ſcribo, immeritò licèt, præficior, & præeo) nàm cum tyronibus Theologis materias prælo, & ex inſtituto datas, evolvere, ob ſtyli diffuſionem ſit non facile, & in manuſcriptas incidere, ſit difficile, diverſaque vniuſcuiuſque Magiſtri principia ſæpè confuſsionem pariant; curſùs philoſophici mæthodum typis in Europam tribus abhinc annis miſsi, nondum tamen remiſsi, amplexus; eo modo, & ſtylo, quo noſtræ Societatis Theologis à me, & ab alijs Perùanæ Provinciæ Magiſtris dictari ſolent, ſcribere decrevi. Nec vacuum me rediturum ſpero, dum ab hac perilluſti Perùana Provincia ex Comitijs generalibus Romam Procurator electus, ab Europa proprijs Làribus, & Patriæ reſtitutus, hoc munuſculum afferam, vt juventuti offeram; occaſione certè functus, qua ſi inſignes alij, & ſapientiſsimi Magiſtri (quorum me minimum ingenuè fateor, quoſque diſtantia terret) pollerent, noſtrum, imò & totum orbem inſignitèr illuſtrarent. Faxit Deus, in cujus honorem cedat.

TRAC-

TRACTATVS I.

DE PROLEGOMENIS THEOLOGIÆ.

I*N PRINCIPIO CREAVIT DEVS COELVM, & terram*, vbi & omnia prima elementa quasi maximi Vniversi opificij etiàm Deus iaceret prolegomena, vt indè à principijs communibus, & universalibus rerum ad ipsas res in particulari producendas gradum faciat, sic & nos.

QVÆSTIO I.

AN THEOLOGIA SIT PROPRIÈ, & substantialitèr scientia.

1. PRIMA sententia tenet; Theologiam esse scientiam consequentiarum, non consequentis; hoc est, in Theologia dari discursus, in quibus, concessis præmissis, necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, quo casu & concurrit evidentia in consequentia, & certitudo in consequenti, undè appellatur scientia, quæ certitudo, cum deficiat in syllogismo probabili, licèt sit rectè dispositus quoad formam, non est scientia. Ità Argent. q. 1. Prolegom. art. 1. cui favere videntur Ocam. & Gabriel.

2. Secunda sententia tenet, Theologiam, etiàm prout in viatoribus, esse scientiam propriè & substantialiter, licèt defectu evidentiæ actualis, quà caret in hoc statu, non sit perfectè scientia, sed in statu imperfecto, & præter naturali. Ità

communitèr Thomistæ apud Gonet ipsos sequutum tract. I. proœm. d. I. de natura theolog. n. 2.

3. Tertia sententia negat Theologiæ evidentiam, sed quia illi concedit certitudinem, illi etiam concedit prædicatum scientiæ. Ità Granad. tom. I. in I. p. tract. I. d. 6. Phasolus tom. I. in I. par. q. I. art. 2. dub. 14. Mag. Lumb. q. I. de naturà Theologiæ art. 3. n. 15.

4. Quarta, & nostra sententia tenet: Theologiam non esse propriè, & simplicitèr scientiam. Ità Schotistæ omnes apud Mast. disp. I. de naturà theologiæ art. I. n. 4. Nom. apud Vasq. q. 4. cap. 7. & N. communitèr apud P. Leonar. de Peñaf. tract. I. de naturà Theologiæ disp. 3. n. 33.

5. Dicendum: *Theologiam non esse propriè, & simplicitèr scientiam.* Probatur: Juxta principia in proœm. Log. stabilita, & ab Aristotile I. poster. cap. 2. statuta, scientia habitualis est habitus acquisitus per demonstrationem, scientiaque actualis est cognitio evidens sui obiecti; sed nec theologia habitualis est habitus acquisitus per demonstrationem, nec theologia actualis est cognitio evidens sui obiecti: ergo nec theologia habitualis est sciētia habitualis, nec theologia actualis est scientia actualis. Consequentia legitimè infertur, minor conceditur ab Adversarijs. Et ratio est, quia omnis actus theologicus nititur in aliquà saltèm præmissà de fide, quæ, utpotè obscura, nequit inducere conclusionem evidentem, Juxta illud: *Conclusio sequitur debiliorem partem.* Ex quo etiàm infertur: habitum theologicum non esse per demonstrationem acquisitum, cum Conclusio theologica, quà acquiritur, non sit demonstratio. Maior vltra quàm est doctrina Aristotelis, & omnium ferè Philosophorum, in ipso nomine, & etymologià scientiæ percipitur.

6. Confirmatur: Conclusio innixa in aliquo principio merè probabili, licèt aliàs nitatur in alio principio evidenti, non evadit evidens, sed probabilis: cum *malum ex quocumque deffectu* proveniat: ergo Conclusio innixa in aliquo principio, seù præmissa obscura, licèt aliàs nitatur in alià præmissà evidenti, non evadit evidens, sed obscura. Tunc sic: sed licèt theologica conclusio inferatur ex vna præmissà evidenti, necessariò debet inferri ex alià obscurà, seù de fide: ergo.

7. Hinc inferes contrà tertiam sententiam: Certitudinem non sufficere ad scientiam; aliàs actus fidei, qui certissimus est, utpotè divinæ authoritati innixus, esset scientia, quod à nemine asseritur. Contrà secundam: quòd cùm evidentia sit prædicatum essentiale scientiæ, dèfficiente evidentia in theologia, hæc non erit substantialitèr scientia: sicut defficiente materià, anima separata non manet substantialitèr homo. Contrà primam: evidentiam consequentiarum non esse scientiā theologicam, sed logicam, quin certi-

titudo consequentis scientiam inducat; cùm talis certitudo ab evidentia non proveniat.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RRSPONDETVR.

8. OBIJCIES Primo: Theologia appellatur scientia ab Apostolo ad Corinth. 1. cap. 12: *Alijs datùr sermo scientiæ.* Et cap. 13: *Sivè linguæ cessabunt, sivè scientia destruetur.* Item ab Aug. Angelico Mag. & alijs.

Respondetur, latè & metaphoricè ratione certitudinis appellari theologiam scientiam, eo modo, & sensu, quo fides appellatur scientia, Lucæ cap. 1: *Ad dandam scientiam salutis plebi eius,* hoc est, fidem, vt aliqui explicant. Ità interpretandi sunt Augustinus, & Thomàs.

9. Obijcies secundo ex Magistro Gonet, & Thomistis: Theologia est propriè virtus intellectualis; sed nequit pertinere ad aliam ex quinque speciebus virtutis intellectualis ab Aristotele, & D. Thoma assignatis, nisi ad scientiam, vel sapientiam: ergo. Probatur minor: non pertinet ad habitum primorum principiorum, cùm sit discursiva, & versetur circa conclusiones deductas ex principijs fidei: non ad habitum prudentiæ, cùm non versetur circa agibilia hìc, & nùnc, nèc dirigat honestatem morum: non ad artem, cùm non versetur circa factibilia: ergo.

10. Respondeo: concedo maiorem, & nego secundam partem minoris: pertinet enìm ad sapientiam, vt posteà videbimus, quæ quidem sapientia non est species scientiæ. Insupèr etiàm pertinet ad habitum prudentiæ, cùm sit partìm practica, eà parte quà agit de virtutibus, & vitijs. Insupèr appellari potest fides explicita acquisita per studium cùm ingenio, & lumine naturali, & aliarum scientiarum adminiculo, supposita revelatione divina; quem habitum non novit Aristoteles, qui locutus est de habitibus merè naturalibus.

11. Obijcies Tertio: ex Magistro Lumb. scientia in rigore est cognoscere rem per causam, & quod illius est causa, & quod alitèr se habere non possit; sed hoc totum habet Theologia vi propriæ certitudinis, quin sit evidentia necessaria; sic certissimè noscimus risibilitatem Christi non revelatam, deducendo illam ex humanitate revelata. Aristoteles enim cùm ad scientiam requirit claritatem, loquitur de scientijs naturalibus, quas novit.

12. Res deducitur ad purum nomen: Nàm à nemine negatur, conclusionem Theologicam esse certissimam; à nemine conceditur, esse evidentem; hoc est, de re. Vndè si sufficit ad denominationem scientiæ certitudo, & non requiritur evidentia, à nemine negabitur, esse scientiam: àst in re de nomine, cum hic Author concedat, Aristotelem, & Philosophos ad rationem scien

scientiæ requirere evidentiam, & aliàs fides non obliget, Philosophos deserere; debemus dicere, theologiam non esse scientiam ex deffectu huius prædicati ab ipsis requisiti.

13. Vel si vis, voca eam scientiam supernaturalem, seù alteriùs speciei, quo excluditur ab Aristotelis Jurisdictione, & habet non parum fundamentum in D. Thoma, qui in 3. d. 33. q. 4. sic loquitur: *Si autem esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturalitèr cognita, non esset eiusdem speciei cùm alijs scientijs, nec univocè scientia diceretur.* Hoc discursu, & authoritate innixus poteris defendere (si volueris) Theologiam esse scientiam, sed cum addito *supernaturalem*. Nunc verò nego maiorem argumenti, nisi aliàs detur evidentia.

14. Obijcies quarto: in Theologia datur, & discursus, & certitudo, immobilitasque, seù firmitas in discursu, ità vt nequeat falsificari: ergo in eà datur conceptus scientię. Probatur consequentia: Ratione discursùs distinguitur à Fide, quæ discursiva non est, ratione certitudinis, & firmitatis secernitur ab opinione, quæ est discursus formidolosus, & incertus: ergo cum habeat differentiam oppositam vtrique speciei oppositæ scientiæ, scientia utique erit.

15. Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam: Probatio non alitèr se habet, ac si aliquis hoc discursu probaret, Petrum esse hominem: *Petrus vi conceptus apprehensivi, & Iudicativi dependentèr à phantasmatibus secernitur à bruto, Deo, & Angelis speciebus oppositis homini: ergo conceptus discursivi non ingreditur essentiam hominis*; quod falsum est. Habitus enìm Theologicus erit habitus quasi medius, certus, & inevidens, qui nèc sit fides ratione discursùs, nèc opinio ratione certitudinis, nèc scientia ratione inevidentiæ.

16. Nota tàmen, sub lite esse, an Fides sit discursiva? Nàm aliqui cùm Suarez affirmant, alij cùm Ripalda, Arriaga, & Lugo negant.

17. Obijcies quinto: Ille actus est scientia, qui innititur principijs certis, & evidentibus; sed ità se habet discursus Theologicus: ergo. Probatur minor: principia, quibus nititur discursus Theologicus sunt evidentèr nota Deo, Angelis, & Beatis, licèt non ità sint viatoribus: ergo nititur principijs certis, & evidentibus. Confirmatur: licèt in Rustico non sint evidentia principia methaphysica, non ideò carent ratione scienti ę conclusiones logicæ in illis fundatæ, si fortè sint in intellectu Rustici, quià sufficit, quòd sint evidentia in intellectu Philosophi: ergo similitèr.

18. Argumentum variat appellationem, cùm ponat actus in intellectu viatoris, & evidentia principiorum in intellectu Beati, & ex actibus in vno intellectu, & evidentia in alio inferat actus esse evidentes, prout ad scientiam requiritur,

ad

ad quàm in eodem intellectu, in quo est actus, debet esse evidentia principiorum, in quibus fundatur, cùm nequeat dari actus, seù conclusio evidens, nisi sit ortus ex motivo evidenti, & à me, cui est motivum, evidentèr cognito. Vndè negatur antecedens confirmationis, quo pænitùs ruit.

19. Obijcies Sexto: Theologia subalternatur scientiæ Dei, & Beatorum: ergo licèt quoad nos careat per accidens, evidentia actuali principiorum, hoc non extrahet eam à ratione propriæ scientiæ substantialitèr, sed solùm ab statu perfectæ scientiæ. Sic Puer, licèt sit substantialitèr homo, quià tàmen caret vsu rationis, & exercitio libertatis, non censetur esse perfectus homo. Antecedens probant eo, quod à Deo, & Beatis cognoscitur clarè, quidquid à nobis cognoscitur obscurè per discursum Theologicum. Consequentia probatur in actu subalternato: ad rationem scientiæ non requiritur evidentia formalis, & actualis, quæ solùm requiritur in scientijs subalternantibus, sed sufficit radicalis, & aptitudinalis, id est, quod ex se, & ex natura sua petat coniungi cùm subalternante, & in tali coniunctione habere evidentiam actualem suorum principiorum.

20. Respondeo: Retorqueo argumentum in Fide. Fides subalternatur scientiæ Dei, omne enìm, quod à Fide obscurè creditur, à scientia Dei clarè cognoscitur: ergo Fides erit scientia ob ipsissimum argumentum, quo probatur esse Theologiam. In forma transeat antecedens, quod negatur de subalternatione propria à Comptono, Quirós, & Alijs; imò adhùc de impropria subalternatione ab Arriaga, & nego consequentiam. Exemplum enim pueri non est ad rem; pueto enim per deffectum actùs secundi, intellectùs, & voluntatis, non defficit aliquod prædicatum essentiale hominis, sicut per deffectum evidentiæ, defficit actui Theologico predicatum essentiale scientiæ. Ad probationem nego illam; nàm evidentia constitutiva scientiæ debet esse differentia actùs, & consequentèr realitèr identificata cum illo; sed evidentia actùs subalternantis realitèr nequit identificari cum actù subalternato: ergo neque sufficere, vt actus subalternatus sit scientia, aliàs actus fidei ob eandem subalternationem erit scientia.

21. Obijcies septimo: ex Toleto: In Theologia dantur plures conclusiones circa proprietates rerum; sed hæ (licèt aliàs existentia rei, cuius sunt proprietates, supponatur ex Fide cognita) sunt scientificæ, reducuntur que ad principia evidentia: ergo Theologia ex hac parte erit scientia. Exemplo res clarescet: supposita per Fidem existentia Christi Domini, & quod sit homo, probatur evidentèr, esse risibilem, esse compositum ex materia, & formà per reductionem ad illud principium evidens, scilicèt, *Omnis*

homo est risibilis, compositus ex materia, & forma: ergo.

22. Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem, pro quo suppono 1. quod, quotiès aliquod principium evidens applicatur alicui individuo per aliud principium inevidens; actus, per quem de tali individuo absolutè affirmatur materia illa contenta in principio evidenti, evadit inevidens. v. g. hoc principium est evidens, *omnis homo est risibilis*, sed quia applicatur huic individuo v. g. Petro, per hoc principium Alijs, ab ipso Petro inevidens, sed *Petrus est homo*: poterat enim habere omnia signa externa hominis, & hominem non esse(vt patet in Raphaele Tobiam commitante) actus, per quem absolutè diceretur de Petro *esse risibilem*, esset inevidens. Dixi in actu, per quem absolutè affirmatur, quia non loquor de conclusionibus conditionatis, in quibus ex suppositione subjecti de illo dicitur aliquid; potest enìm esse impossibilis existentia subjecti, & tamèn ea supposità, deduci conclusio evidens. V. g. *Si lapis est homo: ergò est animal*, & hoc potiori titulo continget quandò suppositio est probabilis, aùt per Fidem certa. Suppono secundo, ad conclusionem conditionalem nullo modo requiri habitum distinctum ab eo, per quem colligitur conclusio absoluta innixa principijs illius habitùs: v. g. ad hunc actum conditionatum, *si lapis est homo, est risibilis*, Non requiritur habitus distinctus à philosophico, per quem affirmatur, omnem hominem esse risibilem

23. His præmissis. Conclusio Theologica, quæ affirmat de Christo, esse risibilem, non est conditionata, supponens eum esse hominem, Ità : *si Christus est homo, est risibilis*, nàm ad hanc non requiritur alia scientia distincta à Philosophia, sèd absoluta: ergo vt esset evidens, non solùm principium illud evidens universale *omnis homo est risibilis* debebat esse evidens, sed principium particulare, per quod applicatur huic individuo, Christo scilicèt, *sed Christus est homo*; sed hoc principium particulare est inevidens, cùm sit agnitum ex Fide: ergo & actus Theologici circa proprietates, & passiones non sunt evidentes, & scientifici.

24. Obijcies octavo: Theologia gaudet aliquibus conclusionibus evidentibus, utpotè ex præmissis evidentibus deductis: ergo saltèm quoad has erit scientia. Probatur antecedens; ponamus conclusionem deduci ex vna præmissà naturali, & evidenti tantùm, & ex alià, quæ simùl esset Fidei, & scientiæ, cùm per nos actus simul scientiæ, & Fidei non repugnet. En conclusio evidens, & aliàs Theologica, cùm sit deducta ex vnà præmissà de Fide.

25. Respondetur: nego antecedens; & admisso casu probationis; Dico : conclusionem illam esse Theologicam, non vt evidens est, neque vt deducta ex præmissà illà

evidenti, vt est scientia, sed vt est Fides, hoc est, vt elicita vi motivi obscuri, non vi motivi evidentis, quo sensu talis præmissa non est formalitèr evidens, sed potiùs inevidens, & saltèm præscisivè obscura, & sic evadit conclusio formalitèr Theologica. Vt autèm formalitèr evidens pertinet, vel ad methaphysicam, vel ad aliam scientiam mediam, vel saltèm ad vim discursivam; vndè nunquàm reperitur conclusio, quæ, vt formalitèr Theologica, sit evidens, & scientifica.

QVÆSTIO II.

AN THEOLOGIA SIT SAPIENTIA, *& præstantior reliquis scientijs naturalibus.*

1. PRIMA conclusio: *Theogia est proprè, & simplicitèr sapientia*. Ità omnes Theologi.

2. Probatur primo: sapientia juxta Philosophum lib. 1. methaphysicæ cap. 2. est scientia universalissima, altissima, & prestantissima; sed ità se habet Theologia: non est enim scientia; sed est cognitio certa (ità accipitur ibi à D.D. communitèr vox *scientia*.) Est universalissima, cùm de omnibus rebus debeat iudicare, vt reprobet, si opponantur principijs Fidei, & virtutibus, vt approbet, si eis consonæ sint. Est altissima ratione objecti, Dei scilicèt, qui est solus altissimus. Est præstantissima, tùm ratione objecti divini, tùm ratione certitudinis, tùm ratione materiarum, quas tractat: ergo.

3. Probatur secundo: juxta Philosophum, ideò methaphysica est sapientia, quià agit de ente universalissimo, de Deo præstantissimo, & de horum proprietatibus; sèd Theologia agit de his omnibus juxta acceptionem perfectiorem; de Deo scilicèt in ordine ad effectus supernaturales, de ente supernaturali, & de eius proprietatibus in hoc ordine: ergo.

4. Secunda conclusio: *Theologia est absolutè, & simplicitèr præstantior reliquis scientijs supernaturalibus*. Ità contra Durandum, Occamum, & Ægydium reliqui Theologi cum Sanct. Thoma hìc artic. 6.

5. Probatur: dignitas, & præstantia alicuius facultatis venatur, vel ab obiecto, vel à certitudine; sed ratione vtriusque excedit Theologia reliquas scientias: ergo. Probatur primo: objectum ipsius est Deus, virtutes, entia supernaturalia, eorum que proprietates. Certitudo eius fundatur in principijs Fidei indeffectibilibus, reliquæ verò scientiæ in principijs naturalibus errori expositis ex se, vel ad minus non essentialitèr in capacibus deffectùs: ergo Theologia vndequaque præstantior est reliquis scientijs. Vndè meritò de illa intelligit Sanct. Thomas hìc artic. 5. illud Proverb. 9. *Misit ancillas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis*, id est, reliquas sciētias, cuius famulatu vtitur.

Obij-

6. Obijcies Primo contra primam conclusionem: sapientia juxta Aristotelem debet esse speculativa; sed per nos Theologia est partim practica: ergo.

7. Respondeo, Aristotelem loquutum de sapientijs inferioris ordinis, qualis est methaphysica, non de superiori, & eminenti, qualis est Theologia.

8. Obijcies Secundo: sapientia anumeratur inter dona Spiritus Sancti; sed ità non est Theologia, cùm reperiatur in peccatoribus: ergo. Respondeo, non esse idem sapientiam donum Spiritùs Sancti, & sapientiam discursivam. Secundo modo se habet Theologia, quæ discursiva est; donum Spirtus Sancti est sapiantia per modum inclinationis, & impulsùs suavissimè cognoscentem allitiens, & hæc deperditur per peccatum, cum reliquis donis.

9. Obijcies Tercio contra secundam conclusionem: Aliç scientiç excedunt Theologiam in claritate, & evidentià, quæ in lineà cognitionis est summa perfectio compensans reliquas perfectiones Theologię: ergo hęc non est præstantior. Respondeo, præcipuam perfectionem cognitionis esse certitudinem; perfectionem verò evidentiæ, & claritatis, esse secundum quid, & ratione ipsius certitudinis. Clarior enim est vissio curbitatis virgæ in aqua, colorum in iride &c: & quia defficit certitudo, nō est perfectior; cùm enim in certitudine excedat Theologia reliquas scientias, eas omnes excedit, & licèt in evidentia excedatur, hic est excessus secundum quid.

10. Obijcies quarto: Intellectus magis certificatur per evidentiam, quàm per Fidem: ergo illa est certior. Respondeo, distinguo antecedens: certitudine substantiva, vel adhęsiva, concedo: certitudine objectiva, & in hæsiva, quę est certitudo absoluta, nego. Certitudo substantiva, & adhęsiva consistit in eo, quod actus verus sit talis naturæ, vt per eum firmiùs, & minori cùm formidine quantum est ex parte intellectùs, assentiatur huic obiecto ex modo cognoscendi connexionem motivi cum eo: cum autem in re evidenti perspiciatur connexio motivi cum obiecto; connaturaliùs adhæret, & assentitur intellectus illi: certitudo verò obiectiva, & inhæsiva consistit in connexione essentiali motivi cum obiecto materiali, ità vt essentialitèr repugnet, hoc alitèr se habere; quæ cum à nobis non videatur, non ità dulcitèr, firmitèr, & connaturalitèr atrahit. Ast hæc est vera, & potior certitudo, vtpote cui repugnat fallitas, & hac gaudet conclusio Theologica, non verò prima, cui ex natura sua fallitas non repugnat.

11. Obijcies quinto: Ille assensus censetur minus firmior alio, qui non excludit eos motus dubitationis, sicut alius; sed Fides eos non excludit sicut vissio: ergo hęc est assensus firmior. Respondeo: distinguo

guo maiorem: si hæc non exclusio proveniat ex imbecilitate medij assentiendi, concedo: si proveniat ex imbecilitate principij assentientis, sicut contingit, cum tentatur aliquis contra Fidem, nego.

12. Obijcies sexto: saltem scientia juris Canonici cum fundetur etiàm in principijs Fidei, & agat de virtutibus, erit æquè præstans ac Theologia. Respondeo: scientiam Canonicam, qua parte ex præmissis Fidei discurrit, esse nostram Theologiam, qua parte ab ea distinguitur, solùm concordat, & explicat mentes, & decisiones Pontificum, pertinet ad gubernationem Ecclesiç; nec infertur ex præmissis de Fide, nec habet pro obiecto Deum, ideò que est inferior.

13. Obijcies Septimo: Theologia est discursiva. Vndè infertur: non esse certam ex se, sed ex principijs revelatis; prima verò principia methaphysica non sunt discursiva, sed ex se sunt certa: ergo erunt certiora quàm Theologia. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Hic enìm excessus est secundum quid, cùm semper maneant prima principia ex se capacia erroris, & falsitatis, non ità conclusiones Theologicæ. Vnde hęc propositio: *Verbum est incarnatum*, certior est hac: *Verbum divinum, vel est incarnatum, vel non est incarnatum.* Quia prima fundatur in principio Fidei, revelatione scilicèt; Secunda verò in principio lumine naturæ noto, nempe: *Quodlibet est, vel non est.*

14. Obijcies octavo: *Conclusio sequitur debiliorem partem*; sed sæpè vna ex præmissis gaudet certitudine non excedente scientias naturales, cum sępe sit mere naturalis: ergo conclusio ea solùm certitudine gaudebit.

15. Respondeo Primo: quod licèt in conclusionibus deductis ex vna præmissà naturali non excederet Theologia ob rationem argumenti; cùm habeat alias deductas ex duplici pręmissà de Fide, ex hac parte absolutè excederet, & esset pręstantior. Respondeo secundo; distinguo consequens: ea solùm certitudine gaudebit ex obiecto, permitto; ex principio, & habitu, nego. Nam ex vna præmissà habente se vt principio, & ex habitu Fidei sępe influente, maiorem certitudinem venatur. Deinde ex vna pręmissa est æquè certa, ex alià est certior.

16. Obijcies nono: Theologia solùm requirit pręmissas Fidei obiectivæ, creditas tamen non per Fidem divinam supernaturalem, sed per Fidem humanam naturalem: ergo non guadet maiori certitudine, quàm reliqui actus naturales evidentes.

17. Respondeo: transeat antecedens cum PP. Vazquez, & Arriaga, & nego consequentiam. Nam actus naturalis circa mysteria Fidei eandem veritatem summam retinet, ac si esset supernaturalis ex parte credentis, & quoad veritatem adhęsivam, quia ille homo, qui crederet, tam certò nunc adhęret his ve-

veritatibus, ac si eas actu supernaturali crederet, quoad veritatem, seù certitudinem in se, & obiectivam: quia veritates, sivè hoc, sivè illo actu attingantur, non immutantur in se. Vnde actus naturales circa mysteria Fidei, necessariò sunt æquè veri, ac supernaturales, circa eadem.

18. Obijcies Decimo: Assensus Conclusionis debet esse minoris certitudinis, quàm præmissæ, ex quibus infertur, juxta illud: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: ergo assensus Theologicus non potest guadere maiori certitudine, quàm premissa naturalis, ex qua deducitur; tunc sic. Sed assensus alicuius scientię naturalis possunt esse certiores, & evidentiores tali pręmissà naturali, ex qua deducitur conclusio Theologica: ergo & certiores, & evidentiores ipsa conclusione Theologica.

19. Respondetur: Quod licèt conclusio debeat esse minoris certitudinis, quàm duæ præmissæ, ex quibus deducitur; tamen non sequitur, illum non esse certiorem præmissà naturali seorsim sumpta, cum non procedat ab ea nisi vt coniuncta cùm alterà præmissà supernaturali de Fide, à qua quodammodo elevatur, tum ipsa præmissa naturalis educens, tum veritas conclusionis eductę.

20. Replicas: Præmissa supernaturalis cōiuncta præmissæ probabili neque elevat præmissam, vt pariat conclusionem evidentem, neque elevat conclusionem, vt sit evidens: ergo neque elevare poterit pręmissam naturalem evidentem ad assensum certiorem ipsa pręmissa naturali. Roboratur: vna præmissa evidens ordinis naturalis non elevat aliam probabilem ad certiorem assensum, quàm sit ipsa pręmissa probabilis: ergo nec præmissa supernaturalis poterit elevare præmissam naturalem evidentem ad certiorem assensum, quàm sit ipsa.

21. Respondeo ad replicam, & robur ipsius concedendo antecedens vtriusque, & negando consequentiam. Disparitas est: quia cum pręmissa probabilis ex se sit incerta, non est capax, vt per pręmissam vel supernaturalem, val evidentem naturalem elevetur ad inferendum certiorem assensum, quàm opinativum; cùm nequeat extrahi à propria linea, & sphera pręmissæ probabilis, & ità certò extraheretur, si induceret conclusionem evidentem. Præmissa tamèn naturalis evidens, cùm sit ex se certa, capax est huiusmodi elevationis ad educendam conclusionem certiorem, quin extrahatur à propria linea certitudinis; cum magis, & minus non varient species.

22. Obijcies vndecimo: firmiùs, & certiùs operantur intellectus, & voluntas, quandò operantur necessariò, & per modum naturę, quàm quandò operantur liberè; sed evidentia, & veritas naturalis facit intellectum operari per modum naturæ, & necessariò; non ità

ve-

Veritas principiorum Fidei: ergo scientię naturales firmiùs, & certiùs procedunt in suis conclusionibus, quàm Theologia innixa principijs Fidei.

23. Argumentum convincit, scientias naturales esse certiores Fide, cum hęc egeat pia affectione libera in suis assensibus; non ità scientię naturales. Vndè licèt assensus necessarius sit firmior, quàm liber, dum ratio assentiendi, & determinandi sit eiusdem ordinis, non tamen dum ità non est, sicut in assensu Theologicò innixo in pręmissa supernaturali, & de Fide, ad quem, licèt intellectus libere concurrat, firmiùs tamen, & certiùs. Vndè Augustinus lib. 7. Confess. cap. 10. ait: *Faciliùs dubitarem, me vivere, quàm esse vera, quæ audivi.* Sic quandò Deus operatur ad extra, licèt liberè, firmiùs tamèn operatur quacumque causà creatà operante necessariò.

QVÆSTTIO III.

DE OBIECTO THEOLOGIÆ.

1. SVppositâ ex principijs Logicę divisione, & distinctione obiectorum, quæ certè non parum hìc confunditur: omissàque varietate opinionum, quæ ex tali confusione procedit, & videri potest apud nostrum Leonar.

2. Prima Conclusio: Obiectum materiale Theologiæ *sunt Deus, eius attributa, Angeli, virtutes, & reliqua, de quibus ipsa agit.* Ità communitèr Theologi, & ad hunc sensum, meo videri, deducuntur sex Sententię à nostro Leonardo relatæ tract. 1. Sect. 2: in eis enìm videtur confundi obiectum materiale cum obiectò attributionis, & cum obiectò primario. Hac confusione ex principijs Logicę discussà: Obiectum materiale primarium, est illud, de quo primariò, & per se agit facultas in omnibus, vel in aliquo è suis tractatibus; sed Theologia agit primariò, & per se in varijs tractatibus de Deo, & eius attributis, de Angelis, & virtutibus: ergo, cum Deus dicitur obiectum primarium, & reliqua obiecta secundaria ab àliquibus DD. vel confunditur obiectum primarium cum obiectò attributionis, vel cum objectò primariæ dignitatis, & excellentię, & objecta secundaria cum objectis attributis, & minoris dignitatis. Cùm omnia æquè, per se, & primariò attingantur per varios tractatus.

3. Secunda conclusio: Objectum formale *sub quo*, seù ratio formalis sub *qua* Theologię *est ea capacitas, seu cognoscibilitas intrinseca obiecti materialis, vt ab eà cognoscatur.* Ità enìm se habent omnes rationes formales actuum, & scientiarum. Nàm sicùt cognoscibilitas, seù capacitas, vt ab intellectu aliquid cognoscatur, est ratio formalis, sub *qua* cognitionis, ità talis cognoscibilitas, seù capacitas est ratio formalis sub *qua* talis cognitionis; sed Theologia est talis cognitio, ex revelatis scilicèt: ergo ratio formalis

lis Theologiæ erit talis capacitas obiecti, vt ex revelatis cognoscatur.

4. Tertia conclusio: Obiectum attributionis, *est Deus secundum conceptum Deitatis.* Ità etiàm communitèr D. D. Quià, vt ex Logica constat, facultates solùm habent obiectum attributionis ab extrinseco, & illud dicitur ità, quod sit vnum ex obiectis materialibus, quo cum reliqua obiecta partialia habeant connexionèm, & ad quod reliqua, quæ in tali facultate tractantur, ordinentur ab Inventoribus scientię; sèd ità se habet Deus secundum conceptum Deitatis erga Theologiam: ergo. Minor probatione non indiget; cùm hoc constet ex ipso nomine *Theologia,* quę est scientia de Deo, & à Sanctis PP. August. & Thoma ad perfectam Dei cognitionem ordinentur omnia, quæ divisìm in Theologià tractantur: ergo.

5. Obijcies primo contra primam conclusionem: Nulla scientia probat existentiam sui objecti; sed Theologia probat existentiam Dei: ergo non habet pro obiecto Deum. Respondeo, minorem esse veram in scientijs inferioribus, non verò in superioribus; quales sunt metaphysica, & Theologia. Itèm potest dici; non Theologiam, sed Theologos probare existentiam Dei, non ex proprijs principijs, sed ex principijs metaphysicis, vndè Theologia eam non probat.

6. Obijcies secundo contra tertiam conclusionem: Obiectum attributionis continet saltèm in virtute omnes veritates ad scientiam pertinentes; sed Deus non continet omnes veritates ad Theologiam pertinentes: ergo.

7. Respondeo: maiorem esse falsam: non enim requiritur hæc præcontinentia, sed solùm quod ab Authore scientiæ omnia ordinentur ad perfectam illius obiecti cognitionem. Insupèr minor est obscura.

QVÆSTIO IIII.

AN THEOLOGIA SIT ADÆQVATè speculativa.

1. PRima sententia tenet, Theologiam esse simplicitèr practicam, quo cum optimè componitur, quod habeat aliquos actus speculativos minus principales. Ità Ric. & Bonav.

2. Secunda tenet: esse simplicitèr speculativam. Ità Henrriq. & Marc.

3. Tertia ait, neque practicam esse, neque speculativam, sed habitum affectivum, eo quod dirigat ad amorem Dei. Ità Ægydius, & Arg.

4. Quarta sententia, & nostra defendit, esse *partim practicam, & partim speculativam.* Ità Leon. Arriaga, & alij.

5. Probatur: Actus speculativus est, qui sistit in merà contemplatione sui obiecti, quin ex se dirigat ad eius effectionem, & actus practicus, qui in contemplatione sui obiec-

obiecti non sistit, sed vlteriùs dirigit ex se ad eius effectionem; sed Theologia habet plures actus sistentes in merà contemplatione obiecti, & plures dirigentes ad eius effectionem: ergo. Probatur minor quoad primam partem: Theologia habet plures actus attingentes Deum, eius attributa, mysterium Incarnationis, &c; sed hì actus consistunt in merà contemplatione suorum obiectorum, nec ad eorum effectionem dirigunt, vt patet: ergo. Probatur ea minor quoad secundam partem: Theologia habet plures actus, quibus attingit actus humanos, virtutes, vitia &c; sed hì actus non sistunt in contemplatione obiectorum, sed vlteriùs dirigunt ad eorum rectam effectionem, virtutum scilicèt, vel ad vitationem vitiorum: finis enim Theologorum à D. Thoma expressus in eà parte Theologię, quę dicitur *Moralis*, non est mera speculatio virtutum, sed directio humanæ voluntatis, ac conscientiæ, vt in hìs absque errore versetur: ergo.

6. Obijcies primo contra primam partem conclusionis: Theologia etiàm ea parte, quà contemplatur Deum, excitat ad amorem Dei. Item quæcumque cognitiones de Deo conducunt ad meritum, quod est aliquod opus: ergo sunt practicę.

7. Respondeo: transeat antecedens, & nego consequentiam. Ad cognitionem enim practicam non sufficit quæcumque ordinatio ad opus, sed debet esse ordinatio ab intrinseco: ità vt finis intrinsecus actùs sit opus, & quod fiat ex directione talis cognitionis. Non sufficit, quod opus sit finis cognoscentis, nec quod ab extrinseco ordinetur ad opus, qualitèr se habet Theologia, ea parte, quà terminatur ad Deum, quæ conducit ad amorem, & meritum ex fine, & ordinatione cognoscentis, non actuum, qui nullatenùs respiciunt pro obiecto amorem Dei, aut meritum.

8. Obijcies secundo contra secundam partem conclusionis: Actus virtutis non dirigitur à Theologia: ergo hæc circa illos non est practica. Antecedens probatur primo: Quià hì actus sunt supernaturales, & Theologia est naturalis. Secundo, quia tales actuales potiùs diriguntur à prudentia, & actibus Fidei, qui se habent vt præmissæ ad Theologicam conclusinem, quàm ab ipsa conclusione: ergo.

9. Respondeo: nego antecedens; ad primam probationem admitto pro nunc, Theologiam esse naturalem, de quo quęst. seq. quo admisso, talis conclusio esset practica. Primo: quià dirigeret ad actus naturales virtutum. Secundo: quià saltèm ex abundantia posset dirigere actus supernaturales, non se solà, sed prout coniuncta cum prudentia, & Fide supernaturali, eo modo, quo intellectus naturalis cum habitu supernaturali elicit actus supernaturales: eo modo, quo per vos præmissa naturalis cum alià compręmissa supernaturali dirigit ad con-

conclusionem Theologicam, quę est supernaturalis per vos; eo modo, quo in sententia Arriagæ imperium naturale voluntatis vnà cum pià affectione determinat intellectum ad assensum Fidei supernaturalem.

Ad secundam probationem respondeo, quod licèt ab actu Fidei (admisso quod sit practicus) dictante vniversalitèr, & ab actu prudentiæ dirigente quid hìc, & nùnc sit faciendum, sufficientèr dirigantur actus virtutum; ast simùl, & ex superabundantià concurrit actus, & conclusio Theologica, cum hæc directivo modo eas respiciat; sic, licèt vna causa, scilicèt ignis, sufficientèr producat alium ignem, si fortè alius tertius ignis applicetur, concurrit vtique, quià productivus. Quod respice in hoc syllogismo: *Supremo Domino debetur honor, & obedientia; sed Deus est supremus Dominus: ergo Deo debetur honor, & obedientia.* En licèt duæ præmissæ essent sufficientes pro directione actùs honorantis, & obedientis Deo, conclusio Theologica etiàm practicè concurrit, & dirigit ad talem actum.

11. Obijcies tertio: etiàm circa sacramenta, & actus humanos, habet Theologia plures actus speculativos. Respondeo, concedo antecedens, dummodo non negetur, habere alios practicos, ac proindè esse simul practicam, & speculativam, quod est intentum.

12. Obijcies quarto; practicum, & speculativum sunt species oppositę: ergo sicut rationale, & irrationale nequeunt coadunari in vno subiecto, ità neque practicum, & speculativum in eàdem Theologia. Respondeo ex dictis, tùm in Logica (quam simùl practicam, & speculativam defendimus) tùm in tractatu de Anima, vbi eundem actum posse simul esse scientiæ, Fidei, & opinionis asseruimus, distinguo antecedens: sunt species oppositæ ex se, nego: ratione diferentię tanteitatis, si fortè sint practicum tantùm, & speculativum tantùm, concedo. Vndè possunt coadunari, licèt per diferentias tanteitatis opponantur, vt practicum tantùm, & speculativum tantùm. Non datur paritas ad diferentias rationalis, & irrationalis, quę ex se, & ex proprijs definitionibus excluduntur, & opponuntur.

13. Obijcies quinto: ab obiecto primario dicitur aliqua scientia practica, vel speculativa, non ab obiecto secundario; sed obiectum primarium Theologiæ est Deus, non operabilis, & obiectum secundarium sunt virtutes, & Sacramenta operabilia: ergo ab illo, & non ab his dicenda est Theologia speculativa vnicè.

14. Respondeo: Hic confundi obiectum primarium cum obiecto principaliori, vel attributionis, & secundarium cum obiecto minùs principali. Vndè distinctione opus est. Distinguo maiorem: ab obiecto primario, id est, propriè, & immedia-

diatè cognito, concedo; & non ab obiecto secundario, idest, non propriè, sed tantùm mediatè cognito, concedo item: nego minorem quoad secundam partem in hoc sensu; quià virtutes propriè, simplicitèr, & immediatè tanguntur ab ea parte Theologię, quæ *Moralis* dicitur.

15. Nota, ex argumento inferri tantùm, Theologiam esse principalitèr speculativam, quod vtique libentèr concedo.

16. Obijcies sexto: Theologia ea parte, qua agit de peccatis, cum non dirigat ad peccati effectionem, non est practica. neque est speculativa, cum non sistat in eius contemplatione, sed vlterius progrediatur ad eius omissionem, quod non sufficit ad rationem practici; alias cognitio Theologica de pœnis inferni esset practica, cùm dirigat ad earum vitationem per actiones oppositas: ergo neque est practica, neque speculativa.

17. Respondeo: Tractatum de peccatis, ea parte, qua inducit eorum omissionem esse practicum: talis enim omissio est quædam moralis operatio, in cuius contemplatione nō sistit, quæ eam inducere tētat. Sic statuimus, Logicam sophisticam, quà intendit vitare sophismata, esse practicam. Ad probationem circa pœnas inferni, concede talem cognitionem Theologicam esse practicam ob eandem rationem.

18. Obijcies septimo ex P. Quiros: Non sufficit habere plures actus practicos, vel speculativos, vt aliqua scientia dicatur practica, vel speculativa. sed attendendum est ad finem intrinsecum scientiæ, seù obiectum vltimatè specificativum; hoc est, ad objectum, ad quod omnia alia ordinat. Si autèm finis sit purè speculabilis, & si habeat scientia plures actus practicos, erit speculativa, & non practica. Si tamèn è cōtra finis sit praxis, licèt habeat plures actus speculativos, erit practica, & non speculativa. Sic Medicina est purè practica, licèt habeat plures actus speculativos circa morbos, herbas, &c. Sed Theologia, licèt habeat plures actus tùm practicos, tùm speculativos circa varia obiecta, omnes ordinat ad Deum, vt ad vltimum finem, cuius perfectiorem cognitionem intendit: ergo est purè practica, & non speculativa.

19. Argumentum supponit, Theologiam alias vè facultates, & scientias habere ab intrinseco, & ratione sui aliquod obiectum attributionis, ad quod intrinsecè, & ex se ordinet reliqua objecta attributa, quod falsum est. Nàm ex Logica nostra suppono, scientias solùm ab extrinseco, & ex fine Inventorum gaudere attributionis objecto. Sed hoc admisso: argumentum vnicè probat, Theologiam principalitèr, & ex maiori parte esse speculativam; non tamen eam excludit saltèm minus principalitèr à ratione practicæ, cum gaudeat pluribus actibus practicis.

QVÆSTIO V.

AN CONCLVSIO THEOLOGICA SIT entitativè ſupernaturalis.

1. PRO hac concluſione, quæ inquirit de facto, & dependet à reſolutione aliarum conclusionum, priùs de poſsibili diſputandum eſt.

SECTIO I.

AN CONCLVSIO DEDVCTA EX vna, vel duabus præmiſsis ſupernaturalibus, poſsit eſſe ſupernaturalis, vel naturalis?

2. PRO ſtatu quæſtionis nota, concluſionem poſſe deduci ex premiſſa ſupernaturali, vel iuncta aliâ compremiſsâ ſupernaturali, vel iunctâ aliâ naturali evidenti, vel merè probabili. Extra controverſiam eſt (vnico reluctante Quiros) concluſionem deductam ex præmiſsâ ſupernaturali, & compræmiſsâ merè probabili non eſſe ſupernaturalem, cum ſit incerta, & fallibilis, & cognitioni ſupernaturali falſitas eſſentialitèr repugnet. Vndè tota controverſia devolvitur ad concluſionem deductam ex duplici præmiſſa ſupernaturali, vel vna ſupernaturali. & alia naturali, evidenti tamèn. In quo

3. Prima ſententia tenet, huiuſmodi concluſionem eſſe neceſſariò ſupernaturalem. Ità Molina, Fonſeca Phaſolus, quibus accedunt Canus, Zumel, Bonæſp. & alij apud Ripaldam, diſput. 55. de ente ſupernaturali ſect. 1. n. 20.

4. Secunda ſentententia ait: hanc concluſionem neceſſariò eſſe naturalem, ſivè ex vna, ſivè ex duplici præmiſsa ſupernaturali oriatur. Ità Exim. D., Vazquez, Coninc, Arrub. & alij apud Ripaldam ſect. 2. n. 9. quibus adde Bañez, Navarr. Joann. à Sancto Thoma, quos ſequitur, & citat Gonet diſput. de natura Theologiæ artic. 6. n. 61.

5. Tertia ſententia ſtatuit: concluſionem deductam ex duplici premiſſa ſupernaturali eſſe neceſſariò ſupernaturalem, deductam verò ex vna naturali, & aliâ ſupernaturali neceſſariò eſſe naturalem. Ità Granad. p. 1. tract. 1. d. 50. quem aliqui Recentes ſequuntur.

6. Dicendum cum omnibus, & contra omnes cum vnico tantùm, in omnibus ſap. P. Ripald. iàm citato ſect. 4. n. 16. (favet ex parte Gibon diſput. 2. dub. vlt. §. 4.) *concluſionem hanc, vel ex vnà tantùm, vel ex duplici præmiſsà ſupernaturali deducatur, poſſe, eſſe, & naturalem, & ſupernaturalem.* Probatur vniverſalitèr: omnis cauſa precontinens ſuà virtute aliquos effectus, præparante Deo concurſum, poteſt illos producere; ſed premiſſæ ſecundum ſe, vel vtraque ſit ſupernaturalis, vel vna tantùm, continent ſua virtute concluſiones tàm naturales, quàm ſupernaturales: ergo iuxta col-

collationem concursus Dei evadet conclusio: conferente Deo concursum merè naturalem, evadet conclusio merè naturalis; conferente verò auxilium supernaturale, evadet supernaturalis. Hæc probatio iterum inculcanda est, ideoque probo nunc primò in particulari primam conclusionis partem contra secundam sententiam: talem scilicèt conclusionem deductam ex duplici præmissa de Fide, & supernaturali posse esse supernaturalem, & non esse necessariò naturalem.

7. Non repugnat discursus supernaturalis: ergo neque conclusio supernaturalis. Discursus nanque suprà apprehensionem, & judicium solùm addit conclusionem. Antecedens probatur primò, à non assignabili repugnantia. Secundò, à paritate primæ, & secundę mentis operationis, apprehensionis scilicèt, & judicij, in quibus relucere potest supernaturalitas: ergo etiam in tertia, scilicèt discursu: nam sicut hìc supponit judicium ante se, ità judicium apprehensionem: ergo sicut hæc suppositio non obstat supernaturalitati judicij, ità nec obstabit supernaturalitati discursùs. Tertiò, à paritate electionis mediorum in voluntate, quæ se habet sicut discursus in intellectù, nam sicut discursus assentitur obiecto propter aliud, ità electio amat medium propter aliud. sed non obstante hac imperfectione in electione supponente intentionem, ex qua sequitur, est supernaturalis; ergo non obstante imperfectione conclusionis, quod scilicèt inferatur ex alio, erit supernaturalis. Quartò à definitione discursùs, quæ ità se habet: *Est processio, & consecutio vnius cognitionis ex alia.* Sed non repugnat processio, & consecutio vnius cognitionis supernaturalis ex alia supernaturali: ergo.

8. Quintò ex sententia Div. Thom. 3. p. quæst. 11. artic. 3. defendente: Christum Dominum pro sua voluntate potuisse vti discursu per actus scientiæ infussæ, qui sunt intrinsecè supernaturales, & hìs verbis, & hoc modo scientia animę Christi poterat esse collativa, & discursiva; poterat enìm ex vno aliud concludere, sicut sibi placuerat; quem in hoc sequuntur Cajet. Medina, Thomistæ communitèr, & ex nostris Tannèrus, & alij.

9. Probatur secundò conclusio: ex prę missis supernaturalibus evidentibus circa obiectum supernaturale deducitur aliqua conclusio evidens, vt ex se patet; sed hæc non esset naturalis; nam iuxta communiorem Theologorum sententiam obiectum supernaturale est etiam super omnem cognitionem evidentem naturalem: ergo erit supernaturalis.

10. Hinc iam probabitur primò contra tertiam sententiam, conclusionem deductam ex vna prę missa naturali, & alia supernaturali, posse etiam esse supernaturalem: Ex vna præmissa evidenti naturali, & alia evidenti supernaturali potest in-

inferri aliqua conclusio evidens de obiecto supernaturali; sed non esset naturalis ob rationem supradictam: ergo esset supernaturalis. Probatur maior: hæc propositio, *Deus nequit revelare nisi verum*, est evidens naturalis. Huic potest adiungi hæc, sed *Deus revelavit mysterium Incarnationis*, quæ est supernaturalis, & potest esse evidens; non enim repugnat evidentèr supernaturalitèr scire revelatum fuisse hoc mysterium; qua vtràque præmissa posita, infertur hæc consequentia evidens, ideoque supernaturalis, cum sit de obiecto supernaturali: ergo *mysterium Incarnationis est verum*.

11. Probatur secundò: in sententia Patris Arriagæ, & aliorum Imperium naturale voluntatis coniunctum cum affectione determinant ad assensum supernaturalem Fidei: ergo præmissa naturalis coniuncta cum supernaturali, poterunt ad conclusionem supernaturalem determinare. Insuper: in sententia Ripaldæ voluntas ex affectu naturali potest moveri ad amorem supernaturalem. Item sæpè fideles ex sola propositione naturali, quæ fit ministerio Agèntium naturalium excitantur ad cognitionem supernaturalem, qua vtràque motiòne posita, actum Fidei eliciunt: ergo similitèr excitata prẹmissa naturali, poterit alia supernaturalis excitari, & posita vtràque, poterit consequentia supernaturalis deduci.

12. Secunda pars conclusionis, scilicèt ex duplici præmissa supernaturali posse inferri conclusionem naturalem. Probatur primò pluribus paritatibus. Prima: tanta est dependentia amoris à cognitione, quanta conclusionis à præmissis; sed amor naturalis, v. g. beatificus, potest oriri à cognitione supernaturali, visione scilicèt intuitiva Dei: ergo. Secunda: virtutes acquisitæ, & actus indiferentes secundum speciem possunt imperari à virtutibus infusis supernaturalibus, cum amabiles sint propter finem virtutis infusæ, ad quem re ipsa conducunt; præsertim in sententia Ripaldæ, & aliorum non distinguentium fines intrinsecos virtutum infusarum & naturalium. Tertia: actiones naturales externæ, vt elargitio eleemosynæ, & cultus exterior Dei imperantur ab actibus supernaturalibus internis.

13. Quarta: cognitio probabilis, & naturalis fallitati subiecta potest imperari actu supernaturali: nam prudentia supernaturalis dictat studiositatem, & alias virtutes; assentiendum opinioni probabili, & agendum juxta illam, vbi notitia evidens nequit haberi. Quinta: assensus falsus propter revelationem Dei solùm apparentem est naturalis, & potest imperari ab affectu supernaturali piæ affectionis in sententia Coninc, & aliorum; sic scilicèt, quo revelatio falsa proponatur indivisibilitèr credibilis eisdem fundamentis, quibus vera proponitur. Ex quibus paritatibus satis efficacitèr infertur: posse vtique à prẹmis-

sis

sis supernaturalibus cōclusiones naturales imperari, & deduci. Ratio à priori est: quia præmissæ naturales continent per vos conclusionem supernaturalem: ergo & conclusionem naturalem. Probatur consequentia: præmissę naturales continent, & inferunt conclusionem naturalem: ergo & pręmissę supernaturales. Probatur consequentia: Præmissæ naturales, & supernaturales eandem identitatem extremorum cum tertio respiciunt. Conclusio naturalis, & supernaturalis eandem identitatem extremorum inter se inferunt, pręmissæ supernaturales sunt causę generis superioris: ergo si præmissę naturales inferunt conclusionem naturalem, eam vtique inferent superioris ordinis pręmissæ: ergo si præmissę supernaturales continent conclusionem supernaturalem superioris ordinis, & naturalem inferioris ordinis potiori jure continebunt.

14. Probatur conclusio contra P. Granad. tertiæ sententiæ Antesignanum. Conclusio deducta ex pręmissa naturali vna, & ex alià supernaturali potest esse naturalis: ergo similitèr conclusio deducta ex præmissa duplici supernaturali. Antecedens vltra quàm est sententia Gran. constat in conclusione deducta ex vna præmissa de Fide, & alià naturali probabili, quę utpotè probabilis, & falsitati exposita, est tantùm probabilis, & naturalis. Probatur consequentia: Ideò conclusio deducta ex vna præmissa supernaturali, & alià naturali, est naturalis; quia, eadem potest provenire, præcedente duplici principio naturali, nam si alitèr se haberet, peteret ex se principium supernaturale, & consequenter non esset naturalis; sed si conclusio semel proveniens ab vna præmissa supernaturali, esset indiferens secundum se, vt ab alià naturali proveniret loco illius, etiàm esset indiferens ea, quæ semel provenit à duplici præmissa supernaturali, vt proveniret à duplici naturali loco illarum. Nàm si conclusio non est alligata vni præmissarum, ex qua re ipsa procedit, non est quare alligetur duabus ex quibus reipsa colligitur: eadem enìm repugnantia est ad substituendum vnam pręmissam naturalem loco vnius supernaturalis, quę est ad substituendum duplicem: ergo. Tunc sic; sed conclusio indiferens vt deducatur ex principijs merè naturalibus, non est supernaturalis, sed naturalis, vt per se patet: ergo &c.

SECTIO II.

ARGVMENTIS PRIMÆ SENTENtiæ respondetur.

15. OBijcies primò: cognitio, quæ respicit motivum supernaturale, est supernaturalis; sed conclusio deducta ex duplici, vel vna præmissa supernarali, respicit motivum supernaturale: ergo debet esse supernaturalis. Minor quoad primam partem constat;

tat; motivum conclusionis realitèr est idem cum motivo præmissarum; sed si vtraque præmissa est supernaturalis, motivum vtriusque absque dubio est supernaturale: ergo. Quoad secundam probatur. Motivum assensùs vnionis extremorum inter se est vnio extremorum cum tertio; sed vbi vnum extremorum est supernaturale, tota vnio supernaturalis est, vt videre est in vnione Verbi cum humanitate, gratię cum anima: ergo.

16. In primis nego maiorem: potest enim cognitio naturalis attingere motivum supernaturale, & è contra cognitio supernaturalis motivum naturale. Ità Schotistę, Gab. Molina, Granad. Eryce, & alij apud Ripald. disput. 45. de ente supernaturali. Sect. 1. n. 3. Primum constat primò: in actu, quo Pelagius v. g. crederet mysterium Trinitatis ob testimonium Dei, qui juxta ferè omnium Theologorum sententiam est naturalis, cum sit actus hęretici negantis necessitatem gratiæ, & tamen respicit pro motivo testimonium Dei, quod est supernaturale. Secundò: ponamus, Petrum per actum probabilem naturalem cognoscere dona supernaturalia gratiæ, justitię, & amicitię Dei esse in Paulo (Nam licèt cognitione evidenti naturali, nequeant assequi dona supernaturalia propria vel aliena; nemo est, qui dubitet, cognitione probabili naturali posse assequi) quid prohibet, quod tunc Petrus amet Paulum actu naturali ob bonitatem supernaturalem illorum donorum, quę in ipso cognoscit? certè nihil. Tertiò: Beatitudo potest nobis proponi convenientissima per apprehensionem, aut iudicium probabile naturale, tunc enim ob bonitatem ipsius, quæ supernaturalis est, potest voluntas elicere actum complacentiæ, seù desiderij naturalis: ergo actus naturalis potest habere motivũ supernaturale.

17. Et è contra actus supernaturalis potest habere motivum naturale. Constat primò in scientia infussa supernaturali Christi Domini, qua cognoscebat non solùm in Verbo, sed in se ipsis vt in objecto formali naturali veritates naturales. Secundò: In bonitate Dei vt auctoris naturalis, quæ sicut potest excitare cognitionem supernaturalem sui, ità potest terminare amorem supernaturalem directum à tali cognitione. Tertiò: quia sicut actio supernaturalis tendit formalitèr in terminum naturalem, vt actio cognitionis supernaturalis in habitum, & species naturales; et vnio supernaturalis, vt hypostatica attingit formalitèr terminum naturalem, scilicèt humanitatem; quarè actus supernaturalis nõ poterit respicere formalitèr obiectũ naturale?

18. Insuper licèt motivum præmissarum sit supernaturale, motivum conclusionis potest esse naturale: nam motivum conclusionis non est formale, sed obiectum materiale præmissarum. Sed obiectum materiale præmissarum, sæpè est natu-

naturale; nam sæpe res naturales revelantur, v. g. existentia, intellectus, & voluntas Dei: ergo. Neque enim ego assensum præbeo huic conclusioni: ergo *Christus est risibilis*, v. g. ob revelationem, quę est motivum huius præmissæ: *Christus est homo*: sed quia omnis homo est risibilis, *& Christus est homo*, quod est obiectum materiale illius præmissę maioris. Vnde adhuc concessa maiori, negari potest minor argumenti.

19. Obijcies secundo: cognitio necessariò, & intrinsecè supponens principium supernaturale est supernaturalis; sed conclusio Theologica ità se habet: cum necessariò, & intrinsecè supponat præmissas, quarum saltèm vna est supernaturalis: ergo necessariò est supernaturalis.

20. Retorquetur argumentum in conclusione deducta ex vna pręmissa supernaturali, & alia probabili naturali, quæ etiàm supponit præmissam, & principium supernaturale, quin sit supernaturalis. Respondeo: concedo maiorem. Nàm cognitio ità se habens exigit necessariò aliquod principiū supernaturale, vel habet connexionem quidditativam saltèm mediatam cum gratia, quod iuxta varias sententias sufficit ad supernaturalitatem. Et nego minorem. Tum, quia sicut amor naturalis beatificus potest provenire ab alià cognitione præter visionem supernaturalem, à quà de facto provenit; ità conclusio ab alijs præmissis, naturalibus. Tum quia idem actus, qui elicitur præcedentibus præmissis, poterat, ipsis non præcedentibus, elici.

21. Obijcies tertiò, & simul replicabis: saltem connaturaliùs est, vt effectus sit supernaturalis, quandò principia sunt supernaturalia; sed vna ad minus ex his præmissis est supernaturalis: ergo saltèm connaturaliùs est, quòd conclusio sit supernaturalis.

22. Respondeo: nego maiorem vniversalitèr sumptam. Sæpè enim principia supernaturalia materialitèr causant effectum naturalem, vt causa superior, nempè substantia effectum inferiorem, nempè accidens; sic visio beata connaturalitèr causat amorem naturalem Dei, actus supernaturalis habitum, speciem, & cognitionem reflexam sui naturalem iuxta varias sententias. Insuper nota: non esse idem, aliquid supernaturale magis proportionato, & naturali modo fieri; ac fieri necessariò. Exemplum sit. Magis proportionato, & naturali modo fit actus supernaturalis per auxilium intrinsecum, non tamen necessariò; sic actus charitatis, quo se ad justificationem disponit Peccator, fit per auxilium extrinsecum. Ratio est: quia in linea supernaturalitatis non servatur ordo naturæ.

23. Obijcies quartò: conclusio hęc ità deducta est certa & evidens: ergo non est naturalis. Omnis namque certitudo naturalis fundatur in evidentia: ergo si illa est certa, & non fundatur in evidentia, eius cer-

certitudo erit supernaturalis.

24. Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Probationem distinguo: omnis certitudo cognitionis immediatæ fundatur &c, concedo: mediatæ, nego. Cognitio nanque mediata independentèr à propria existentia habet vndè accipiat certitudinem, nempè à ductu pręmissæ supernaturalis, cui falsitas repugnat.

25. Replic. primò: ergo certitudo actus erit extrinseca, & accidentalis illi. Cum hęc conclusio iuxta dicta possit vel fieri, nullis præmissis prælucentibus, vel saltem non pręlucentibus hìs supernaturalibus certis, sed alijs naturalibus incertis.

26. Respondeo: concedo totum. Nàm certitudo actus stat in eo, quod subiectum iudicet, alitèr se habere non posse. Et hunc conceptum habet fidelis in conclusione deducta ex duplici præmissa de Fide, vel vna de Fide, & alià evidenti naturali ex pio affectu, eo quod iudicet, periclitari Fidem, si dissentiatur propositioni deductę evidenter ex duabus, vel ex vna præmissa de Fide. Et quia agnoscit, quod, si deficeret obiectum materiale cōclusionis, per connexionem deficeret obiectum revelatum; & cum sciat, hoc non posse deficere, certificatur de conclusione. Quod totum deficeret, casu quo talis conclusio, vel oriretur alijs præmissis, vel staret sine illis.

27. Replicabis secundo: idem actus per me nequit transire de vero in falsum, & è contra: ergo neque eadem conclusio de certa in incertam, & è contra; ac consequentèr certitudo est intrinseca actui, illique ab extrinseco non prevenit.

28. Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio disparitatis est: quia veritas, vel falsitas actus est conformitas, vel difformitas ipsius cum suo obiecto. Cum ergo actus nequeat obiectum mutare, neque repræsentationem; inde est, quod nequeat de vero in in falsum transire. At verò cum certitudo actus dependeat à subjecto, & hìs, vel illis extrinsecis circunstantijs, potest transire de certo in incertum, & è contra, si dificiant, vel adsint circunstantiæ certificantes.

29. Replicabis tertiò: conclusio evidens deducta ex duplici pręmissa evidenti non est indiferens, vt deducatur ex duplici inevidentia vndè nec est indiferens, vt sit evidens, sed necessariò est evidens: ergo conclusio deducta ex duplici præmissa certa, non est indiferens, vt deducatur ex aliqua incerta, vnde nec est indiferens, vt sit incerta, sed necessariò est certa.

30. Respondeo: transeat antecedens, in quo aliqua examinari poterant, & nego consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis est. Quod cum propositio evidens necessitet intellectum ad assensum, eo quod pateat veritas, & connexio pręd icatorum, eo ipso quod sit evidens, nec intellectus eget alio iuva-

vamine ad assensum evidentem, nec propositio potest ex alijs pręmissis inevidentibus inferri. Ast in propositione obscura, cum non pateat certitudo, eget intellectus ad assensum certum recurrere ad præmissas, vel præmissam supernaturalem, incuius motivo indefectibili, & connexo cum conclusione, certificetur; potestque apud me transire de certa in incertam, & de his præmissis ad alias.

31. Obijcies quintò: quod præcedentibus præmissis supernaturalibus conclusio evadat supernaturalis dependet à concursu Dei determinante per nos. Si concursus fuerit naturalis, conclusio ità erit. Si fuerit per auxilium supernaturale, conclusio supernaturalis evadet; sed præcedentibus præmissis supernaturalibus, nequit Deus ex natura rei non pręstare auxilium supernaturale: ergo.

32. Respondeo: nego minorem, cuius falsitas patet in exemplis nostræ probationis. Sic præcedente vissione beatifica, & cognitione supernaturali, ex natura rei confert Deus concursum naturalem pro amore naturali, & specie impręssa naturali. Ratio est: quia cum præmissæ supernaturales ex natura rei contineant æque naturalitèr conclusionem naturalem, & supernaturalem, potest Deus attentis naturis rerum, vnum, vel alterum concursum præbere pro suo libito, & consequenter pro eodem vnum, vel alterum negare. Respondeo secundo; (ni velis cum Patre Ripalda respondere) Deum vtrumque concursum parare, & naturalem, & supernaturalem, & consequenter duas conclusiones inferri, vnam naturalem, & aliàm supernaturalem; sicut in reliquis actibus voluntatis semper, iuxta hunc sapientissimum Doctorem, asociatis, supposita electione naturæ ad ordinem supernaturalem.

33. Obijcies sexto: De obiecto supernaturali nequit dari evidentia naturalis: ergo præmissæ supernaturales evidentes de obiecto supernaturali necessariò inferent conclusionem supernaturalem, cum necessariò inferant conclusionem evidentem.

34. Respondeo, concedo totum. Nos enim, hic non loquimur de his pręmissis, sed vel de præmissis supernaturalibus obscuris de obiecto supernaturali, vel de præmissis supernaturalibus evidentibus de obiecto naturali.

SECTIO III.

ARGVMENTA SECVNDÆ, ET tertiæ sententiæ solvuntur.

35. OBijcies septimò pro secunda sententia, intendens probare, eam conclusionem esse necessariò naturalem. Et si præmissę sint supernaturales, principium immediatum conclusionis est naturale: est namque cognitio reflexa bonitatis illationis ex præ-

præmissis; sed hæc reflexio est naturalis, naturalitèr nanque cognoscimus, quod bonum, vel malum est: ergo.

36. Respondeo, negando ex tractatu de prioribus, & posterioribus, requiri cognionem eam reflexam de bonitate illationis. Insupèr: & si ea concurrat, & sit naturalis, si fortè conclusio exigat intrinsecè eas præmissas supernaturales (vt potest exigere) erit supernaturalis, vel si fortè Deus concurrat auxilians supernaturalitèr ad illam. Nàm ad actum supernaturalem non requiritur, quod omnia comprincipia sint supernaturalia.

37. Obijcies octavo: quod est debitum naturę, est necessariò naturale; sed positis duabus pręmissis, conclusio indè deducta est debita intellectui, qui est natura: ergo.

38. Confirmatur: species impressa, & cognitio reflexa actuum supernaturalium est naturalis, quia eis suppositis, debetur intellectui, & species, & reflexio, cum habeat jus ad reminiscentiam, & reflexionem suorum actuum, de quibus naturalitèr rationem reddit, si rogetur; sed positis præmissis supernaturalibus, intellectus habet jus ad conclusionem, cum necessariò inferatur: ergo.

39. Respondeo: distinguo maiorem: quod est debitum naturę, est necessariò naturale, si sit debitum naturæ secundum se, concedo: si sit debitum naturę vt elevatæ per aliquod principium supernaturale elevans, & confortans, quod sit ratio formalis totius debiti, nego. Sic visio beata debetur intellectui vt elevato per lumen, & quia ità debetur, & lumen est tota ratio debitì, est supernaturalis. Cum ergo conclusio hæc debeatur intellectui vt elevato per pręmissas supernaturales in genere causę directivę concurrentes, & per habitum Fidei in genere causæ effectivæ, vndè tota ratio debiti sunt ipsæ præmissę supernaturales; indè est, quod non sit naturalis necessariò.

40. Ad confirmationem respondeo (admisso quod tales species, & reflexiones sint naturales, quod negant Coninc, & alij) tales species, & reflexiones esse naturales, quia debentur naturæ secundum se, & absque vlla elevatione. Constat enim experientià, adhuc pereuntibus actibus supernaturalibus, conservari à sola natura species eorum & elici cognitiones reflexas, & rememorativas, nullo principio intellectum elevante, & confortante. Alitèr autem evenit in conclusione hac, quæ nequit elici, aut conservari sine aliqua præmissa supernaturali, & auxilio elevante ad eius elicientiam.

41. Replicabis: cognitio rememorativa de actibus supernaturalibus, licèt dependeat ab illis, est naturalis: ergo conclusio hæc, licèt dependeat à pręmissis supernaturalibus, erit naturalis.

42. Respondeo, dependentiam à re supernaturali præcipuè, vt à purè obiec-

obiecto nullatenus arguere supernaturalitatem. Constat experientia in odio Dæmonis de gratia, & gloria: in actibus naturalibus Heretici circa mysteria Fidei, & alijs innumeris. Nec dependentia illa supernaturalitaté arguit: vt constat in conclusione deducta ex vna prçmissa supernaturali, & alia probabili, quæ naturalis est, & dependet à tali prçmissa supernaturali. Dependentia ergo, quæ arguit supernaturalitatem in effectu, est dependentia determinata, vt à principio elevante, & confortante ex exigentia effectùs. Hoc enim arguit, effectum alitèr fieri non posse; ac proinde est suprà vires naturç, quod est, esse supernaturale, qualitèr se potest habere conclusio deducta ex duplici, vel ex vna prçmissa de Fide, & alià evidenti naturali.

43. Instabis: actus supernaturalis causat effectivè speciem sui: ergo non se habet vt purè obiectum.

44. Respondeo: admisso antecedenti, quod negat Arriaga indicans, eas species sicut Angelicas, à solo Deo produci, nego consequentiam: quia munus puri obiecti est causare speciem sui, ac proinde & si eam causet, actus supernaturalis, se habet, vt purè obiectum.

45. Obijcies nono: licèt conclusio supponat per se determinatè, & intrinsecè præmissas supernaturales, non infertur esse supernaturalem. Nàm præmissç non influunt efficientèr in cóclusioné. Actus ergo supernaturalis debet esse à principio efficienti supernaturali: ergo ex suppositione intriseca præmissarum non infertur supernaturalitas conclusionis.

46. Respondeo: quod eo ipso, quod aliqua conclusio intrinsecè, & determinatè suponat prçmissas supernaturales, infertur; habere aliquod principium efficiens supernaturale, à quo fiat. Nàm ex tali intrinseca, & determinata suppositione colligitur, esse talis conditionis, vt superet vires activas naturæ, egereque aliquo comprincipio supernaturali elevante, & confortante. Sic ex eo, quod aliquis actus voluntatis nequeat fieri sine auxilio prçvio supernaturali, licèt hoc solum illuminativè, & directivè influat, infertur, habere aliquod principium supernaturale efficiens, sivè intrinsecum, sivè extrinsecum.

47. Obijcies decimo: obiectum formale talis conclusionis non est supernaturale: ergo nec ipsa est supernaturalis. Probatur antecedens. Connexio cum præmissis est obiectum formale conclusionis; propter connexionem nanque cum præmissis assentitur intellectus conclusioni; sed hæc connexio est naturalis, naturalique ratione cognita: ergo.

48. Respondeo: Adhuc concesso antecedenti, non inferri consequentiam. Nàm, vt diximus in responsione ad primum argumentum, potest actus supernaturalis terminari ad obiectum formale, & è con-

contra. Hoc responde. Vel nega antecedens, quia connexio obiectiva præmissarum cum conclusione ab ipsis premissis non distinguitur. Vndè cum vtraque præmissa est supernaturalis, connexio vtriusque cum conclusione, erit supernaturalis. Vel adhuc permisso, quod talis connexio præmissarum sit naturalis, nego hanc connexionem esse obiectum formale intrinsecum conclusionis, sed solùm extrinsecum. Obiectum verò formale intrinsecum est ipsamet conclusio obiectiva, quæ si deducatur ex duplici præmissa supernaturali, potest esse supernaturalis.

49. Obijcies vndecimò pro tertia sententia: *Conclusio sequitur debiliorem partem*: ergo quando vna ex præmissis est naturalis, nequit conclusio non esse naturalis juxta debilitatem ipsius.

50. Respondeo: distinguo antedens: in omnibus nego; in aliquibus, concedo. Sic sæpè debilior præmissa est singularis, & negativa, & tamen conclusio est particularis, & affirmativa: ità se habet supernaturalitas conclusionis respectu præmissarum. In alijs verò sequitur conclusio debiliorem partem, nempè, in falsitate, aut incertitudine. Vndè, si vna ex præmissis est falsa, vel incerta, licèt alia sit vera, & certa, conclusio etiam est falsa, vel incerta. Ratio est: quia, cum conclusio assentiatur identitati extremorum inter se, ob identitatem eorum cum tertio, si ratione falsitatis vnius præmissæ est falsa identitas extremorum cum tertio, falsam vtique reddit formalitèr identitatem eorum inter se, vel si ratione incertitudinis vnius præmissę, est incerta identititas extremorum cum tertio, incerta vtique erit formalitèr identitas eorum inter se.

51. Obijcies duodecimo: præmissæ sunt certiores conclusione, vel adminus conclusio nequit esse certior præmissis: ergo quando vna ex præmissis est naturalis, nequit esse conclusio supernaturalis; aliàs esset certior prçmissis.

52. Respondeo: distinguo antecedens quoad secundam partem; conclusio nequit esse certior præmissis, certitudine obiectiva, seù adhæsiva concedo: certitudine sumpta ex principio, seù inhæsiva, nego. Cum enim intellectus assentiatur huic obiecto, scilicèt identitati extremorum inter se, vt propositum per obiectum præmissarum, scilicèt ob identitatem eorum cum tertio, nequit maiorem securitatem quasi sensibilem experiri intellectus in obiecto conclusionis, quàm in obiecto præmissarum, vndè vtrique obiecto æqualitèr adhæret. Ast, cum conclusio, si sit supernaturalis, habeat principium perfectius, quod nequit actum falsum producere, habeatque ratione proprię perfectionis, scilicèt supernaturalitatis intrinsecam, & imperceptibilem connexionem indefectibilem cum obiecto, quà caret præmissa naturalis, quæ neque gaudet hac intrnseca con-

connexione, cum sit fallibilis, neque hoc principio impotente producere falsum; inde est, quod conclusio ex cedat in hac certitudine præmissam. Ni velis dicere cum Capreol. Zumel. Valent. Arrub. & Albert. conclusiones non esse certiores præmissis eiusdem ordinis, conclusiones naturales præmissis naturalibus, conclusiones supernaturales præmissis supernaturalibus. Ast verò, variato ordine, conclusiones supernaturales esse certiores præmissis supernaturalibus.

SECTIO IIII.

PRINCIPALI QVÆSITO sit satis.

53. STabilito iam de possibili, conclusionem deductam ex duplici præmissa supernaturali, vel ex vna supernaturali, & alia naturali evidenti posse esse vel naturalem, vel supernaturalem, determinationemque provenire à concursu Dei, cum de concursu Dei hìc, & nunc nobis non constet. *Quis enìm conciliarius eius fuit.* Dubium relinquendum videbatur: An de facto conclusiones Theologicę sint naturales, vel supernaturales? Sed ne in tali indecisione ab vsu Scholarum exorbitem, attentis principijs Theologicis, discurrere conabor. In hoc

54. Prima sententia tenet Theologiam esse supernaturalem. Ità PP. Molina, Fonseca, Gilius, Recentes ferè omnes, quibus adde Zumel, Bonæspei, & alios; cum Magistro Lumbier q. 4. de Script. Sacra artc. 9. n. 52.

55. Secunda sententia statuit: esse entitativè naturalem. Ità Vazquez Arrub. Meracius, Bañez, & Thomistæ.

56. Dicendum cum omnibus & contra omnes: *Theologiam esse partim naturalem, & partim supernaturalem.* Sed ante conclusionis probationem nota, conclusiones, quę deduci queunt ex principio revelato aliquas posse deservire ad benè operandum, & excitare affectum bonum, & meritorium in voluntate, alias verò inutiles esse adhunc finem. V. g. si ex propositione revelata, quòd *Salomon habeat multos equos,* & ex alia præmissa phylosophica, quòd *omnis equus sit hinnibilis,* inferatur, *equos Salomonis fuisse hinnibiles.* Hęc certè conclusio licèt Theologica sit, nil deservit ad actum voluntatis meritorium, cum nil proponat honestè amandum, nec aliquod obiectum, circa quod excitetur per se, & ex se affectus pius, & honestus voluntatis. Aliæ tamen sunt conclusiones vtiles ad eum finem. V.g. si ex vniversali revelata, quod bonum est subvenire indigenti, vel corrigere peccantem, vel quod omnia mala physica proveniant ex Providentia Dei, videns quis proximum indigentem, vel peccantem, vel experiri se paupertatem, vel infirmitatem pati, inferat per discursum: bonum

num esse ei subvenire, vel eum corrigere, vel hæc mala provenire ex Dei Providentia. Conclusionum harum assensus vtilis est ad voluntatem bonam proximo subveniendi, eum vè corrigendi, ea vè mala, patientèr substinendi. Hac diferentia supposita.

57. Probatur Primò conclusio: conclusiones, ex quibus componitur Theologia partim sunt naturales, partim verò supernaturales: ergo Theologia partim est naturalis, & partim supernaturalis. Probatur antecedens; conclusiones, ex quibus componitur Theologia partim sunt vtiles ad benè, honestèque operandum, ad excitandum affectus honestos, & meritorios in voluntate: partim inutiles ad hunc finem; sed conclusiones primi generis sunt supernaturales: ergo. Maior est certa. Omnes nanque conclusiones deductæ ex revelato sunt Theologicæ; sed plures deductæ ex revelato sunt inutiles, vt constat in ea de equis Salomonis: ergo.

58. Probatur minor: quod conclusiones Theologicę sint naturales, vel supernaturales provenit, juxta dicta sectione antecedenti, à concursu Dei, vel naturali, vel supernaturali, cum à præmissis possint indiferentèr elici; sed ad conclusiones vtiles, quę vltimò, & proximè movere possint ad rectè, honestèque operandum concurrit Deus auxilio supernaturali, & ad conclusiones inutiles ad hunc finem concursu merè naturali; ergo. Probatur minor quoad primam partem: positis conclusionibus, quę vltimò, & proximè movere possint voluntatem ad rectè, honestèque operandum, ipsa potest moveri, sępèque movetur ad actus supernaturales vtiles, & conducentes ad vitam æternam. V. g. posita hac conclusione Theologica: *Bonum est huic homini subvenire* deducta ex his præmissis. *Deus revelavit, bonum esse pauperi subvenire; sed hic homo est pauper*. Potest voluntas detèrminari, & sæpè detèrminatur ad hunc actum supernaturalem: *Volo huic pauperi subvenire*: ergo talis conclusio est supernaturalis, proindeque ad eam Deus concurrit supernaturali concursu. Antecedens est certum. Si quidem, supposita elevatione naturæ iuxta providentiam ordinariam, quoties se offert occasio negotiandi per actus vtiles, & salutares, præsto adest gratia auxilians ad tales actus, nè penès Deum sit carentia provectùs, & profectùs; sed casu posito, & alijs similibus se ofert talis occasio: ergo pręsto adest gratia supernaturalis auxilians.

59. Probatur consequentia illius primi antecedentis iam probati: actus determinans ad talem volitionem est ea conclusio: ergo ea conclusio est supernaturalis ac proinde ad eam Deus auxilio supernaturali concurrit. Antecedens supponitur: de eis enim actibus loquimur. Consequentia patet; omnis actus voluntatis supernaturalis prærequirit cognitionem superna-

tu-

turalem obiecti, quæ sit eiusdem ordinis cum ipsa; sed cognitio præcedens ad illum actum voluntatis supernaturalem, quo subvenire volo huic pauperi, est illa conclusio Theologica proponens bonitatem eleemosynæ hìc, & nunc, & movens, aut determinans ad illam: ergo talis conclusio erit supernaturalis, consequentèrque Deus ad hanc, & alias huiuscemodi auxilio supernaturali concurret, & non naturali.

60. Probatur nunc minor illa bipartita, quoad secundam partem, quod scilicèt conclusiones inutiles ad bonum opus sint naturales: habitus infusi, auxilia supernaturalia, & concursus supernaturalis, non conferuntur à Deo, nisi ad actus meritorios beatitudinis supernaturalis, ad quam sumus ordinati, disponentes per meritum de congruo ad iustificationem, augentes per meritum de condigno gratiam, quæ est semen gloriæ supernaturalis, præcipuè, quandò nullum agens creatum nec naturale, nec supernaturale obligat ad talem concursum, habitum &c; sed conclusiones inutiles ad finem honeste operandi, nec sunt meritoriæ beatitudinis supernaturalis, nec disponunt ad iustificationem, nec augent gratiam, nec conducunt ad aliquid ex his. Item nec præmissæ supernaturales obligant ad talem concursum, cum aliàs concursu naturali sint contentæ: ergo. Consequentia deducitur. Minor est certa, maior regula Theologorum.

61. Confirmatur ad hominem contra Cardin. de Lugo: qui licèt asserat, omnes conclusiones Theologicas esse supernaturales, pro vtilibus requirit habitum infusum Theologicum particularem, non tamen pro inutilibus, quia vtiles conducunt per se, & determinant ad actus supernaturales voluntatis, non tamen inutiles & habitus infusi non dantur, nisi ad actus conducentes ad vitam æternam. Sed similitèr auxilia, & concursus extraordinarius Dei in hac providentia non dantur, nisi ad actus similitèr conducentes ad vitam æternam, ad quam conducunt conclusiones vtiles, & non conducunt inutiles, vt per se patet: ergo.

62. Inferes; Theologiam ea parte, qua dicitur practica, præcipuè, qua agit de virtutibus, & vitijs, cum dirigat ad actus virtutum, odium vitij &c. communitèr esse supernaturalem. Ea verò parte, qua est speculativa etiam habere plures actus supernaturales. Nàm licèt ex fine intrinseco non sint directivi, sæpè providet Deus ex fine extrinseco, eis se determinaturos homines ad effectus voluntatis, vt ex cognitione Vnitatis Dei, attributorum ipsius, vel mysterij Trinitatis, ipso David dicente: *In meditatione mea exardescit ignis*: id est, affectus voluntatis: & cum ad omnes actùs voluntatis supernaturales debeant prælucere cognitiones spirituales, confert Deus supernaturales vires intellectui, vt inferat conclusiones supernaturales, omissis naturalibus.

Vndè

Vndè Theologia maiori, & principaliori ex parte, est supernaturalis.

SECTIO V.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

63. Obijcies Primò: Theologiam annumerat Isaìas inter dona Spiritus Sancti, nam dum numerat cap. 11. *Spiritus sapientiæ, intellectus & scientiæ*: PP. apud Cornel. interpretantur de triplici Theologia Scholastica, expositiva, & Morali: ergo eam iudicat supernaturalem. Item Paulus primà Chorint. 12. sic enumerat dona Spiritus Sancti: *Alij datur sermo Sapièntiæ. Alij sermo scientiæ Alij interpretatio sermonum.* Vbi Sanctus Augustinus lib. 12. de Trinitate cap. 14. per duos priores sermones intelligit & Theologiam Scholasticam de divinis mysteijs, & moralem de moribus. Insuper S. Thomas in proœmio Theologię. art. 2. appellat, Theologiam *Scientiam revelatam, & divinitùs inspiratam*. Et art. 3. ad secundum asserit *illam esse veluti quandam impressionem divinæ Scientiæ*. Ex quibus auctoritatibus infertur; Theologiam esse adæquatè supernaturalem cum de Theologia sine vlla taxatione loquantur.

64. Respondeo ex his, alijs vè authoritatibus solùm deduci, quod dicebamus; Theologiam scilicèt principaliori, & maiori parte esse supernaturalem, de qua solùm ibi loquuti sunt Sacri Scriptores, & Interpretes. Jmò hinc duplex argumentum in nostrę conclusionis favorem eformatur. Primum: indè inferunt Sancti Patres, & Interpretes Theologiam esse donum Spiritus Sancti, & supernaturalem, quià inducit ad benè operandum. Vnus pro hoc sufficiat. Prosper. lib. 1. de vitę contemplat. cap. 9. vbi suprà hęc verba loquutus ait: *Datur intelligi, quod non Fides ex intellectu, sed ex Fide intellectus existat, nec qui intelligat, credat, sed qui credit, intelligit, & qui intellexerit benè agat, ac per hoc vt benè agat, quis intelligere studeat*: ergo hoc Theologicum intelligere, quod supernaturale censetur, & inter dona Spiritus Sancti annumeratur est quod conducit ad benè operandum, & quia ad benè operandum conducit: ergo intelligere quod ad benè operandum non conduxerit, supernaturale non censebitur: ac proinde cognitiones Theologicę inutiles ad hunc finem non erunt supernaturales, sed naturales.

65. Secundum argumentum sit: Ipse Angelicus Præceptor in prologo Sententiarum art. 3. q. 2. & 1. part. q. 1. art. 6. arg. 3. ait: Theologiam esse habitum acquisitum, & non infussum, quem de habitu naturali interpretantur omnes eius Discipuli: Ergo ne dicamus Sanctum Doctorem sibi contradicere, stabiliendum est; indicasse, Theologiam esse partim supernaturalem, de hacque loquutum suisse

se

ſe in argumento, dum ait: *Eſſe divinitùs inſpiratam, & impreſsionem divinæ Scientiæ.* Et partim *naturalem*, de hacque loquutum dum ait, *non eſſe habitum infuſſum, ſed acquiſitum.*

66. Obijcies ſecundò: ſi de facto eſſent ſupernaturales aliquę concluſiones Theologię, daretur hominibus aliquis habitus infuſſus Theologiæ ad eos actus, ſicut dantur ad reliquos actus virtutum, nempè Fidei, Spei &c; ſed non dantur: ergo. Prob. min. 1. ſi talis habitus daretur, daretur ſimul cum gratia iuſtificante, ſicut reliqui habitus; ſed non datur: ergo. Probo minorem: Plures homines ruſtici prędìti ſunt excellenti gratia, & Fide, non tamèn Theologia, Aug. lib. 14. de Trinitate cap. 1. dicente: *Hac ſcientià non pollent Fideles plurimi, quamvis polleant ipsà Fide plurimùm.* Prob. 2. ſi talis habitus daretur, eſſet virtus Theologica, & conſequentèr præter tres virtutes Theologicas à DD. aſsignatas, daretur alia quarta, quod rectè affirmari nequit: ergo.

67. Doctor Schot. negat ſequelam; iudicat enìm, non neceſſarium talem habitum, ſed habitum Fideî ſufficienter influere in concluſiones Theologicas. Pater Molina aſſerit pro talibus actibus habitum ſupernaturalem non infuſſum, ſed acquiſitum. P. Ripal. recurrit ad auxilium extrînſecum; habitus enìm infuſſi ſolùm dantur pro actibus communibus omnibus juſtis; ſed concluſiones Theologicæ non gaudent hac communitate: ergo.

68. Ego verò reſpondeo, tranſeat maior: & nego minorem. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens quoad ſecundam partem: non tamèn Theologià diſputatrice, & ad Scholas ſpectante, concedo: non tamèn Theologià habituali doctrinali, ſubdiſtinguo: non tamèn Theologià proximà, & expeditâ, concedo: remotà, & quoad ſubſtantiam, nego. Et ità interpretandus eſt Auguſt. ſcilicèt plures Fideles pollere gratià, non tamèn Theologià diſputatrice, quæ ad Scholas ſpectat, & comprehendit concluſiones, quæ ex alterà præmiſſarum ſcientificà, & eas, quę ex alterà præmiſſarum probabili colliguntur: nam cum principia ſcientiæ, & opiniones Scholaſticę ſolùm Sapientibus, & non juſtis communes ſint, ſolis Sapientibus tales concluſiones communes ſunt. Hæcque ſapientia, ſeù Theologia diſputatrix probabilitatibus implicata, non eſt habitus infuſſus, nec ſupernaturalis, ſed quædam collectio ſpecierum naturalium, quę referunt myſteria Fidei, principia naturalia evidentia, vel probabilia ſolis Sapientibus manifeſta, & veritates illas, quæ ex his reconditis Fidei principijs deducuntur. Vel eſt habitus à ſpeciebus diſtinctus reddens potentiam intellectivam, promptam, & expeditam ad eos aſſenſus Theologicos præſtandos. Hac enim Theologia

non pollet Justus.

69. Pollet verò alia Theologià habituali infusà, qua potens est assensum præbere, positis duabus præmissis vel de Fide, vel vna de Fide,& alià evidenti naturali. Quilibet nanque Justus intrinsecè potens est, auditis his duabus præmissis: *Quilibet ritè consecratus habet potestatem absolvendi; sed Apostoli sunt ritè consecrati*: elicere hunc assensum Theologicum: *Apostoli habent potestatem absolvendi*. Vndè quilibet Justus est Theologus habitualitèr, Theologià tamèn non proximà, & expedità, sed remotà: quià licèt habeat habitum infussum Theologicum, quo, si assentiretur priùs principijs Fidei, assentiretur explicitè vtique conclusionibus Theologicis indè deductis;attamèn, cum non cuilibet Justo, si aliàs homo literatus non sit, innotescant omnia principia Fidei, tùm, quę continentur in vtroque Testamento novo, & veteri; tum capita conciliorum; tum definitiones Ecclesię, ex quibus conclusiones Theologicæ deducantur; non quilibet Theologus, nisi sit literatus, excercet expeditè, & proximè illum habitum. Sicut etiàm si in omnibus Fidelibus detur habitus Fidei infussus, ex deffectu notitiarum, eum æquè non excercet Rusticus, ac literatus. Cum ergo iuxta vulgarem acceptionem non dicatur Theologus, qui vnam, vel alteram conclusionem colligit ex mysterio vnitatis Dei, Trinitatis Personarum, Incarnationis,& aliorum, quæ continentur in Symbolo, sed qui lectione Scripturarum, Conciliorum vsu, opinionum discussione, Patrum testimonijs instructus discurrit, & colligit; inde est, quod Justus vi solius habitùs infussi, Theologus vulgaritèr non dicatur.

70. Ad secundam probationem respondetur in varijs principijs. Si cum Schoto dicatur, non dari habitum Theologicum, sed vnicè habitum Fidei concurrere ad conclusionem, cessat argumentum. Si cum Molina dicatur, esse habitum acquisitum, cessat etiàm: nam virtutes Theologicæ non sunt acquisitæ, sed infussæ. Si tamèn cum Card. de Lugo admittamus habitum infussum Theologicum includentem habitum Fidei, ab eoque distinctione includentis ab inclusso distinctum; dic, habitum Theologicum inadæquatè esse virtutem Theologicam, non tamen quartam, sed indistinctam à Fide: id tamèn, quod addit suprà habitum Fidei, non esse virtutem Theologicam. Cōclusio namque,eà parte, qua provenit ab eo habitu prout à Fide condistincto, non attingit veracitatem Dei, sed vel obiectum alterius præmissę naturalis, vel illationem conclusionis ex præmissis, quę non sunt, formalitèr loquendo, obiecta virtutis Theologicæ.

71. Obijcies tertiò: Si talis conclusio esset supernaturalis in peccatore (in quo non datur habitus infussus Theologicus, saltèm solum

lum id, quod superadditur habitui Fidei) fieret per auxilium extrinsecum complens potentiam loco habitùs; sed hoc non est dicendum, nec recurrendum ad extraordinarium modum operandi in Deo: ergo.

72. Retorqueo: Si actus, per quem homo vltimò disponitur ad iustificationem, esset supernaturalis, in peccatore, in quo deficit habitus charitatis, fieret per auxilium extrinsecum complens potentiam loco habitùs; sed hoc non est dicendum, nec recurrendum ad extraordinarium modum operandi in Deo: ergo non est supernaturalis. En tuum argumentum. Respondetur directè. Nego minorem. Nàm vbi datur casus extraordinarius, modus extraordinarius in operando debet dari. Habitus enìm infusi sunt proprietates gratiæ, hac deficiente, ipsi quoque deficiunt. Excipe Fidem, & Spem; vndè in peccatore alij non relucent. Modus ordinarius producendi actus supernaturales est, medijs habitibus infusis, hi deficiunt in peccatore, vndè recurritur ad conclusionem Theologicam, sicut ad reliquos actus supernaturales eliciendos ab ipso peccatore (exceptis Fidei, & Spei) ad auxilium extrinsecum. Et sicut ipsa auxilia intrinseca, illustrationes scilicèt intellectûs, & affectiones voluntatis, non fiunt ab aliquo habitu, sed auxilio extrinseco, cur etiàm in casu argumenti, cum conclusiones Theologicæ sepè pro auxilijs deseruiant, ità non erit?

QUÆSTIO VI.

VTRVM CONCLVSIO THEOLOGICA, vel deducta ex duplici præmissà de fide, aut ex vnà de fide, & alia naturali euidenti sit de fide?

1. NOTA primò: conclusionem Theologicam strictè talem vel deduci ex vnà præmissà naturali euidenti, & alià de Fide, vt patet in hac: *Ergo Christus est risibilis*: deducta ex hìs: *Omnis homo est risibilis* quæ est euidens naturalis: *Sed Christus est homo*: quæ est de Fide. Vel ex duplici præmissà de Fide, vt patet in hac: *Ergo aliqua persona Diuina vnita fuit Humanitati*: deducta ex hìs: *Verbum est aliqua persona diuina; sed Verbum vnitum fuit Humanitati*: quarum vtraque est de Fide. De vtràque enìm conclusione inquirit præsens quæstio, vtrùm sit de Fide, aut purè Theologica, sicut de vtràque quæsitum fuit quæstione antecedenti, vtrùm sit naturalis, vel supernaturalis?

2. Nota secundò: motivum adequatum Fidei diuinæ, cui ipsa vnicè innititur esse authoritatem diuinam revelantem, à qua infallibilitatem, & speciem accipit; vndè si adiungatur, vel admisceatur aliud novum, quod authoritas diuina non sit, actus non evadit de Fide.

3. Nota tertiò: eandem veritatem posse attingi in actu Fidei,

si revelata sit, iam actu scientifico, si sit evidens, imò actu opinativo: talitèr, vt veritas ratione motivorum determinet actus. V.g. hęc veritas: *Deus est intelligens*: si ei assensum præbeam ob auctoritatem divinam revelantem, creditur actu Fidei: si eam cognoscam ob rationes naturales evidentes, quibus demonstratur, Deum esse omniscium, attingitur actu scientifico: si denique ob congruentias, & rationes probabiles, quæ satis movere possunt, assentiar; attingitur actu opinativo. Vndè eadem veritas materialitèr de Fide potest formalitèr attingi ab alijs actibus, qui Fidei non sint; sed pertineant ad alios habitus à Fide distinctos.

4. Nota quartò: præmissas duplicitèr se posse habere erga conclusionem. Primò: vt explicantes veritatem, quam attingunt, & applicantes motivum Fidei formale, authoritatem nempè divinam intellectui, vt ipse assentiatur obiecto, & tunc assensus non se habet vt formalitèr conclusio, neque vt formalitèr deductus ex præmissis, cum non tendat sub motivo præmissarum, sed sub revelatione applicata à præmissis. Exemplum sit in hoc syllogismo: *Omnis homo peccavit in Adam*; *Petrus est homo*: *ergo peccavit in Adam*. Illa pręmissa minor potest deservire tamèn, vt explicet illam maiorem, in qua implicitè est Petrus: nàm qui dicit *omnis homo*, dicit, & *Petrus*, *&* *Paulus* &c. consequentèr applicet propositionem illam vniversalem, & revelationem ipsius propositioni particulari, quà ità applicatà, ob eandem revelationem assentitur intellectus huic veritati: *Petrum nempè peccavisse in Adam*: ac proinde evadit de Fide conclusio illa non formalitèr vt conclusio, sed materialitèr accepta. Sic expressè Quir. dist. 7. sect. 1. n. 1. sed de conclusione ità accepta in præsenti non agitur; pertinet enim ad tractatum de Fide.

5. Secundo modo possunt se habere præmissæ, non vt explicantes, & applicantes tantum motivum Fidei, sed obiectum aliud, ob cuius identitatem cum medio inferamus identitatem ipsius cum alio extremo, & sic se habent vt formalissimę pręmissæ, & ipsa conclusio, vt formalitèr talis: & de hac inquirit præsens disputatio. Vtrum nempè conclusio vt talis, deducta ex duplici præmissa vt tali, sivè vtraque sit de Fide, sive vna tamèn, & alia naturalis, sit de Fide, seù posit credi Fide divina? Cum loquamur de conclusione vt tali. In quo,

6. Prima sententia tenet: conclusionem Theologicam sivè ex vnà tantùm, sivè ex duplici præmissa de Fide deducatur, esse de Fide. Ità Schot. Aureolus, & alij apud Ripald. disp. 15. de Fide sect. 6.

7. Secunda sententia tenet: conclusionem deductam ex duplici de Fide esse de Fide. Ità Vega, Canus, & Hurt. disp. 10. de Fide §. 2.

8. Tertia sententia vniversalitèr affirmat, conclusionem Theologi-

logicam sivè ex vnà, sivè ex duplici pręmissà de Fide deducatur, non esse de Fide, sed purè Theologicam. Ità Molin. Valent. Turria. Lorc. Exim. Doct. disp. 3. de Fide sect. 11. Quir. tract. 1. procemia. dist. 7. sect. 2. Gibon disp. 2. de quidditativis prędicatis Theologiæ §. vlt. & communitèr Thomistæ, ac D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1. & 2.

SECTIO I.

NOSTRA CONCLVSIO PROPONItur, & probatur.

9. Dicendum : *conclusio Theologica, sivè ex vna, sivè ex duplici præmissa de Fide deducatur, non est de Fide.* Probatur primò conclusio ratione fundamentali, & à priori: actus, cuius motivum adæquatum non est auctoritas divina revelans, non est vtique Fidei divinæ vt talis; sed conclusio deducta ex duplici præmissa de Fide, vel ex vna tantum de Fide, & alià naturali non habet pro motivo adæquato authoritatem divinam revelantem : ergo non est de Fide. Maior est certa. Cum authoritas divina revelans sit motivum, cui sistit, & vnicè innititur Fides. Et sicut actus non habens bonitatem divinam pro motivo, non esset charitatis Theologicæ, ità nec Fidei actus non habens pro motivo authoritatem divinam revelantem. Probatur min : motivum conclusionis Theologicæ, vt formalitèr talis est continentia, & connexio vnius obiecti revelati cum alio; sed continentia, & connexio vnius obiecti revelati cum alio, nec est authoritas divina, nec revelatio, sed quid adæquatè distinctum ab authoritate, & revelatione : ergo. Maior est indubitabilis : motivum nanque conclusionis Theologicę sunt præmissæ obiectivæ, earumque connexio, quę ab ipsis obiectis revelatis non distinguitur. Motivum v. g. huius assensùs : *Ergo Ioannes peccavit in Adam,* non est authoritas divina, sed : *Quia omnis homo peccavit in Adam ; & Ioannes est homo:* quod quid distinctissimum est ab authoritate, & revelatione. Vndè probata manet minor, & inde clarè deducitur consequentia.

10. Confirmatur: hæc veritas, seù conclusio : *Ioannes peccavit in Adam,* ex se non est de Fide, sed indiferentèr se habet, vt sit de Fide, si attingat pro motivo sui authoritatem divinam revelantem, vel ad alium habitum pertineat iuxta proprium motivum, cum motiva specificent, & determinent actus ; sed vt formalitèr conclusio est, non attingit pro motivo authoritatem divinam revelantem, sed connexionem, præcontinentiam, & identitatem vnius obiecti præmissarum cum alio, seu ipsas præmissas obiectivas: ergo vt formalitèr conclusio, non est de Fide. Probatur minor: motivum conclusionis non est motivum intrinsecum pręmissarum, sed ipsæ præmissæ : ergo licèt pręmis-

missæ sint de obiecto revelato, & propter revelationem, ipsa tamen conclusio erit ad summum de obiecto revelato, non tamen proptèr revelationem, sed proptèr connexionem, & continentiam obiectorum revelatorum inter se. V. g. licèt motivum huius propositionis maioris; *Omnis homo peccavit in Adam*, sit authoritas divina revelans, ac proindè talis veritas sit revelata; hęc consequentia: *Ergo Ioannes peccavit in Adam*, vt talis deducta ex ea vniversali, & hac minori singulari: *sed Ioannes est homo*, non habet pro motivo revelationem, sed connexionem, & continentiam Joannis in omni homine; vnde convictus assentitur, & credit: *Ioannem peccavisse in Adam.*

11. Vrgetur: alitèr se habet hæc propositio, *Divus Petrus peccavit in Adam, quia Deus hoc revęlavit*, ac se habet hæc conclusio: ergo *Divus Petrus peccavit in Adam: quia omnis homo peccavit in Adam, & Divus Petrus est homo*: sed prima est de Fide, eo quod habeat authoritatem divinam revelantem pro motivo: ergo secunda erit purè Theologica, & non de Fide, cum tali motivo non gaudeat.

12. Vrgetur secundò: roga à Theologo convicto, & concedente necessariò illam consequentiam: *Ergo D. Petrus peccavit in Adam*, quarè eam necessariò concedat, eique veritati absque libertate assentiatur? Dicet nè: quia Deus id revelavit? Neutiquàm; nàm ità cum obiectum sit obscurum, liberè assentiretur. Dicet certè: quia concessi præmissas illas maiorem, & minorem: *Omnis homo peccavit in Adam*; *sed D. Petrus est homo*: quibus assensis, convincor ad præstandum assensum consequentiæ in forma deductæ ex illis: ergo motivum illius conclusionis vt talis, non est authoritas divina revelans, sed connexio, continentia, & pręmissæ obiectivę: ergo talis conclusio vt talis, non est de Fide, sed purè Theologica.

13. Probatur secundò conclusio: ex diverso modo tendendi diversitas quoque actuum desumitur; sed licèt actus Fidei v. g. *Anima Christi est immortalis, quia Deus ità revelavit*: & conclusio Theologica, v. g. *Ergo anima Christi est immortalis, quia omnis anima rationalis est immortalis, & anima Christi est rationalis*, tendant in eandem veritatem, immortalitatem nempè animę Christi, gaudent diversissimo modo tendendi: ergo sunt actus omnino diversi, vnus de Fide, altèr verò Theologicus. Probatur minor: secundus actus Fidei respicit revelatum proptèr revelationem. Nec indiget discursu, sed proposita revelatione sufficientèr credibili, statim captivat intellectum per imperium voluntatis; ast modus tendendi secundi actùs, & conclusionis Theologicæ respicit revelatum propter connexionem consequentis cum antecedenti, eget, & supponit discursum, ex quo deducitur, assentitur identitati extremorum inter se

-se ob identitatem extremorum cum tertio. Actus Fidei tendit in obiectum revelatum innitendo immediatè primæ veritati revelanti, seù Deo dicenti; assensus verò Theologicus immediatè innititur principijs revelatis modificatis per discursum humanum, & artificium syllogisticum, quæ sunt fallibilitati obnoxia, & mediatè tantùm primę veritati revelanti. Primus actus Fidei adhæret obiecto revelato assensu suprà omnia firmissimo, quia divinæ authoritati debetur supremus cultus intellectualis, est enim suprà omnia verax in dicendo: assensus Theologicus non adhæret obiecto suprà omnia, cum connexioni vnius obiecti revelati cum alio non debeatur supremus cultus intellectualis: ergo ex hac evidenti diversitate inter vtrumque actum, dicendum, conclusionem Theologicam vt talem non esse de Fide.

14. Hinc deduces: habitum Theologiæ non esse specialem, & condistinctum ab habitu Fidei, & scientiæ naturalis concurrentibus ad præmissas; sed ipsos habitus Fidei, & scientiæ naturalis. Ità iudico cum Card. de Lugo. Ratio est: quia non est statuendus novus habitus, vbi non est nova ratio formalis motiva ex parte obiecti, nec nova difficultas; sed respectu conclusionis Theologicę, positâ iam vtraque præmissa, non est nova difficultas, cum necessariò procedat intellectus in conclusionem: item eadem est ratio formalis motiva; tota enim ratio movendi, & assentiendi conclusioni est propter præmissas: ergo non est statuendus hic novus habitus.

SECTIO II.

ARGVMENTIS RESPONDETVR.

15. Obijcies primò: id, quod sequitur ex duplici præmissa de Fide, est idem omninò cum obiecto revelato à Deo: ergo vtrumque est revelatum: ergo in vtrumque tendit Fides: ergo sicùt præmissæ sunt de Fide, ità & conclusio.

16. Respondeo, concesso antecedenti, trãseat prima consequentia, dinstinguo consequens secundæ: ergo in vtrumque tendit Fides, si tendat intellectus in vtrumque ob motivum Fidei, authoritatem nempè revelantem, concedo: si non tendat, nego. Certum est, id quod sequitur ex duplici præmissa de Fide, esse idem realitèr cum obiecto revelato, cum sit idem realitèr cum obiecto præmissarum, quod est de Fide; ac proindè revelatum est. Admitto pro nunc, quod omne id, quod est idem cum obiecto revelato, revelatum sit (de quo postea loquar) sed nego, omnem actum tendentem in obiectum revelatum esse de Fide, cum possint tendere etiàm in revelata actus scientię, & opinionis, v. g. circa existentiam, intellectum, & voluntatem Dei, quæ evidenti ratione probantur, & attinguntur, & simul Fi-

Fide; cum ſint veritates revelatæ, & ſimul lumine naturæ notę. Vndè motiva attingendi ſpecificant actus attingentes. Si motivum ſit authoritas divina, actus attingens veritatem revelatam erit Fides: ſi ſit aliqua ratio evidens, erit ſcientia: ſi ſint rationes merè probabiles, erit opinio. Cum autem præmiſſę attingant veritates revelatas, quæ ſunt obiecta ipſarum ob authoritatem divinam revelantem, ſunt de Fide. Concluſio verò cum attingat ſuum obiectum non ſub authoritate revelante, vel ad minus non ſit ratio adæquata aſſentiendi authoritas divina revelans, ſed ſimul connexio obiectorum revelatorum inter ſe, identitas nempè extremorum cum tertio, inde eſt, quod non ſit actus Fidei, ſed purè Theologicus.

17. Dixi *tranſeat* ad primam conſequentiam: quia non eo præcisè, quod duo ſint idem realitèr, rectè infertur: vtrumque eſſe revelatum. Sic realitèr identificantur vnitas, & Trinitas, & revelata vnitate, non cenſetur Trinitas revelata. Idem realitèr ſunt Humanitas Chriſti, & relatio tranſcendentalis ipſius ad ſuos effectus, & revelata Humànitate, non cenſetur revelata relatio tranſcendentalis; vndè Theologi communitèr iudicāt, concluſionē huius ſyllogiſmi: *Omnis homo eſt riſibilis; ſed Chriſtus eſt homo: ergo Chriſtus eſt riſibilis*: eſſe purè Theologicàm, & non de Fide, etiàm materialitèr ſumptam, licèt riſibilitas realitèr identificetur cum homine. Ex hoc tamen non nego, ſæpè revelato vno, revelari etiam aliud identificatum cum eo. Sic revelato, quod Chriſtus ſit homo, nequit non revelari, quod ſit animal rationale; vndè conſequentia huius ſyllogiſmi: *Omnis homo eſt animal rationale, ſed Chriſtus eſt homo: ergo eſt animal rationale*: cenſetur materialitèr de Fide. Quandò autèm ratione huius identitatis vtrumque debeat revelatum, & de Fide cenſeri, ſequens regula demonſtrabit.

18. Quandò vnum obiectum continetur formalitèr in obiecto revelato: vtrumque revelatum cenſetur; quandò continetur ſolùm materialitèr, revelatum non cenſetur. Tunc enim vnum continetur in obiecto revelato formalitèr, quandò eſt obiectum divinæ revelationis, & intentionis divinæ: ſic iuxta Lug. Arriag. Quiros, & Exim. Doct, continentur propoſitiones particulares, in vniverſali. Nàm qui revelat. *Omnem hominem peccaſſe in Adam*: revelat formalitèr Petrùm, Joannem, Didacum &c. in Adam peccaviſſe. Item quandò eſt de quidditate metaphyſica obiecti revelati, vt animal rationale de homine. Tunc vnum ſolùm materialitèr continetur in obiecto revelato, quandò identificatur, aut includitur in obiecto revelato, non tamen in quantum revelato, quia non eſt obiectum divinæ revelationis, & intentionis ſignificandi: ſic ſe habet relatio tranſcendentalis, revelatà humanitate Chriſti, & riſibilitas, re-

revelato homine. Ratio hujus est: quia revelatio, cùm non sit rei compprehensiva, non se extendit formalitèr ad omnia prædicata obiecti revelati, sed tantùm ad illa, quę ex communi modo loquendi, & significandi præcisè ex vi revelationis absque alio adminiculo intelligi valent. Vndè, qui viso homine à longè veniente, mihi diceret: *Animal venit*: ex vi illius loquutionis non possem intelligere hominem, aut rationale venire, quia licèt identificentur cum formalitate animalis; non tamen per illam absolutè prolatam significantur, nec modo loquendi proferentis, animus & intentio significandi rationale colligitur.

19. Obijcies secundò: ex præmissis evidentibus deducitur evidens conclusio, ex certis certa, ex probabilibus probabilis: ergo ex præmissis de Fide, conclusio quoque de Fide.

20. Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio disparitatis est: quia probabilitas, certitudo, & evidentia desumuntur à principijs, nec conclusio deducta variat modum tendēdi, & adhęrendi obiecto deducto; ast, quod actus pertineant ad hanc, vel illam virtutem, sumitur ab obiecto formali: cum autem hoc, vt ex dictis constat, immutetur in consequentia deducta ex præmissis de Fide; inde est, quod conclusio de Fide non evadat, sicut præmissæ.

21. Obijcies tertiò: qui negaret id, quod evidentèr deducitur ex revelatis, esset hæreticus: ergo signum est, esse ex Fide id, quod ex revelatis deducitur.

22. Respondeo transf. anteced. & distinguo consequens: ergo signum est, esse ex Fide id, quod deducitur in se, & materialitèr, concedo: formalitèr vt deductum, nego. Exemplo solutio clarescit. Certum est, hanc veritatem esse de Fide: *anima D. Petri est immortalis*: ac proinde, qui illam negaret, esset hæreticus absque dubio. Certum etiam est, hāc veritatem deduci ex his præmissis revelatis: *Omnis anima rationalis est immortalis, sed anima D. Petri est rationalis*: ergo. Vndè certum est, quod, qui negaret id, quod evidentèr deducitur ex eis pręmissis revelatis, esset hæreticus. Nec nego, deductum ex præmissis revelatis sæpè esse revelatum, ac proindè de Fide. Quod autem nego, est esse de Fide, & revelatum vt deductum ex pręmissis, & vt est conclusio formalis objectiva, nam ità non movet vt revelatum, nec attingitur sub revelatione, sed identitate extremorum cum tertio sub connexione obiectorum inter se, & sub artificio logicali. Vndè, qui concessis præmissis, firmitèr statuens omnem veritatem revelatam debere Fide divinà credi, negaret consequentiam, eo quod ex errore iudicaret, posse identificari extrema vni tertio, quin identificētur inter se, non esset hæreticus, sed ignorans. Indè tandem deducitur, conclusionem formalem

vt talem non esse assensum Fidei, sed Theologicum.

23. Replicas: quoties dissensus alicuius veritatis est formalitèr hæresis, eius assensus est actus Fidei; sed dissensus conclusionis Theologicæ deductę ex præmissis revelatis est formalitèr hæresis, v. g. dissensus prædictę veritatis: *Ergo anima D. Petri est immortalis*: ergo eius assensus, qui conclusio formalis est, erit de Fide.

24. Respondetur in primis: falsum esse dissensum veritatis deductæ ex præmissis revelatis, vt formalitèr deductæ, esse hæresim ob rationem iam allegatam: ac proindè nec assensus talis veritatis vt formalitèr deductæ erit de Fide. Iuxta quam solutionem, concessa maiori, negatur minor. Secundò: adhuc admisso, quod dissensus talis veritatis sit hæresis; assensus tamen potest esse vel Fidei, vel scientiæ, vel opinionis iuxta motiva varia, & rationes attingendi talem veritatem. Sic, qui negaret in Deo scientiam, esset hęreticus, qui tamen illam cōcedit, nō ideò excercet Fidem. Gentiles enìm absque Fide eam adstruunt, conceduntque Deo. Qui tamen, auditis præmissis, consequentiam negaret, censeretur hæreticus, nam credibilius est, quod ipse negat aliquam ex præmissis de Fide, & ideò obscuris, quàm quod eis concessis, neget consequentiam vt talem, cum sit evidens, & fundata in illo principio lumine naturæ noto: *quæ sunt eadem vni tertio &c.*

25. Obijcies quartò: eadem est ratio formalis assentiendi præmissis, & conclusioni; sed ratio formalis assentiendi præmissis, est authoritas divina revelās: ergo eadem erit ratio formalis assentiendi conclusioni Theologicæ ex eis deductæ. Tunc sic: sed conclusio, cuius ratio formalis est authoritas divina, est de Fide: ergo.

26. Respondeo: nego mai. si loquatur de ratione formali proxima, & immediata, quæ solùm est connexio obiectorum, continentia sui obiecti in obiecto præmissarum, aut identitas extremorum cum tertio, ratione cuius assentitur identitati eorum inter se. Ratio formalis præmissarum est prima veritas, ob quam assentitur præmissis, seù veritatibus obiectivis. Ad summum enìm hæc dicetur ratio formalis mediata, & remota eo, quod veritas conclusionis formalis, & obiectivæ vt deductę, fundatur in veritate pręmissarum.

27. Obijcies quintò, & simul replicabis: omnis actus, qui mediatè, aut immediatè innititur eidem motivo formali, vel fit dependentèr ab obiecto alicuius habitùs, licèt mediatè, remotè, aut virtualitèr eliciatur ab habitu, est eiusdem speciei, ac est actus proprius talis habitùs similis alijs, qui immediatè, & formalitèr innituntur tali motivo, & fiunt à tali habitu; sed conclusio Theologica innititur saltem mediatè authoritati divinæ revelanti, fitque dependentèr ab obiecto formali Fidei: ergo licèt mediatè, remo-

morè, aut virtualitèr eliciatur ab habitu Fidei, erit actus Fidei eiusdem speciei cum præmissis immediatè, aut formalitèr authoritate divinæ innitentibus.

28. Maior quoad diversas voces, & terminos ostenditur primò: habitus virtutis inclinans ad finem elicit actum electionis medij proximioris ad finem, quia illud finis exigit, & etiam actum electionis medij remotioris, quia exigitur à proximiori medio, & sic de reliquis. Secundò: Charitas extenditur ad omne obiectum materiale, & remotum, quod saltèm mediatè amatur propter Deum; vt si propter Deum ames proximum,& ideò huic bona procures,& ad hoc eligas media etiam remota, & remotissima, qui omnes actus ad eundem habitum charitatis pertinent & dicuntur charitatis actus. Tertiò:actus fugæ,quo odio prosequor malum Dei, quia Dei malum est, est actus charitatis virtualitèr, & ęquivalentèr, eliciturque à charitate, eo quod respiciat idem motivum virtualiter, & æquivalentèr: ergo & conclusio Theologica, licèt mediatè innitatur motivo Fidei, erit actus Fidei, ad habitum Fidei pertinebit, vel saltem virtualiter, & æquivalenter erit Fides.

29. Hoc est præcipuum fundamentum Patris Hurtad. cui, & si concedam omnes voces, quas inter argumentum spargit, nempè: conclusiones Theologicas esse virtualitèr, & ęquivalentèr actus Fidei: fieri virtualitèr ab habitu Fidei, immò, & fieri formalitèr ab ipso, dummodo etiam fiat ab habitu scientiæ naturalis: pertinere ad fidem, eo quod innitantur saltem mediatè in authoritate divina, & motivo Fidei; nil sequitur contra nos; cum non sequatur, tales conclusiones esse actus formalitèr Fidei; quod vnicè negamus. In particulari tamen respondetur; distinguo maiorem: omnis actus, qui mediatè, aut immediatè &c. est eiusdem speciei, si non superaddat aliquod motivum proximum diversum à mediato, & remoto, concedo: si tale motivum superaddat, nego. Cum autem conclusiones Theologicæ non gaudeant authoritate divina pro motivo proximo, & immediato, vel saltem suprà motivum remotum præmissarum superaddant, tanquam motivum proximum connexionem obiectorum, seù identitatem extremorum cum tertio; indè est, quod non sint formalitèr actus Fidei, nec pertineant formalitèr ad Fidem. Nàm cum varientur motiva actùs Fidei & Theologici, necessariò debent & ipsi actus variari.

30. Ad primam maioris probationem, assigno disparitatem. Virtutes namque voluntatis omnia illa obiecta materialia proxima, & remota attingunt ob idem motivum, nempè Deum, in quo sistunt. Quamvis enim remota media propter vtilitatem,& connexionem cum fine amentur, non tamèn sistimus ibi, tanquam in obiecto formali, neque

que vtilitas amatur propter se, sed propter divinam bonitatem. Cum ergo non sit varietas in motivis; quid ergo mirum, quòd omnes illi actus pertineant ad eandem virtutem, seù habitum charitatis? Quapropter si ità apponas electionem secundi medij, vt neutiquam moveatur à fine, sed tamèn sistat in necessitate ipsius ad primum medium, quin cogitetur de fine, talis electio non erit actus elicitus à virtute respiciente finem, nec erit charitatis, sed alterius virtutis ex variatione motivi. Amor ergo proximi propter Deum ad charitatem pertinet, ad quem pertinet amor Dei propter ipsum Deum. Hi enim actus ex variatione ipsa obiecti materialis non diversificantur, sed potius ex vnitate obiecti formalis specificati, ad eandem virtutem spectant. Quo manet secunda probatio discussa.

31. Ad tertiam, licèt totum eius intentum concederem, vt iam notavi, nil sequæretur contra nos. Hec enim vox *æquivalentèr*, & similitèr, hæc *virtualiter* plurimum admittunt, & patiuntur sub se iuxta arbitrium eas admittentium, ex quo non sequitur, esse formalitèr actus Fidei. Sic P. Granado controv. 2. de spe, disp. 12. n. 3. vocat actum charitatis ęquivalentèr spem, asserens sufficienter satisfieri pręcepto sperandi, si ob motivum charitatis speremus, qui quidem actus ob hunc æquivalentiam, & virtualitatem non diceretur spes: ergo neque ob hanc ęquivalentiam diceretur conclusio Theologica actus Fidei. Nec invenio talem æquivalentiam; neque enim ęquivalet identitas extremorum cum tertio, quæ se habet vt motivum conclusionis Theologicæ, primæ veritati revelanti, quæ se habet vt motivum Fidei, neque satisfaceret quis eliciendo conclusionem Theologicam præcepto obliganti ad Fidem. Actus enim fugę, quo odio prosequor malum, seù peccatum, quia malum & offensivum est Dei pertinet ad charitatem; quia gaudet motivo charitatis, nempè ipsà bonitate divinà. Quod si odio haberem malum, quia mihi malum, vel quia mihi commodum, ad aliam virtutem pertineret ex variatione motivi: ergo similitèr conclusio Theologica ad aliam speciem ob eiusdem obiecti variationem.

32. Objicies sextò: omnis actus Fidei movetur ex præmissis, sivè formalibus, sivè materialibus, aut virtualibus: ergo ex eo quod conclusio Theologica ità moveatur, non debet exulare à Fide. Prob. antec. omnis actus Fidei nititur huic discursui. *Quid quid Deus revelat, est verum; sed Deus revelat mysterium Trinitatis: esse scilicèt trinum, & vnum, & sic de reliquis: ergo Deus est trinus, & vnus*: quę conclusio certè est de Fide adhuc vt formalitèr deducta, cum adhuc vt ità deducta habeat pro motivo connexionem veracitatis, & revelationis divinæ cum ea veritate credita.

33. Si negatur, Fidem esse discursivam cum communi Thomistarum, facilè respondetur, quod licèt iste discursus, vel alius similis presupponatur vt disponés intellectum ad credendum, fides autem non propter illum rei revelatæ assentitur, sed per se: quia Deus dixit, & revelavit, ibi sistendo. Vndè similes discursus concomitantèr se habẽt ad simplicem assensum Fidei subsequutum; nõ verò vt motivum. Si tamèn admittas Fidem discursivam; in ipso argumento disparitatem habes pro reliquis cõclusionibus Theologicis. Cum enìm in præmissis disponitur veracitas, & revelatio divina ad inferendam conclusionem, vt constat in hoc syllogismo obiecto: *Ecclesia non potest errare; sed Ecclesia definit hæreticos v. g. non esse rebaptizandos: ergo id est infallibilitèr verum*, & alijs similibus; tunc conclusio vt talis est de Fide. Ratio: quia motivum Fidei est connexio revelationis divinę cum obiecto revelato, & actus, qui ob talem connexionem assentitur, est de Fide, cum assentiatur ob motivum Fidei; sed in his, & similibus syllogismis pro obiecto conclusionis formalis disponitur connexio authoritatis divinę revelantis cum obiecto revelato: ergo conclusiones huiusmodi erunt de Fide: non ità reliquæ, vbi nullatenus disponitur similis connexio pro ratione formali assentiendi, vel saltem superadditur aliquid, vndè cadat motivum à motivo Fidei divinæ.

34. Obijcies septimò: plures assensus Fidei solùm virtualitèr moventur ex divina revelatione; sed ità movetur conclusio deducta ex duplici pręmissa de Fide: ergo erit de Fide. Maior ipsà experientià constat; sæpè enìm postquam ob divinam revelationem credimus aliquod mysterium, v. g. Trinitatis, penitùs immemores talis motivi, plures actus Fidei circa tale mysterium elicimus; sed tales actus non moventur formalitèr ob revelationem divinam, cum illius nullatenùs recordemur: ergo solùm virtualitèr moventur.

35. Pro solutione nota: duplicitèr potest moveri aliquis actus virtualitèr ab aliquo motivo. Primò mediatè, quià scilicèt inter motivum formale, & virtuale mediat aliquod motivum formale, in quod tendit actus explicitè, & hoc modo se habet conclusio Theologica respectu revelationis, adhuc concesso, quod hæc sit motivum virtuale ipsius; inter revelationem nanque, & conclusionem Theologicam interponitur motivum formale ipsius conclusionis, nempè obiectivæ præmissæ, & earum connexio, quę immediatè movent ad conclusionem, & ob quã expresè tendit in suum obiectum: & ideò licèt revelatio moveat virtualitèr, cum habeat aliud motivum formale pręter ipsam revelationem, non evadit de Fide. Secundò, potest esse motio virtualis immediata, quia intèr revelationem, & actum, aliud motivum non interce-

tercedit. Et ità moveret casu oblivionis, & inadvertentiæ actualis. Et ideò tales actus ratione tali motionis evaderent de Fide. In forma, Distinguo maiorem: plures assensus Fidei solùm virtualitèr moventur ex divina revelatione virtualitèr immediatè, cōcedo; virtualitèr mediatè, nego. Et distinguo minorem: sed ità movetur conclusio Theologica: id est, virtualitèr immediatè, nego; id est, virtualitèr mediatè, concedo.

36. Obijcies octavò: conclusio deducta ex duplici præmissà Fidei humanæ est de Fide humanà: ergo conclusio deducta ex duplici Fidei divinę erit de Fide divinà.

37. Respondetur: nego anteced. ob eandem rationem, qua non est de Fide divinà conclusio Theologica; non enìm movetur vnicè ab authoritate dicentis: ad Fidem humanam reducitur, ità & conclusio Theologica ad Fidem divinam reductivè tamèn pertinens.

38. Obijcies nonò: conclusio Theologica est supernaturalis, & obscura: ergo est de Fide. Respondetur: certum est, sæpè esse supernaturalem, & sæpius obscuram; falsum tamèn, esse aliquandò de Fide, cum nunquam tendat in obiectum ob authoritatem divinam revelantem saltem adæquatè.

39. Obijcies decimò: identitas extremorum inter se, quę est obiectum conclusionis non distinguitur ab identitate extremorum cum tertio, quæ est obiectum præmissarum; sed identitas extremorum cum tertio attingitur per præmissas de Fide: ergo & identitas extremorum inter se cognoscetur per conclusionem de Fide.

40. Retorquet: vnitas Dei à Trinitate non distinguitur; sed vnitas Dei cognoscitur per præmissas naturales evidentes: ergo & Trinitas. Vel alitèr: sed vnitas Dei creditur per Fidem ante Evangelij publicationem: ergo & Trinitas. Quapropter licèt certum sit, identitatem extremorum cum tertio non distingui, seù esse idem realitèr cum identitate eorum inter se, indè non infertur: cognita per pręmissas de Fide identitate extremorum cum tertio, debere cognosci ex Fide etiàm per conclusionem identitatem eorum inter se. Nàm idem indivisibile obiectum ob diversas rationes formales potest attingi à diversis, & diversissimis actibus, vt sæpè notavi, imò ab eodem actu per me, qui sit simul scientia, Fides, & opinio. Ex identitate ergo obiectorum materialium inter se non rectè deducitur identitas specifica actuum, sed solù ex identitate motivorum; sed licèt obiecta premissarum, & obiectum conclusionis sint idem, motiva sunt diversa: ergo & conclusio erit vtique à præmissis diversa; hæc purè Theologica; illę verò de Fide.

QVÆS-

QVÆSTIO VII.

AN IN HÆRETICO POSSIT DARI Theologia propriè, & simplicitèr talis, eiusdemque speciei cum Theologià fidelium.

1. Quæstionem à nemine hucusque ex professo exagitatam invenio. Ex his enim, quæ DD. sparsim, & ex varijs Theologię principijs eam eformo. Et vt magnis difficultatibus gravidam inspicias.

2. Suppono primò pro nunc cum PP. Molina, Fonseca, Gilio, Janer, & alijs apud P. Ripald. tit. 1. de ente supernaturali. d. 75. n. 17. conclusiones propriè Theologicas esse intrinsecè supernaturales.

3. Suppono secundò cum omnibus Theologis, ut videre est in P.Leonar. tract. 1. de naturà Theologię d. 2. n. 6. Arriag. tract. de Theologica doctrina disp. 1. n. 46. conclusionem propriè, & simplicitèr Theologicam debere inferri ex duplici præmissa de Fide, vel ex vna de Fide, à quà certitudinem, & indeffectibilitatem accipiat, & alia naturali evidenti.

4. Suppono tertiò: in hæretico errante circa aliquem articulum Fidei non manere habitum Fidei infusæ contra Durand. contrarium asserentem. Constat hoc ex Trid. sess. 5. can. 5. quod ità certum est, vt Exim. D. disp. 7. de Fide. sect. 4. n. 2. teneat, sine errore contrarium affirmari non posse. His ergo suppositis.

5. D. Dionysius lib. 2. de divinis nominibus tenet, in hæretico non dari Theologiam: ibi enim asserit Theologiam non esse in eo, qui non est Fidelis. PP. Valent, & Granado, disp. 3. de natura Theologiæ sect. 1. à n. 5. afferentes pro se D. Thomam, Dionys. & August. asserunt, deficiente habitu Fidei in Theologo facto hæretico, statim deficere habitum Theologicum, darique in eo alium diversę speciei pro facilitate discurrendi, qui quidèm habitus consuetudo pristina à P. Valent. nuncupatur.

6. E contra Maior in quarto quæst. 9. Prolegom. concedit hæreticum, qui non habet fidem infusam, posse esse Theologum, & habere actum, & habitum Theologiæ circa plures conclusiones. Quem citat, & sequitur in hoc Acutiss. D. P. Vazquez, tit. 1. in 1. p. disp. 4. q. 1. cap. 8. n. 24. Vbi ait: *Immeritò autèm non nulli Thomistæ concedunt assensum Theologicum in hæretico esse alterius rationis, quàm erat in ipso cum esset Fidelis. Quis enim percipere valeat differentiam illam in modo assentiendi?* Itèm P. Arrig. tract. de Theologica doctrina, d. 1. sec. 5. n. 44.

7. Nota tamen, hos DD. id asserere; quia judicant Theologiam esse naturalem, vel quia existimant, principia Theologiæ non esse veritates Fidei, prout illis per lumen supernaturale Fidei assentimur; sed pro-

prout cognoscantur firmo quodam assensu comparativo, signis, ratione, vel humana authoritate, quam habet Ecclesia, ac proinde per actum naturalem, quo gaudet hæreticus, & ratione hæresis non immutatur. Sic Vazquez, Arrig. Compt. disp. 1. sect. 9. n. 8. vel quia tenent; quod licèt conclusiones Theologicæ supponant præmissas supernaturales Fidei, tamèn non procedunt ab illis immediatè; sed à naturali vi, & ab arte discursiva intellectùs. Positis enìm præmissis, intellectus facilimè, & naturalissimè per proprias vires, & absque speciali adiutorio Dei conclusionem elicit, vt causa immediata, & proxima, vndè conclusiones ipse naturales sunt, & in hęretico eodem modo se habent, ac ante. Sic aliqui apud Lumb. quæst. 1. de Scriptura Sacra, art. 8. num, 46. ipse num. 15. adhuc sub hac dispositione iudicat in hæretico non posse dari strictam Theologiam, quià licèt hæc sit naturalis, petit tamèn pręsupponere mediatè, & remotè supernaturales Fidei pręmissas, quę in hæretico non dantur.

8. Nostra conclusio: *In hæretico potest dari Theologia propriè, & simplicitèr talis, eiusdemque rationis, & speciei ac Theologia Fidelium, adhuc supposito, quod sit intrinsicè supernaturalis. essentialiter que, & immediatè ab actu Fidei supernaturalis dependens.* Probatur, in eo datur Theologia propriè, & simplicitèr talis (adhuc in suppositione facta) qui potest discursum efformare ex duplici præmissa, vna naturali evidenti, alia de Fide supernaturali, & consequentia supernaturali etiàm vtrique præmissæ innitenti; sed hæreticus similem discursum efformare potest: ergo in illo potest dari Theologia propriè, & simplicitèr adhuc sub tali suppositione. Maior est certa, nam ex similibus propositionibus Theologicis discursus efformantur: & sicut in subiecto, qui discursus logicos efformat, datur Logica, sic in subiecto, qui discursus Theologicos mente disponit, datur Theologia. Minor quoad primam partem est extra dubium, & probata, quoad secundam (in qua sistit difficultatis pondus) consequentia legitimè inferetur. Secunda minoris pars duplicem continet; quod scilicèt in hæretico posit dari actus Fidei divinę, & quod talis actus sit supernaturalis.

9. Primam, scilicèt, quod hæreticus posit habere actum Fidei divinæ circa vnum mysterium, quod credit; & si alterum discredat, tenent PP. Granado Heric, Connic, & alij, quos citat, & sequitur noster Leon. tract. de Fide, disp. 11. sect. 1. Prob. 1. nulla datur repugnantia in eo, quod aliquis (Pelagianus, v. g.) hęreticus negans necessitatem gratiæ eliciat actum Fidei divinæ circa mysterium Trinitatis assentiens illi ob authoritatem divinam illud revelantem, vel aliquis Luteranùs negans Sacramentum pœnitentię eliciat actum

Fi-

Fidei circa mysterium Incarnationis, quod credit: ergo in heretico potest dari actus Fidei divinæ. Probatur antecedens: dissensus Infidelis necessitatis gratiæ v. g, & assensus Fidei mysterij Trinitatis ex nullo capite repugnant: ergo. Probatur antecedens: tales actus sunt de duobus obiectis applicatis per conditiones distinctas, & minimè connexas; sed quotiès actus ità se habent, ex nullo capite repugnant in eodem subiecto, vt per se patet. Tota enim repugnantia actuum oritur, vel ex affirmatione, & negatione eiusdem de eodem, & sic nequeunt duo contradictoria componi. Vel quia obiectum vnum virtualitèr continet negationem alterius: sic repugnant assensus, & dissensus. Vel quia vnus actus est clarus, & alius obscurus circa idem obiectum materiale: & sic dicunt Thomistæ repugnare scientiam, & opinionem circa idem: ergo.

10. Probatur maior: dissensus, & assensus illi feruntur in obiecta materialia diversa, dissensus nempè in gratiam, assensus in Trinitatem. Trinitas, quæ creditur applicari potest, vel per miracula, vel per alia signa, de quorum certitudine habeam evidentiam sufficientem pro prudenti determinatione. Sacramentum pœnitentiæ applicatur per authoritatem Ecclesiæ, quam negat hæreticus. Miracula enìm, & authoritas Ecclesiæ sunt applicationes omninò diversæ. Itèm authoritas revelans applicata, est omninò independens, & inconnexa. Nàm revelatio Sacramenti applicata per Ecclesiam est omninò independens à revelatione Trinitatis applicata per miracula: ergo hi actus nullam habent repugnantiam inter se. Hoc argumentum metaphysicam demonstrationem appellat Pater Petrus Hurtado disp. *60.* de Fide §. *69.* Ex quo sic arguo: ergo poterit Pelagianus hereticus persistens in negando necessitatem gratiæ hunc discursum efformare: *Quid quid Deus revelat, est verum; sed Deus revelat mysterium Trinitatis: ergo est verum;* quiquidem est Theologicus. Et Luteranus similitèr hunc: *Omnis homo est risibilis; Christus est homo: ergo Christus est risibilis:* qui similitèr etiàm est Theologia.

11. Confirmatur: revelatio privata, facta scilicèt Personæ particulari de rebus ad se pertinentibus sufficit pro obiecto formali Fidei, iuxta communiorem Theologorum sententiam, quam tuentur Subtilis D. D. Exim. Granado, Hurtado, Turri, & alij apud Card. Lug. dist. 1. de Fide. Sect. 12. qui ità se habuisse revelationem motivàm Fidei Angelorum in via, defendit disput. 17. sect. 1. Ponamus: hæreticum, qui aliàs scientèr, & culpabilitèr sperneret authoritatem Ecclesiæ, habere revelationem particularem salvationis Petri v. g. de cuius credibilitate habet evidentiam. Quid prohibet, hunc habere actum Fidei circa talem salvationem, aliàs negatis alijs mysterijs, ab Ecclesia, quam

quam ſpernit, propoſitis? Certè nil: ergo in hæretico poterit reperiri aliquis actus Fidei divinę.

12. Probatur ſecundò: diſſenſus inculpatus de articulo revelato componi poteſt cum aſſenſu Catholico de alio articulo revelato, vtqui invincibilitèr ignorans myſterium Euchariſtiæ eſſe ſufficientèr ab Eccleſia propoſitum, illud non crederet, credere poteſt myſterium Incarnationis actu Fidei divinæ. Imò & culpatus abſque pertinacia: ergo idem erit de diſſenſu hæretico. Probatur conſequentia: quia diſſenſus hęreticus non addit intrinſecè aliquid ſupra diſſenſum inculpatum, vel culpatum revelationis. Itèm cum aſſenſu catholico circa myſteria ab Eccleſià publicà authoritate propoſita componi poteſt diſſenſus culpatus de revelatione particulari, quę iuxta plures ex adverſarijs creditur eodem habitu, quo publica: ergo & diſſenſus circa aliquod myſterium etiàm publica authoritate propoſitum.

13. Probatur tertiò, & ſimul exornatur intentum illà prædifficili ſententià Parentis illius Pueri Lunatici, & dæmoniaci à Chriſto Domino in ſalutem reſtituti cap. 9. Marci. Ibi enìm, Verſic. 23. ad Chriſtum ait: *Et continuò cum lachrymis aiebat; credo Domine, adiuva incredulitatem meam*. Statim difficultas inſurgit: *Si enìm credebat homo* (verba ſunt Venerabilis Bedę) apud *Silv.* tom. 4. in Evang. cap. 9. q. 6. num. 48.) *cùr incredulitatem dicebat? Si verò incredulitatem habere ſe noverat, quomodo credebat?* Verba eius aurea pro reſponſione auſcultate: *Vno, eodemque tempore is, qui nec dum perfectè crediderat, ſimul & credebat, & incredulus erat.* Quid pro re noſtra appoſitius? Verba ſingulàtim, & diviſim nota. *Ly vno eodemque tẽpore*: Nè ad temporum varietatem recurras. *Ly imperfectè crediderat*: Nàm Fides perfecta eſt vniverſalis, & in omnibus: hic verò homo aliqua credebat, alia verò non. *Ly ſimul, & credebat, & incredulus erat*: credebat nempè miraculis convictus Chriſti potentiam ſuprà humanam ad ſanandum Filium, & adhuc hæſitabat circa eius ſapientiam, aliaſque perfectiones: ergo optimè compatitur credere vnum myſterium, & alia diſcredere. Pro eximia confirmatione huius rei verba magni Gregorij in hunç locum Lib. 10. moral. cap. 8. non omittam: *Quid itàque eſt, quod & ſe credere aſſerit, & adiuvari in ſe incredulitatem quærit? niſi quod coarctari in ſuis cogitationibus terram cum mari deprehenderat, qui & exorare certus iam per Fidem cæperat, & adhuc incertus vndas perfidiæ ex incredulitate tolerabat*: en ſimul iuxta Gregorium per Fidem exorat, & per incredulitatem patitur.

14. Probatur nunc prima minor quoad ſecundam partem, ſcilicèt quod talis actus Fidei in hæretico eſſet ſupernaturalis. Talem actum defacto eſſe merè naturalem te-

tenent Card. Lug. Granad. P. Petrus Hurtado, & alij frequentèr apud nostrum Leonar. quos ipse sequitur vbi suprà num. 23. contrarium tamèn tenet Ripalda tom. 1. de ente supernaturali disp. 131. à num. 30. Probatur, inquam: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam*, non solum ad actus naturales, sed etiàm supernaturalem ad actus supernaturales, non solum pro Fidelibus, sed etiàm pro infidelibus, & hæreticis, vt actus supernaturales virtutum moralium efficiant. Ità tamèn vt deficientibus habitibus infusis virtutum moralium providentur à Deo auxilia gratiæ supernaturalis, quæ suppleant habituum defectum, ne per Deum stet, vt illi actus, qui per se possunt vesse salutares, & conducentes ad vitam æternam, steriles omninò, & naturales fiant. Insuper licèt in peccatore non dentur habitus virtutum moralium, quoties tamen proponitur obiectum materiale, & formale, quod possit terminare actum virtutis supernaturalem, Deus prçstò est per auxilium actuale intrinsecum, vel extrinsecum, vt suppleat defectum habitùs infusi, & quo possit fieri actus supernaturalis circa illud obiectum eodem modo, ac si adesset habitus. Et ratio est: quia & si tales actus in peccatore non sint meritorij de condigno, sunt tamèn meritorij de congruo, & ideò sicut Deus vt author naturæ non negat concursum ad actus naturales, posito obiecto, & alijs requisitis, ità in statu viç, cum homo viator elevatus sit ad finem supernaturalem, & sit in statu negotiandi, & procurandi illum finem, nunquam data occasione, stat per Deum, sed semper dat ex parte sua concursum supernaturalem, & omnia requisita, quoties est occasio eliciendi aliquem actum supernaturalem, & proportionatum ad salutem. Ipsomet dicente Apocalip. 3: *Ecce ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.*

15. Ergo licèt in hçretico deficiat habitus Fidei infusus, si adsit obiectum materiale, & formale Fidei, & casu, quo possit negotiare saltèm auxilia pro Fide perfectà, Deus prçstò aderit cõferens auxilia supernaturalia, sivè extrinseca, sivè intrinseca, aut vtràque, vt talis Hæreticus eliciat actus supernaturales, ne per ipsum Deum stet defectus negotiationis, cum se offerat opportuna occasio. Esset enim contra conditionem, & statum viatoris, cui quotiès occurrit occasio benè, & vtilitèr operandi, non debet Deo soli imputari defectus operationis vtilis, & dari ei concursum ad operationem solum naturalem, & inutilem.

26. Confirmatur primò: deperdita charitate per peccatum, funt à peccatore aliqui affectus supernaturales, tàm dilectionis Dei, quàm detestationis peccatorum, qui ob sui remissionem, & imperfectionem non disponunt vltimò ad iustificationem: ergo & deperdita Fide,

de, & pia affectione habituali infusa fient ab Hæretico supernaturales actus Fidei, licèt imperfecti.

17. Confirmatur secundò: qui deliquit contra veritatem Eucharistiæ v. g. contemnens authoritatem Ecclesiæ, potest resipiscere, & submittere intellectum authoritati Ecclesiæ ex amore supernaturali Dei excitato per assensum Incarnationis. Cur enim hic assensus non erit similitèr supernaturalis?

18. Confirmatur tertiò: Deus tangit corda Hęreticorum varijs illustrationibus supernaturalibus, vt redeant in Ecclesiæ gremium, eisque proponit veritates credibiles (quàs negant) per apprehensiones supernaturales, quibus proximè, si vellent, possint retractare errores pręteritos. Quare per assensus supernaturales veritatum, quas credunt ob revelationem Dei, non disponet, & tanget eorum animos ad resipiscendum, & corrigendam pertinaciam præteritam?

19. Neque hæc doctrina caret authoritate. Credibile enim est mihi, eam tenuisse Augustinum. Hic enim Sapientissimus Doctor lib. de patientia. Cap. 7. rogat; an homo errore pertinaci separatus ab Ecclesia, vel aliquo schismate constitutus, vt capite antecedenti ait, si pęnas temporales patiatur, non ob errorem; sed pro veritate Sacramenti, seù Verbi, quæ apud eum remansit, ea eius patientia dicenda sit donum Dei? Et respondet; eam patientiam, quam pro ea Fide habet, donum Dei esse. En Augustinus eam Fidem hominis Hæretici, seù schismatici, eiusque patientiam donum Dei appellat. Quod in phrasi Augustini idem est, ac talem fidem, ac patientiam esse supernaturales; elicitasque auxilio supernaturali. Nàm, vt videre est in eius operibus, non alitèr probat, aliquos actus esse supernaturales, & elicitos auxilio gratiæ supernaturalis infusæ, nisi asserendo; esse domum Dei: ergo juxta Divum Augustinum talis Fides elicita auxilio gratiæ supernaturalis & supernaturalis adstruitur.

SECTIO I.

ALIQVIBVS ARGVMENTIS RESpondetur.

20. Obijcies primò: si Hæreticus posset esse Theologus, in Hęretico posset reperiri habitus Theologicus; sed in Hæretico habitus Theologicus reperiri nequit: ergo. Probatur maior: sicnon dicitur logicus in quo nō datur habitus logicalis, nec mathematicus, in quo non datur habitus mathematicus, ità nec diceretur Theologus ille, in quo non daretur habitus Theologicus, vel Theologia habitualis. Probatur minor primò: habitus Theologicus est indistinctus ab habitu Fidei; sed habitus Fidei in Hæretico non reperitur: ergo. Secundò: habitus Theologicus est supernaturalis, & infusus; sed nullus habitus supernaturalis infusus

in

in Hæretico reperitur: ergo.

21. Acut ill. Doct. & Arriag. inde deducunt habitum Theologicum non esse supernaturalem; quia iudicant, permanere in Theologo facto Hæretico. Nàm Theologus Hæreticus factus eodē modo discurreret in materijs Theologicis, eodem modo responderet, ac probaret, ac antea: ergo idem habitus Theologicus in eo remaneret, à quo hæc facilitas provenit. Ego verò cum supponam, habitum Theologicum esse supernaturalem alitèr respondere teneor.

22. Respondeo, distinguo maiorem: in Hæretico posset reperiri habitus Theologicus infussus, nego: acquisitus, concedo, & distinguo min: in Hęretico habitus Theologicus reperiri nequit, habitus Theologicus infussus, concedo; acquisitus, nego. Ab hoc enìm habitu acquisito remanente, Theologus dicitur remanere. Nec enìm omnes denominantur Theologi à Theologia infussa, sed ab acquisita per studiū, repetitionemque discursum, & actuum Theologicorum. Vtrùm autem talis habitus acquisitus dicendus sit supernaturalis? est sub dubio. Aliqui naturalem appellant, quià licèt oriatur à conclusione Theologica supernaturali, ex se indifferens est, vt proveniat à conclusione naturali, vndè non exigit determinatè principium supernaturale. Sic amor naturalis Dei in Beatis oritur à visione supernaturali, quin sit supernaturalis, quià indifferens est, vt proveniat etiàm à visione naturali abstractiva. Alij verò eum supernaturalem esse dicunt, negantes talem indifferentiam.

23. Ego verò ab hoc præscindo, & assero, quod si talis habitus acquisitus est naturalis, nulla est difficultas in eo, quod maneat in Hæretico, & cum ab hoc, adhuc in statu Catholici denominetur Theologus, eodem modo manet Theologus post hæresim contractam, ac antea. Si verò sit supernaturalis, graves DD. Molin. Gil. Gaspar Hurt. disput. 7. de Fide. dific. 5. & alij iudicant, habitus naturales acquisitos manere in Hęretico, & peccatore, solumque amitti habitus infussos. Vnde etiam si habitus Theologicus includat habitum Fidei, habitus scilicèt Theologicus acquisitus habitum Fidei acquisitum, hic poterit permanere in Theologo facto Hæretico, & facilitare ad actus Fidei post hæresim, sicut habitus acquisitus tempore hęresis facilitare ad actus Fidei post hęresim retractatam.

14. Si tamèn velis dicere, Theologum denominari ab habitu Theologiæ infusso, cum hic non permaneat post hæresim, dic etiàm non permanere Theologum, eo modo quo non permanet Fidelis. Att, sicut non obstante, quod non denominetur Fidelis, ex eo non infertur, quod non possit elicere aliquos actus Fidei supernaturalis, vt probatum manet, ità etiàm si non denominetur Theologus, ex eo non in-

inferretur, quod nequeat aliquos discursus Theologicos elicere. Et ratio erit: quia sicut Fidelis absolutè non dicitur, qui elicit in aliquibus materijs determinatis tantùm actus Fidei, sed qui in omnibus, & aliàs est ornatus habitu infusso Fidei; ità non dicetur Theologus, qui hos, vel illos discursus Theologicos elicit, sed qui omnes elicere potest ornatus habitu infusso Theologiæ.

25. Probationes minoris sub controversia sunt. Nàm PP. Turrianus, Fonseca, & alij apud Card. Lug. disp. 1. de Fide. Sect. 8, §. 7. num. 345. tenent, habitum Theologicum non includere habitum Fidei, nec esse infusum, sed vnicè acquisitum, licèt supernaturalem.

26. Obijcies secundò authoritatem illam Dionysij cap. 2. de Divinis nominibus dicentis: *Theologum non esse, qui non est Fidelis*: ergo in Hæretico nequit dari Theologia.

27. Respondeo, D. Dionysium loquutum de Theologia habituali, seù habitu infusso supernaturali Theologico, qui habitum Fidei includit; vi cuius Evangelistæ (præcipuè Joannes, quia altiori lumine præditus) Theologi nuncupantur, non de Theologia vel habituali acquisita, vel actuali tantùm, & inadæquata, qualis remanet in Infideli.

28. Obijcies tertiò: si posset dari Theologia in hæretico, posset dari etiàm in Dæmone, & damnatis; sed in hìs nequit dari: ergo. Probatur sequela: quia sicut Hæreticus ex duplici præmissà, evidenti vnà, & alià de Fide infert, & discurrit, ità Dæmon, & damnatus inferre potest, & discurrere. Probatur minor: quià Theologia est donum Dei, & iuxta Dionysium cap. 4. de divinis nominibus Dæmones carent omni dono tàm secundum habitum, quàm secundum operationem.

29. Si staret doctrina Patris Vazquez sæpè citata: nempè Theologiam tàm actualem, quàm habitualem esse entitativè naturalem, nulla esset difficultas in concedenda sequela. Actus enim naturales non dicuntur dona in eo sensu, quo à D. Dionysio negantur omnia dona Dæmoni; & tàm hic, quàm damnati varijs vijs agnoscunt naturalitèr, & clarè ea, quæ nos per Fidem agnoscimus. Ni velis dicere, & ità dicendum iudico; tales conclusiones Dæmonis, & damnatorum, adhuc in hac suppositione, non esse Theologicas, cum non inferrentur ex aliquà præmissà ipsis obscura, quam conclusiones Theologicæ, licèt naturales, exigunt necessariò.

30. In suppositionibus quęstionis loquendo de possibili concedo sequelam. Nulla enìm in hoc repugnantia relucet. Negatio nanque donorum erga Dæmones, & damnatos, est demeritoria, & non orta ex aliquà essentiali repugnantià cum statu. Loquendo tamèn de facto, & ex natura rei, respondetur dis-

distinguendo sequelam: posset etiàm dari in Dæmone, & damnatis, si in his maneat habitus Fidei infusus, vel saltem possint habere aliquos actus Fidei supernaturalis, concedo: si eos saltèm habere nequeant, nego. Ità distinguo, nàm Durandus in tertio distint. 23. quæst. 9. Magister ibi §.4. in quod inclinat Salmeron disp. 3. in Epist. Jacobi, & probabile putat Valent. hìc disp. 1. quęst. 5. pun. 2. iudicant in Dæmone, & damnatis manere Fidem tàm quoad actus, quàm quoad habitum, si eam habuerunt in via. Et licèt hanc sententiam temeritatis notà inurant Exim. D. Bañez, & alij, eam ab omni nota liberant Granad., & Hurtad. hìc. disp. 59. sect. 1. in quà sententia, (à quà nunc præscindo) non est dubium Dæmones, & damnatos remanere Theologos.

31. Ego tamèn stando communioribus principijs nego sequelam. Ratio disparitatis est: quia in Dæmone, & damnatis nequit dari aliquis actus Fidei supernaturalis, qui se habeat vt præmissa ad discursum Theologicum; alitèr autem in Hæretico, vt probatum manet. Si tamèn quæras, cur Hęretìcus possit habere actum Fidei supernaturalis, non tamèn Dæmon, seù Damnatus? Respondebo: quia actus Fidei supernaturalis indiget auxilio supernaturali gratuito ad hoc vt fiat: quod sane auxilium meritò negatur Damnatis, quibus iam gratiæ, & misericordiæ locus non est; & quià frustrà illis tale auxilium daretur. Cum enim actus supernaturales ordinentur ad iustificationem, & beatitudinem, cessante illo fine, prout cessat in Damnatis, otiosa essent media supernaturalia. Ast verò Hæretico, cum sit in via in statu capaci gratiæ, & misericordiæ, Deus confert tale auxilium, ne penes ipsum stet, quod non negotietur vtilitèr, cum se offerat occasio. Insuper cum Hæreticus possit iustificari, & beatitudinem assequi, frustranea non essent media, operationes scilicèt supernaturales.

SECTIO II.

RESPONDETVR argumentis precipuè probantibus in Hæretico non posse reperiri actus Fidei.

32. Objicies quartò contra primam partem primæ minoris: à D. Paul. 1. ad Timot. cap. 1. comparatur iactura Fidei naufragio ita: *Quidam repellentes bonam conscientiam circa Fidem, naufragaverunt.* Atqui naufragus patitur omnium bonorum iacturā: ergo Hæreticus omnem Fidem tam habitualem, quam actualem. Supra quæ verba S. Thomas ait: *Qui contra Fidem errat, perdit omnia, quæ habet.* Confirmatur: ibidem cap. 6. Paulus de illis, qui vno articulo errabant, ait: *Si quis alitèr dicit, superbus est, & nihil sciens:* Ergo

go non manet assensus Fidei circa alios articulos, aliàs aliquid sciret.

33 Respondetur: comparationem naufragantis cumHæretico nõ esse adæquatam. Aliàs amitteret etiam illustrationes, & auxilia gratiæ, tum ad actus virtutum moralium, tum ad defferendam suam pertinaciam, quòd à Theologis nõ conceditur. Paritas stat in duobùs: 1, quòd per hæresim amittuntur omnes habitus supernaturales infusi, quo hæresis ab alijs peccatis difert, & ideò alia naufragium non dicuntur. 2, quòd per hæresim amittitur gratia, & contrahitur difficultas appellendi ad portum salutis, quæ difficultas vi hęresis maior est præ alijs peccatis. Ad confirmationem respondetur, Hæreticum dici nil scientem, quià amittit omnes habitus infussos supernaturales, qui se habent per modum scientiarum, vel quia comparatione eorum, quæ amittit per errorem, nil est quòd acquirit per actus.

34. Obijcies quintò: Concilium Trident. Sess. 6. cap. 15. statuens, Fidem amitti per peccatum infidelitatis, vbi loquitur vniversalitèr, & debet intelligi de Fide tàm actuali, quàm habituali; sed quælibet hæresis est peccatum infidelitatis: ergo. Huic adde Sanctos Patres, præcipuè Aug. asserentes, Hæreticum non re ipsa, sed nomine tantùm, esse Christianum: ergo non re ipsa, sed nomine tantùm credit.

35 Respondetur 1: Concilium esse intelligendum de habitu Fidei. Nota obiter ex Ripalda, seclussa hac Tridentini authoritate, nullum dari firmum fundamentum pro negando habitu Fidei in hęretico. Respondetur 2. Quod si intelligatur etiam de actu, non esse de actu vtcumque, sed de actu illo, qui sufficiens sit ad constituendum hominem Fidelem in statu morali fidelitatis. Vt autem homo ita non constituatur, sufficit negatio proterva alicuius mysterij, licèt credantur alia. Sicut homo intemperatus in aliqua materia, non dicitur moraliter temperatus, licèt circa alia actus temperantiæ excerceat, nam *malum ex quocumque deffectu*. Et ita interpretandi sunt Sancti P.P. Vt enim quis absolutè Christianus appelletur, in nullo à professione Christiana deficere debet, *bonum* namque *ex integrà causa*.

36 Obijcies sextò D. Thomam tum 2.2. quæst. 5. art. 3. tum in 3. dist. 23. vbi expresè videtur negare Fidem circa aliquod mysterium in discredente alia, itaque pro hac sententia solet citari, idque tenent omnes Thomistæ, sed nè videamur illum deserere, seù potius nos ab illo destitui. Sit

SEC.

SECTIO III.

EXAMINATVR MENS Divi Thomæ.

37 CVM pro contraria sententia negante Fidem in hęretico ab omnibus citari soleat Angelicus Doct. idque teneant omnes Thomistę, ne videamur illum deserere, eius mentem perscrutari decrevi. Iudico ergo primò, illum non negare Fidem imperfectam, inadæquatam, & particularem in Hæretico, sed perfectam, completam, & vniversalem sufficientem, vt per illam dicatur *Fidelis* absolutè. Iudico secundò, illum non loquutum 2. 2. quæst. 5. artic. 3. Tum in 3. dist. 23. de Fide actuali sed de habituali, ac proinde ipsum non negare in Hęretico aliquem, vel aliquos actus Fidei, sed habitum Fidei infusum. Quòd loquatur de Fide perfecta, & adęquata, eamque solum neget in Hæretico, colligo primò ex ipso titulo articuli, ita se habente: *Vtrùm qui discredit vnum àrticulum Fidei, possit habere Fidem informem de alijs?* Nomine autem Fidei sine vllo addito diminuente intelligitur Fides perfecta. De hac ergo loquitur.

38 Secundò, ex probatione ipsius in §. *Respondeo*, quam probationem concludit hac duplici propositione affirmativa, & negativa: *Manifestum est autem, quod ille, qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam infallibili Regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesiæ docet.* Deindè: *Et sic manifestum est, quod Hæreticus, qui pertinacitèr discredit vnum articulum Fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ.* Tunc sic: sed qui omnibus assentit, item, qui paratus est inomnibus sequi doctrinam Ecclesiæ, habet Fidem vniversalem, perfectam, & adæquatam: ergo de hac vnicè loquitur Angelicus Magister, & hanc vnicè negat in Hæretico, quam & nos vnicè negamus. Tertiò ex responsione ad primum, vbi hęc habet: *ad primum ergo dicendum, quod alios articulos Fidei, de quibus Hæreticus errat, non tenet eodem modo, sicut tenet eos Fidelis, scilicèt simplicitèr inhærendo primæ veritati.* Quod vtique & nos concedimus. Tunc sic: sed Fidelis inhærendo primę veritati simplicitèr, ei inhæret per Fidem vniversalem, & perfectam sufficientem, vt ipse denominetur absolutè Fidelis: ergo de hac loquitur Angelicus Magister, & hanc negat in Hæretico, eamque & nos negamus.

39. Quod ibi loquatur de Fide habituali, eamque vnicè neget in Hæretico, colligo primò ex argumento primo eiusdem articuli, quod solùm intendit statuere donum Fidei, quo adiuvatur intellectus, hocque in responsione relegat tantum ab Hęretico Angelicus Magister; sed donum Fidei, quo adiuvatur intellectus ad actus Fidei eliciendos, est habitus Fidei, seù Fides

des habitualis : ergo de hac tamèn loquitur. Secundò: in argumento *sed contra* comparat Fidem, quam negat in Hæretico charitati; quę expellitur per peccatum; sed charitas, quę expellitur per peccatum, est charitas habitualis, seù habitus charitatis, non verò charitas actualis, cum per eam se disponat homo ad justificationem : ergo Fides, quæ iuxta Angelicum. D. excluditur ab Hæretico per hæresim, est Fides habitualis, non actualis.

40. Tertiò : ex §. *Respondeo*, vbi ità suum intentum declarat, & concludit : *Vndè quicunque non inhæret sicut infallibili, & divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate primà in Scripturis Sacris manifestata, ille non habet habitum Fidei*; ergo de hoc loquitur. Quartò: articulo 4. eiusdem quæstionis, in responsione ad primum ità loquitur: *Ille, qui pertinacitèr discredit aliquid eorum, quæ sub Fide continentur, non habet habitum Fidei, quē tamèn habet ille, qui non explicitè credit omnia, sed paratus est omnia credere.* Quid clarius, & congruentius probare potest, Sanctum Thomam loqui de Fide habituali, non tamen de actuali, illamque, & non hanc negare in Hæretico, quam & nos negamus: Quo constat, nostram conclusionem è doctrina D. Thomæ non discedere, sed ei maximè conformari.

41. Objicies septimò ex D. Thoma : species cuiuslibet habitùs dependet ex formali ratione obiecti, quà sublata, species habitùs remanere non potest ; sed objectum formale Fidei, est veritas prima secūdum quod manifestatur in Scripturis, & doctrinà Ecclesiæ : ergo qui non assentitur obiecto ob hanc primam veritatem ex propositione Ecclesię, Fidem non habet. Sed Hęreticus discredens aliquod mysterium ex propositis ab Ecclesia ipsam Ecclesiam despiciens, nequit ità assentiri alicui ex mysterijs ab eadem Ecclesia propositis, vt per se patet : ergo.

42. Pro argumenti solutione nota primò : ex eo solùm inferri, in Hęretico non remanere habitum Fidei, eo quod hic verificetur à veracitate prima vniversali, & continente omnes veritates, & mysteria revelata; non tamen, non posse in eo reperiri aliquem actum Fidei particularem non specificatum ab illa vniversali veracitate revelante, sed à particulari, & in hac particulari materia. Nota secundò : non debere necessariò applicari pro Fide extorquenda omne obiectum credibile per authoritatem Ecclesiæ, sed posse applicari per miracula, vel per revelationem particularem mihi factam, vt postea videbimus. Vndè, & si sperneretur Ecclesia, eiusque authoritas, adhuc remanerent talia applicativa mysteriorum Fidei credibilium. His suppositis,

43. Respondetur : concedo maiorem, & distinguo minorem: sed obiectum formale Fidei, est veri-

ritas prima, ideſt, obiectum formale Fidei vniverſalis, & perfectæ eſt veritas prima vniverſalis etiàm, cōcedo: obiectū formale Fidei particularis, & imperfectæ eſt veritas prima vniverſalis, nego, & diſtinguo conſequens: ergo qui non aſſentitur obiecto ob hanc primam veritatem, Fidem non habet vniverſalem, & perfectam, concedo: particularem, & imperfectam, nego. Igitùr Hæreticus vni myſterio credens, & haberet obiectum materiale, nempè hoc myſterium, quod credit, & obiectum formale, nempè hanc veracitatem divinam revelantem particularem, & etiàm applicativum, nempè hæc, vel illa miracula, hoc, vel illud ſignum. Quid ergò prohibet, quod habeat etiàm actum Fidei particularem? Quod duplici exemplo clareſcit. Primo: nàm ſicut ſub vnà ſcientià, nempè Geometria continentur plures concluſiones, ità ſub vnà Fide plures actus; ſed homo poteſt habere plures actus particulares, ſeù plures Geometricas concluſiones, alijs ignoratis: ergo & plures actus Fidei particulares circa aliquos articulos particulares, alijs non creditis. Secundo: ſicut homo præſtat obedientiam Deo, credendo articulos Fidei, ità etiàm ſervando mandata legis; ſed homo poteſt eſſe obediens obedientia particulari, & imperfecta circa quædam mandata, & non circa alia: ergo & ſimilitèr poteſt habere Fidem particularem, & imperfectam circa quoſdam articulos Fidei, & non circa alios.

44. Statim tamèn inſurgis cum Angelico Præceptore: lata eſt diſparatas inter ſcientiam, obedientiam, & Fidem: nàm in vnà ſcientia ſunt diverſæ concluſiones, & diverſa media, per quæ probantur, quorum vnum poteſt cognoſci ſinè alio. Diverſa ſunt præcepta legis, quę referri queunt ad diverſa motiva proxima, ac proinde vnum poteſt ſervari ſine alio. Fides verò vnum, & vnicum motivum, & medium habet, nempè veracitatem divinam revelantem vnam, & vnicam in omnibus articulis Fidei; ſed Hæreticus diſcredens vnum articulum Fidei, decidit ab illa veracitate divina revelante: ergo licèt poſſet quis habere aliquos actus vnius ſcientiæ, & non alios, obedire alicui pręcepto legis, & non alijs; nequit tamèn habere aliquem actum Fidei, diſcredens myſterio alteri revelato.

45. Ità reſpondet S. Thomas ad exempla à nobis poſita, quæ ſibi obijcit, ſed eius reſponſionem mihi obijcio, vt clarè pateſiat, D. Thomam loquutum, vel de Fide vniverſali, & perfecta, vel de Fide habituali, dum negat Hæretico eam, non de Fide actuali particulari, & imperfecta, quam nos ipſi concedimus. Vndè omnimodam paritatem inter exempla ſcientiæ, obedientiæ, Fidei, ſic vlterius oſtendo. Nàm ſicut datur ſcientia totalis ad motivum totale, obedientia vtique totalis omni præcepto legis, à quibus deficit, qui vnam, vel alteram con-

conclusionem ignorat, qui vnum, vel alterum pręceptum legis non obſervat, & ſcientia, & obedientia partialis, cum quà optimè componitur, quod quis ignoret aliquas concluſiones, & aliqua præcepta non obſervet, dummodo aliquas concluſiones eliciat, & aliquibus præceptis obediat. Ità & datur Fides vniverſalis ob motivum vniverſale, veracitatem nempè divinam revelantem, quà credat omni articulo revelato, cum quà non componitur, diſſenſus, & diſcredentia circa aliquos articulos revelatos, & Fides particularis ob veracitatem divinam particularem in hac, vel illa particulari materia, quà cum optimè componitur, quod non credat, ſeù diſſentiatur alijs articulis revelatis. Ratio eſt: quia ſicut dantur in vnà ſcientià plura, & diverſa media pro concluſionibus probandis, in vnà obedientià plura, & diverſa motiva obſervandi pręcepta, ità in vnà Fide dantur diverſi articuli credendi, & diverſę veracitates revelantes iuxta diverſitatem articulorum: item, & diverſę applicationes talium motivorum, quàproptèr & poterunt dari diverſi actus Fidei.

SECTIO IIII.

ALIA ARGVMENTA RATIONIS pro eodem intento ſolvuntur.

46. Obijcies octavò, & pręcipuum adverſæ partis fundamentum: qui amat efficacitèr aliquod obiectum ob aliquod motivum, amat virtualitèr cętera, quæ ſub illo motivo continentur, quia ratio pro omnibus eſt eadem. V. g. qui amat Petrum, quia eſt homo, amat virtualitèr Paulum Didacum &c. cum ſint homines: ergo qui præſtat aſſenſum vni myſterio, quià revelatum eſt authoritate divina, præſtat virtualitèr aſſenſum omni myſterio revelato à Deo, cum in omnibus idem ſit motivum. Sed cum aſſenſu virtuali vnius obiecti, nequit compati diſſenſus formalis ipſius: ergo cum aſſenſu Fidei in vnum myſterium, nequit componi diſſenſus Hæreticus in aliud.

47. Confirmatur: eſto amans efficacitèr vnum obiectum ob aliquod motivum, non amet virtualitèr omnia contenta ſub illo, ſaltèm deteſtatur virtualitèr omnia, quæ motivo amandi opponuntur. V. g. amor Dei, quià bonus eſt, eſt virtualitèr deteſtatio peccati, quod oppoſitum eſt bonitati divinæ: ergo amans efficacitèr vnum aſſenſum Fidei ob bonitatem credendi teſtimonio Dei ſufficientèr credibili, deteſtatur virtualitèr diſſenſum Hęreticum oppoſitum tali teſtimonio:

ergo non componitur cum illo.

48. Pro argumenti gravissimi solutione, plenàque huius rei intelligentià, suppono primò, duplicitèr posse Hęreticum dissentiri articulo Fidei ab Ecclesia proposito. Primò, admittendo revelationem Dei ab Ecclesia propositam, & negando talem revelationem habere connexionem indefectibilem cum obiecto revelato. Si hoc modo se haberet, iudico; nullatenus posse assentiri actu Fidei alicui articulo. Ratio est: quià qui semel sibi persuadet, Deum posse vel fallere, vel falli in aliqua revelatione, non habet eam securitatem in revelatione Dei, quæ necessaria est ad motivum Fidei. Cum enìm hoc sit obscurum, sempèr remanebit in assentiente illa formido, ne sicut in vno vel decepit, vel fuit deceptus (à quo vtroque capite vnicè potest provenire defectus connexionis in revelatione) etiàm in hoc, vel decipiat, vel decipiatur; quæ formido sat est ad destruendum motivum Fidei divinæ: indeque deducimus, quid creatum non ingredi motivum Fidei. Secundò, potest ità se habere, vt admittat, omnem revelationem divinam habere infallibilem connexionem cum obiecto revelato; neget tamèn, esse obiectum revelatum re ipsa illud, quod ab Ecclesia vt revelatum proponitur, despiciens authoritatem Ecclesię. Et ità se habet Hęreticus quæstionis nostrę assentiens vni mysterio, quia revelatum iudicat, & dissentiens alteri, quià iudicat non revelatum.

49. Suppono secundò, quod vt aliquis dicatur Hęreticus, non est necessè, quod neget connexionem authoritatis divinæ revelantis cum obiecto revelato, sed adhuc admissa, & confessa tali connexione, est Hæreticus, qui postquam sibi proposita est sufficientèr authoritas Ecclesiæ, & ideò prudentèr tenetur ei assentiri, negaret aliquod mysterium ab Ecclesia vt revelatum, ideòque Fide credendum propositum; esse re ipsa revelatum à Deo.

Suppono tertiò, non esse necessarium ad omnem assensum Fidei, quod mysterium credendum prius proponatur per authoritatem Ecclesię. Ità Schotus, Capreolus, Lorc. Canus, Meratius, & alij, quos citat, & sequitur Ripald. disput. 6. de Fide. sect. 4. num. 29. Tum, quià ipsa authoritas Ecclesiæ creditur Fide divina, quin ante assensum huius articuli exigatur ipsa authoritas proposita per aliam authoritatem. Tum quia experientia constat, pueros prius sępè credere alios articulos Fidei, si forte eis prius proponantur, quàm authoritas Ecclesię. Tum denique, quià iuxta probabiliorem sententiam Card. de Lugo, Hurt. & aliorum sufficit revelatio privata pro assensu Fidei. Imò Suarez, Azor, Castropal. & alij iudicant esse re ipsa Hęreticum, qui revelationi privatæ, & particulari non assentiretur. His suppositis,

50. Respondeo primò distinguendo antecedens; qui amat aliquod

quod objectum ob aliquod motivum, amat virtualitèr omnia ſub illo motivo contenta; ſi motivum eodem modo ſit omnibus contentis applicatum, concedo: ſi non ſit, nego, & diſtinguo conſequens: ergo qui præſtat aſſenſum vni myſterio, quia revelatum eſt, præſtat aſſenſum omni myſterio, ſi eodem modo revelata iudicentur, ac illud vnum, cui creditur, concedo: ſi non revelata iudicentur, nego. Quia ità mihi, & erga meum aſſenſum ſe habent, quaſi revelata non eſſent. Solutio conſtat ex ſuppoſitis factis. Certum eſt, Hæreticum illum credere myſterium, v. g. Incarnationis, ob authoritatem divinam revelantem, ſed applicatam non ab authoritate Eccleſię, ſed per miracula, alia ve ſigna ſufficiẽtia ad extorquendum actũ Fidei, diſcredere verò myſterium Euchariſtiæ, quià revelatum non putat. Vndè iam illud non continetur ſub illo motivo authoritatis revelantis hic, & nunc, & erga me. Aſt quià ab Eccleſia ità proponitur revelatum, vt ipſe culpabilitèr neget, ſpretà Eccleſię authoritate, in tali diſſenſu Hæreticus evadit.

51. Ad confirmationem tranſeat antecedens, & nego ſuppoſitum conſequentis, quod diſſenſus Hæreticus opponatur aſſenſui Fidei ob honeſtatem credendi teſtimonio Dei. Cum talis diſſenſus Hæreticus non terminetur ad tale teſtimonium Dei, ſed potius eliciatur, quia iudicatur, tale teſtimonium non dari de myſterio diſcredito.

52. Reſpondeo ſecundò, quo ampliùs declaratur ſolutio antecedens, cum ſit ratio à priori illius. Diſtinguo antecedens: qui amat efficacitèr aliquod obiectum ob aliquod motivum, amat virtualitèr omnia contenta ſub illo, ſi motivum accipiatur vniverſalitèr, & in tota ſua latitudine, tranſeat: ſi ità non ſumatur, ſed contractè, nego, & diſtinguo conſequens; ergo qui pręſtat aſſenſum vni myſterio, quia revelatum eſt authoritate divina, præſtat aſſenſum &c. ſi motivum revelationis ſumatur vniverſalitèr, & in tota ſua latitudine, concedo: ſi ità non ſumatur, ſed contractè, nego. Et ità ſumitur authoritas divina revelans in caſu quæſtionis.

53. Inſurgis contra ſolutionem ſtatim. Authoritas divina revelans, quæ ſe haberet vt motivum illius actùs Fidei Hęretici, & eſſet authoritas divina vt talis, & eſſet motivum Fidei divinæ vt talis; ſe authoritas ità ſe habens eſt vniverſalis, comprehendensque proinde omnia myſteria revelata: ergo.

54. Reſpondeo; diſtinguo antecedens: & eſſet authoritas divina vt talis, ſi per ly *vt talis* intelligas authoritatem divinam, ſecundu adæquatam vim motivam ipſiu nego: ſi intelligas authoritatem divinam, quæ & ſi contractè ſumatur, eſt propriè, & ſimplicitèr authoritas divina, concedo. Sicut enìm omnes virtutes politicæ, & mo-

morales excercent, vel adæquatè, vel inadæquatè suam rationem formalem motivam, quin inferatur, rationem formalem motivam inadæquatè excercitam non esse propriè talem, aut cadere à ratione formali talis virtutis, sed solùm non accipi in tota sua latitudine, & vi; ità in revelatione &c. Exemplis res clarescet. Potest charitas moralis ob motivum misericordiæ sublevare hunc pauperem, & non alium, & si in eo reluceat idemmet motivum misericordię, sublevare miseriam cibi, & non vestis, pręcipuè, si etiam si vterque sit pauper, ac proinde in vtroque detur re ipsa eadem miseria; paupertas, & miseria vtriusque constet mihi per distincta media; paupertas vnius v. g. quia eam video, & paupertas alterius, quia eam mihi repræsentat Franciscus, qui & si dignissimus sit creditu, illi tamèn non credo. Potest Religio movere ad adorandum Deum propter excellentiam misericordię, & non iustitiæ. Potest debitor ex motivo justitiæ velle satisfacere debito decem nummorum, & nolle satisfacere debito centum. Velle pecuniam solvere, vbi Scripturæ sunt authenticæ, & non vbi sunt obscuræ. Velle satisfacere in honore, & nolle satisfacere in pecunijs. Cur ergo sicut hæc motiva excercentur inadęquatè, ità non poterit excerceri motivum Fidei divinę.

55. Ad confirmationem argumenti respondeo; distinguo antecedens: qui amat efficacitèr aliquod obiectum detestatur virtualitèr omnia, quæ opponuntur motivo amoris, quando efficacia, & intentio amandi est adęquata motivo amoris, concedo: quando est inadæquata, nego. Hìc enìm esset inadæquata, siquidem cum cognitione causę non compatitur error circa effectum ipsius, si cognitio sit comprehensiva, & adæquata cognoscibilitati illius, non verò si sit inadæquata, & non comprehensiva.

SECTIO V.

ALIJS ARGVMENTIS FIT SATIS.

56. OBijcies nonò ex M. Bañez: destructo aliquo obiecto materiali possunt dari plures actus, habitus, vel scientiæ circa obiectum formale, & alia obiecta materialia: quia obiectum formale terminat cognitionem independentèr à materiali, materiale tamèn dependentèr à formali; destructo tamèn obiecto formali, nullus actus exerceri potest; sed per dissensum Hęreticum destruitur obiectum formale Fidei; quià tollitur veritas divina vt per Ecclesiam proposita: ergo posito tali dissensu, nequit dari vnus assensus Fidei. Exemplo Physico rem declara. Negato ente mobili, nequit dari vllus actus physicus, quià ens mobile est ratio formalis phylosophiæ: negato verò hoc, vel illo ente mobili, homine v. g. vel Leone, non

ideò cessabunt actus physici, quia homo, & leo sunt obiecta materialia phylosophiæ. Hoc argumentum à Caietano mutuatum, asserit Bañez.

57. Respondeo: retorqueo in principijs Theologicis. Thomistę enìm sępè conclamant, obiectum formale habituum, & potentiarum, non esse hoc, aut illud in specie, sed cōmunem rationem amplectentem omnes species. Vndè dicunt, potentiā visivam permansuram, etiàm si impossibilis esset nigredo, quià visio non habet pro obiecto formali nigredinem, quià nigredo, sed quià color: coloris autem ratio manet in albedine, ac propterea poterit potentia visiva plures excercere actus, adhuc nigredine destructa. Tunc sic: ergo similitèr habitus Fidei non habebit pro obiecto formali hanc, vel illam revelationèm, nec pro applicatione hanc, vel illam applicationem, sed revelationem vt sic, & applicationem vt sic; & consequenter, sicut destructa nigredine, manet sufficientèr color in albedine, ac proinde potentia visiva potest sufficientèr plures actus excercere: destructa ab Hæretico hac, vel illa revelatione, & hac applicatione per Ecclesiam, manebit sufficientèr revelatio in alijs speciebus contenta, & applicatio per miracula, aut alia signa, poteritque exerceri Fides in pluribus actibus circa alia obiecta. Idem enìm dic in exemplo mobilis.

58. Respondeo directè. Transeat maior. Et nego, vel distinguo minorem: destruitur; hoc est, non manet in tota sua latitudine, & vi motiva, concedo; non manet contractum, & movèns particularitèr ad plures actus, nego. Et similitèr nego minorem subsumptam; quod motivum Fidei sit necessariò revelatio, vt proposita ab Ecclesia. Nam vt sæpè diximus, independentèr à propositione Ecclesiæ dantur plures actus Fidei, applicata revelatione communi per alia media, propositiones scilicèt Parrochi, Parentis, Magistrorum, miraculorum &c. vel facta revelatione particulari alicui personę. V. g. Zacariæ, de nativitate Baptistæ: licèt enìm negata revelatione circa hoc mysterium non maneat in tota sua latitudine; tamèn cum conceditur circa alia, potest plures actus movere. Sicut etiàm, si quis negaret, hominem esse ens mobile, dummodò alia entia mobilia concederet, posset phylosophia plures actus elicere, licèt non tantos, ac si non negaretur, hominem esse ens mobile.

59. Obijcies decimò: licèt revelationes, & applicationes sint omninò diversæ, ac independentes, authoritas divina, quę integrat motivum Fidei, est semper eadem: ergo hoc motivum, nequit ab eodem intellectu negari, & affirmari. Iam enìm negatio, & affirmatio essent de eodem.

60. Respondeo: concedo antecedens, & nego suppositum consequentis, quod à tali Hæretico negetur vnquam authoritas divina.

Po-

Potius enim, vt iam diximus hæc affirmatur, admittitur, & colitur ab illo. Quod enim vnicè negat, est, talem authoritatem revelasse hoc mysterium, quod non credit; & quod affirmat, est, talem authoritatem revelasse aliud, quod credit. Cùm ergo, quod affirmatur, & negatur, sit revelatio, & hęc sit omninò diversa, & independens in vtroque actu: indè est, quod nulla detur oppositio, nec formalis, nec virtualis. Insuper: applicationes sunt omninò independentes. Vt si quis diceret: *credo creationem mundi vt mihi per Moysem revelatam: non credo mysterium Eucharistiæ vt mihi per Ecclesiam propositum.* Vndè licèt admittatur vna applicatio, & alia negetur, non relucet illa oppositio.

61. Objicies vndecimò: Ecclesiæ authoritas necessaria est ad actum Fidei: ergo Hæreticus, qui eius authoritatem respueret, non potest habere actum Fidei. Probatur antecedens primò: quia, & si positivè non esset necessaria, esset tamen privativè; hoc est, opus est, vt non negetur. Secundò: quià miracula non sufficiunt ad extorquendum actum Fidei, nec revelatio privata: ergo necessaria revelatio publica, & applicatio per authoritem Ecclesiæ.

62. Nota, argumentum evertere suppositũ quæstionis, & ingredi in campos non proprios, & independentes à præsenti dissidio. Hìc enim loquimur suppositis communioribus principijs, quæ in præsenti non disputantur, & aliàs defenduntur ab omnibus ferè Theologis. Scilicèt, authoritatem Ecclesiæ non esse ex natura rei necessariam ad assensum Fidei: miracula esse sufficientia pro eo extorquendo, & revelationem privatam esse motivum Fidei. Vide ea, quæ supposuimus pro sexto argumento. Sed levi calamo, nego antecedens. Ad primam probationem dico, id pro libito affirmari. Si enim miracula sufficiunt pro assensu catholico, quin cogitemus positivè de authoritate Ecclesiæ, quid refert eam negare, cum hæc negatio non adimat vires miraculo? Insuper: demus, controversiam esse intèr catholicum, & Hæreticum de ipsa authoritate Ecclesiæ. Potest certè Hæreticus convinci miraculis, & signis à Catholico propositis pro ea veritate credenda. En tunc absque prævia authoritate Ecclesiæ proponentis, daretur assensus Fidei.

63. Ad secundam probationem nego etiam illam. Sic Christus accusavit Judæorum incredulitatẽ dicens, nullã habituros excusationem, quia visis eius operibus, & miraculis, non crediderunt. Sic Joannes miratur Iudæorum incredulitatem, quod post tot signa à Christo facta coram eis, nõ crediderint. Sic Nicodemus apud Joannem 3. credidit in Christum, quia nisi ipse esset à Deo, non posset facere, quæ faciebat.

64. Etiam revelatio privata suf-

sufficiens est ad extorquendos actus Fidei, qui eliciantur ab eodem habitu Fidei infusæ, vt videre est apud Ripaldam citantem pro hoc 17. DD. tract. de fide disp. 7. sect. 1. n. 4. Tum, quia potest Deus revelare cuilibet Prophetæ aliquod mysterium, quin ei primò declaret tanquam personæ publicæ esse revelatum: & deinde in alio instanti declarare, id alijs esse vulgandum, & in vtroque instanti potest Propheta perseverare in eodem assensu; sed in secundo per vos estFidei divinæ, eliciturque ab habitu Fidei: ergo, & in primo. Tum quia homo homini eundem assensum præstat loquenti sivè publicè, sivè secretò. Tum denique quia juxta probabiliorem sententiam Theologorũ Deus omnibus, & singulis Angelis revelavit mysteria immediatè, quæ per Fidem nobis communem crediderunt, & tamen huiusmodi revelationes non sunt publicæ, sed privatæ, cum nulli eorum ad aliorum instructionem factæ sint: ergo per Fidem communem potest dari assensus revelationi privatæ.

65. Obijcies duodecimò: repugnat eundem hominem esse prudentem, & imprudentem, fidelem, & infidelem; sed ita se haberet Hæreticus in casu quæstionis: ergo. Probatur minor: esset imprudens, & infidelis negans auctoritatem Ecclesiæ: esset prudens, & fidelis assentiens alteri mysterio.

66. Respondetur: eodem argumento probarem ego, non posse aliquem hominem perseverate in peccato, & elicere actum Fidei, vel misericordiæ. Nam in perseverantiâ peccati esset imprudens, & in elicientia actùsFidei esset prudens. Distinguo maiorem: repugnat eundẽ hominem esse simul prudentem, & fidelem, & imprudentem, & infidelẽ prudentià, & fidelitate absolutà, cõcedo: prudentia, & fidelitate respectiva, nego. Solutionẽ explico. Vt quis dicatur prudens absolutè, debet omnes suas actiones prudenter exercere, & vt dicatur Fidelis absolutè omnia mysteria credere. Quo cum non cõponitur imprudentia in aliqua actione, nec culpabilis dissẽsus in aliquo mysterio. Ast verò prudentia, & imprudẽtia respectiva, fidelitas, & infidelitas respectiva, prudẽtia in vna actione rectà, imprudẽtia in alia irrectà, fidelitas in assẽsu vnius mysterij, infidelitas in dissensu alterius nullatenus repugnat. Hic tamen Hæreticus absolutè diceretur imprudens, & infidelis; nam *malum à quocumque defectu.*

67. Obijcies decimò tertiò: habitus Fidei ex natura rei opponitur cum hæresi actuali: ergo & hæresis actualis, & actusFidei ex natura rei opponuntur.

68. Respondetur contraBañez, & Thomistas, nego antecedens cũ Exim. Doct. Acutiss. Soto, Duran, & alijs apud Hurt. disp. 60. de fide sect. 1. §. 3. Tum, quia habitus Fidei, nil aliud est, quàm potentia actùs Fidei; sed cum potentia actùs Fidei optimè compatitur actus oppo-

positus infidelitatis, sicut cum potentia ad amorem optimè componitur in voluntate odium. Tum, quia nullus actus opponitur physicè habitui, nisi per habitum, quem producit. Sic assensus non opponitur habitui dissentiendi, nisi producendo habitum dissentiendi: sed actus hæreticus non producit habitum oppositum habitui Fidei, quia habitus hæreticus est solum facilitas, quæ non opponitur potentiæ in contraijs, adhuc concesso, quod sit potentia ad hæresim; sed potentia ad actus Fidei, & potentia ad hæresim, nullatenus opponuntur eo modo, quo non opponuntur potentia ad amorem, & potentia ad odium in eadem voluntate: ergo.

69. Sed adhuc permisso antecedenti, nego consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis deducitur ex ipsis Adversarijs. Ideò nãque iuxta ipsos habitus Fidei pugnat ex natura rei cum hæresi, quia per hęresim tollitur aliqua revelatio; cum autem fides feratur in omnes revelationes, sicut ablato equo, tollitur actus, qui simul feratur in hominẽ, & equum, ita ablata quacumque revelatione per hæresim, tollitur habitus Fidei tendens in omnes revelationes. Ast sicut ablato equo, non tollitur actus vnicè terminatus ad hominem, ita aliqua ablata revelatione de mysterio Trinitatis, remanere potest actus Fidei terminatus ad revelationẽ de creatione mundi absque vlla oppositione, vt ex se patet.

70. Obijcies decimo quartò: Assensus Fidei oritur necessariò ab affectu pio, quo volumus credere Deo super omnia credibilia: dissensus hęreticus oritur etiam necessariò ab affectu impio, quo Deus offenditur, & lex Fidei violatur; sed hi duo affectus opponuntur ex natura rei: ergo. Probatur minor: actus charitatis, & actus graviter peccaminosus opponuntur ex natura rei: ergo & tales affectus. Probatur consequentia, & paritas: ideò actus charitatis, & actus peccaminosus opponuntur, quia actus charitatis est dilectio Dei super omnia, & actus peccaminosus est dilectio creaturæ præ Deo; sed similiter affectus pius est voluntas assentiendi Deo super omnia; affectus verò impius est voluntas assentiendi meo iudicio, potius quàm Deo: ergo.

71. Confirmatur: pia affectio exhibet summam reverentiam testimonio Dei. impia affectio eam non exhibet, cum peccet, negans tales testimonium: ergo nullatenus compatiuntur.

72. Propositio maior plura, & quidem dubia, continet: plures namque asserunt, assensum Fidei posse oriri à voluntate naturali in differenti, imò & malà. Ponamus, actu naturali, & malo velle credere revelationem propositam ab Ecclesia. Quid prohibet cum illa pia affectione naturali, & malà componi aliam impiam affectionem, qua alia obiecta dissredamus? Itẽ alij censent, actum Fidei posse vitiari per imperium

rium extrinſecum malum: ergo non dependet neceſſariò à pio affectu ſupernaturali. Tertiò: alij tenent cum Cardinali de Lugo, quod licèt eodem habitu Fidei præbeatur aſſenſus revelationi publicæ, & privatæ; tamen nullus diſſenſus in revelationẽ privatam opponitur aſſenſui in revelationem publicam propoſitam ab Eccleſia. En tunc daretur aſſenſus in revelationes publicas, & pia affectio pręſtans reverentiam teſtimonio Dei, cui credit ſuper omnia credibilia, & tamen ſecũ admittit impiam affectionem, & peccatum incredulitatis in revelationem privatam ſufficienter propoſitam, cui reverentiam non exhibet: ergo affectus illi non opponuntur, neque à charitate ad Fidem valet paritas.

73. Quartò, alij (& eſt communiſsima ſententia) admittunt aſſenſum aliquem erroneum contra Fidẽ catholicam, qui ſit peccatum, & tamen non deſſerat Fidem chatolicam, neque aſſenſum catholicum præſtitum Eccleſiæ, qui tali errore laborat: v.g. Si quis diſſentiatur alicui revelationi non publicæ confirmatę miraculis tam clarè, & manifeſtè, vt nullus ſit locus prudenti dubitationi, eo modo, quo Chriſtus ſe geſsit. En hic diſſenſus eſt peccatum contra Fidem, proveniénſque ab impia affectione, & tamen in eo manet tota chatolica Fides, qua paratus eſt credere omnes revelationes propoſitas ab Eccleſia, nec Hæreticus cẽſetur: ergo manet in eo pia affectio ad hos actus: ergo tales affectiones non opponuntur, ſicut opponitur charitas actualis, & peccatum. In forma autem, claritatis gratià ad argumentum

74. Reſpondeo diſtiguendo maiorem: aſſenſus Fidei oritur neceſſariò ab affectu pio de obiecto vniverſali amplectente omnes revelationes ſufficienter propoſitas, nego: ab affectu pio, vel vniverſali, vel particulari circa revelationem, & materiam particularem, tranſeat. Et diſtinguo minorem: ſed hi duo affectus opponuntur, ſi ſint de obiecto vniverſali cõplectente omnes revelationes, cõcedo; ſi ſint circa revelatiõnẽ, & obiecta particularia, nego. Si affectus ille, quo diligitur actus Fidei eſſet vniverſalis, omneſque revelationes complectens, certum eſt, nec poſſe componi cum hæreſi, nec cum peccato contra Fidem, & eodem modo ſe haberet, ac actus charitatis. At verò non ità ſe habet neceſſariò pia affectio diligens aſſenſum particularem in materia particulari, quæ certè admittit impiam affectionem in alià materia contra leges Fidei.

75. Hinc relucet diſparitas intèr actus charitatis, & aſſenſus Fidei. Actus namque charitatis cum ſit amicitia, ac proinde efficax benevolentia amici, non patitur grave damnum amici. Cum ergo peccatum grave gravitèr diſpliceat Deo, & ſit illius damnum grave extrinſecum, nequit componi cum efficaci benevolentia in Deum, quæ

eſt

est charitas. E contra verò pius affectus particularis cum impio affectu particulari erga distinctas materias, revelationes, & applicationes.

76. Ad confirmationem similitèr respondeo, cum pia affectione exhibendi testimonio Dei summam reverentiam in hoc assensu particulari circa hanc materiam particularem compati dissensum erga aliã materiam, vbi (licet culpabilitèr) non credimus, tale testimonium Dei dari. Et sicut potest quis colere summè revelationem propositam ab Ecclęsia, non colens revelationẽ privatam, vel publicam miraculo confirmatam, ità è contra poterit summè colere revelationem privatam, vel miraculo confirmatam non colens propositam ab Ecclesia.

77. Obijcies decimo quintò: ex conclusione sequeretur hoc absurdum. Ponamus, Hæreticum oblivisci inculpatè prioris Hæresis; ità tamen accedere ad pœnitentiæ Sacramentum illud ex Fide credens. Certè hic iustificatur, cum non pugnet Hęresis cum Fide.

78. Respondeo rogando; vel hic Hęreticus excercuit oblitus actum pœnitentiæ ex obiecto vniversali complectente vniversaliter omne peccatum, vel non? Si primum, iam Hæresim retractat, & iustificatur absque vllo absurdo. Si secundum, non iustificabitur ob peccatum Hæresis non retractatum. Neque iustificatio componitur cum Hæresi: illa enim est vniversalis sufficiens, vt quis fidelis absolutè dicatur, quę cum Hæresi compatibilis non est.

SECTIO VI.

ARGVMENTA CONTRA secundam partem primæ minoris solvuntur.

79. OBijcies decimo sextò, intendens probare, tales actus Fidei non posse esse supernaturales. Primò: quia non est assignabile principium talis actus. Secundò: quia inde inferretur, permanere habitum Fidei supernaturalem: nam iuxta providentiam ordinariam actus supernaturales fiunt per principia intrinseca supernaturalia permanentia; sunt enim instar potentiarũ, & connaturale est, quod fiant per suas proportionatas potentias. Tertiò: quia vnus actus Fidei supernaturalis, ita debet esse certus, vt non excedatur ab alio in certitudine; cum autem hic actus, vt pote imperfectus, non adęquet certitudinem actus Fidei perfecti super omnia, ab hoc excedetur: ergo non erit Fidei supernaturalis. Quartò: quia credendum est, Deum in pœnam pertinaciæ huius hæretici non solum privasse eum habitu supernaturali; sed etiam concursu ad eliciendum actum supernaturalem. Quintò: quia communiter Theologi asserunt, (quibus in re defacto standum est) Deum habere decretum de negando auxilio supernatu-

pernaturali ad talem actum.

80. Respondeo ad primam, & secundam probationem simul, habitum Fidei non permanere in hęretico, vt non semel dixi. Vnde aliud principium talis actùs assignari debet. Hoc autem erit ipsum, quod ipsi adversarij assignaverint ad actū charitatis supernaturalem, quo se disponit peccator carens habitu charitatis ad iustificationem; quod non esse ipsam gratiàm, nec habitum charitatis, ad quem disponit, vt potè ad ipsum actum subsequentem, suppono contra Thomistas cum Schotistis, & Nostris communiter apud Ripald. disput. 124. de ente supernaturali sect. 2. n. 11. Hoc erit ipsum, quod assignaverint Theologi pro actu Fidei supernaturalis, quo infidelis carens habitu Fidei, se disponit ad Fidem, & gratiàm accipiendam. Hoc erit ipsum, quod Nostri assignaverint pro illustrationibus supernaturalibus intellectùs, & affectionibus voluntatis, quibus infideles vocantur ad Fidem, & peccatores ad iustificationem, ad quos non pręcedit aliquis habitus supernaturalis, & fiunt effectivè ab intellectu, & voluntate. Suarez, Becanus, Tannerus, & alij dicunt, hos actus fieri per auxilium extrinsecum Dei, omnipotentiam scilicet specialiter applicatam, ad quod recurrendum est, cum deficiunt habitus supernaturales infusi. Molina, Vazquez, Læsius, Arrub. Ripald. & alij respondebunt, hos actus fieri per auxilia gratię excitantis, quibus in absentia habituum supernaturalium concedunt. Non loquor de illustrationibus, & affectionibus supernaturalibus, quia in his, ne detur processus in infinitum, etiam conveniunt cum primis in recursu ad auxilium extrinsecum. Thomistæ recurrent in actus charitatis peccatoris, & Fidei Infidelis ad suas qualitates supernaturales fluentes, quibus loco habituum concedunt in peccatore influxum ad actus virtutis moralis.

81. Ego quoque recurram pro elicientia actùs supernaturalis Fidei in Hæretico ad vnum ex his principijs, vel auxilium extrinsecum, vel intrinsecum influens, vel qualitatem transeuntem, quod loco habitùs Fidei deficientis elevet intellectum Hęretici ad talem productionem, hìc enim deficiente habitu charitatis in peccatore per peccatum, vel ratione oppositionis cōnaturalis vtriusque, vel titulo cōdecentię, & dignitatis gratiæ, vel in pœnam peccati, iuxta varias sententias, dum offertur occasio peccatori se conterendi, Deus præstò adest præparans auxilium, & iuvamen sufficiens pro actu charitatis supernaturalis disponente intellectum ad iustificationem, ne pænes Deum sit. Cur similiter deficiente habitu Fidei per Hæresim, sivè sit per oppositionem naturalem, vt tenent Thomistæ, sivè sit in pœnam contumaciæ, vt tenet Hurtado, offerente se occasione, tum obiecti

materialis, tum motivi Fidei, vt Hæreticus actum supernaturalem eliciat Fidei, quo de congruo mereatur aliquod auxilium, quo se à contumacia resipiscat: cur, inquam, Deus non aderit prestò iuvans, & confortans illum; ne per Deum stet defectus actùs meritorij, & fructuosi?

82. Ad illud, quod additur in secunda probatione, actus supernaturales scilicet connaturaliter fieri per principia intrinseca; dic, connaturaliter fieri à principijs intrinsecis, si adsint, non verò si absint. Mitto sententiam P. Ripaldę, hìc disp. 35. de ente supernaturali tenentis dari aliquos actus supernaturales, qui ex naturà rei petunt provenire ab auxilio extrinseco: sic enim actus charitatis, dum adest habitus, fit ab eo, & dum abest, ab auxilio extrinseco. Cur etiam ità non se habebit habitus Fidei? Sit pro explicatione, vtilis doctrina Ripaldæ, qui loco proximè citato nu. 70. ait, quod licèt, sit modus cõmunis, & connaturalis agendi causæ primæ non efficere se sola vt causa particulari effectus creatos, sed associati causis secundis; attamen tunc est, quando causæ secundæ sunt ex natura rei existẽtes, non verò, quãdo absunt. Quandò autem nõ sunt ex natura rei existentes, non est cur Deus causas secundas efficiat, quibus hi effectus efficiantur; possunt enim plures causæ secundę possibiles non esse existentes, etiam activæ eorum effectuum, quos solus Deus de facto producit. Nam sicut dantur plures effectus ex se indifferentes; vt ab hac, vel ab illa causa secunda producantur, ità possunt dari alij indifferentes, vt à Deo simul cum creatura, vel à solo Deo producantur. Qui quidem, dum adest causa secunda, connaturaliter producitur ab ea, & à Deo: dum autem abest, connaturaliter à solo Deo producitur. Ità enim se potest habere actus Fidei Hæretici, cum indifferentia scilicet, vt producatur per habitum, & Deum, vel per Deum solum. In Fideli, in quo adest habitus, per habitum producitur: in Infideli, vbi abest habitus, per solum Deum.

83. Ad tertiam argumenti probationem respondeo, actum hunc particularem Hęretici, licèt non adæquare in certitudine extensiva actui, qui se extenderet ad omnes revelationes, & obiecta revelata, adæquare tamen illi in certitudine intensiva & tàm certum, & indefectibile esse vnum, quàm alium, tàm incertitudine adhęsiva tenẽte se ex parte subiecti. Si quidem tàm certò, & firmitèr adhæret Hæreticus huic veritati ob revelationem particularem, quàm Catholicus alijs ob revelationem communem, quàm in certitudine inhæsiva, & obiectiva. Cum hæc revelatio habeat indefectibilem, & essentialem connexionem cum suo obiecto, quin immutetur, vel minuatur, sivè attingatur per hanc Fidem particularem, sivè per Fidem communem.

 Sic

Sic Arriaga, & alij asserunt, æquè veros esse actus naturales terminatos ad mysteria Fidei, ac actus supernaturales terminatos ad eadem.

84. Ad quartam probationem respondeo negando, dari tale decretum in Deo de non concursu cum hæretico ad elicientiam actùs supernaturalis. Quia licèt dentur plures DD. (& hęc est solutio quintæ probationis) id asserentes, è contra stant gravissimi, & pro hac re sufficientissimi. Scilicèt Durandus, Bonavent. S. Augustin. apud Estium, & Malderum ipsos sequutos. Card. de Lug. dist. 17. de Fide. sect. 6. num. 119. Gasp. Hurt. & alij dicentes, habitum Fidei deficere ex natura rei, & ex oppositione cum hæresi actuali, quin recurrant ad pœnam contumaciæ, & decretum punitivum Dei. Insuper nota, quod etiam admisso tali decreto, ex eo non sequeretur incompossibilitas ex se, & ab intrinseco inter credere imperfectè Trinitatem, & discredere necessitatem gratiæ, sed tantum argueretur repugnantia ab extrinseco, & ratione decreti contra factum, non verò contra possibilitatem ex natura rei. Sicque salva manet conclusio solum asserens, posse in hęretico reperiri actum propriè Theologicum, cum possit in eo reperiri actus supernaturalis Fidei, & quod defacto non reperiatur, provenit solum ab extrinseco impedimento decreti divini.

85. Sic verè diceretur de ficulnea illa maledicta posse ex natura rei fructus parturire, quià licèt eos nunquam esset latura, hoc non erat ratione impedimenti intrinseci, & naturalis, sed ratione illius decreti extrinseci Christi Domini: *Nunquam ex te fructus nascatur*, in pœnam suæ invrbanitatis non offerentis fructus necessitati Christi eos quęrentis, vi cuius negatur ei concursus ad ferendos fructus. Exemplum, & paritas est ad rem appositissima. Ità enim licèt in pœnam contumaciæ non credentis Ecclesię, dum proponit mysterium revelatum, quęritque fructus assensùs in ficu fatuà Hæretici, Deus decernat cum eo non concurrere ad fructus deinde salutares ferendos actuum supernaturalium, tamèn attentis naturis rerum, poterit quis absolutè dicere; hìc, Hæreticus scilicèt, potest fructus assensùs supernaturalis elicere circa alia mysteria Fidei. Sic etiàm communitèr defendunt philosophi, materiam primam appetere formas semel corruptas, quià illas respicit vt absolutè, & naturalitèr assequibiles, licèt ab extrinseco decreto Dei dicentis; *Ecce nova facio omnia*, nunquam sint producendæ.

86. Replicas contra dicta: Deus in pœnâ contumaciæ ex decreto punitivo aufert ab Hæretico habitum Fidei: ergo illi non præstat concursum specialem pro actu Fidei supernaturali eliciendo, quoties se offert occasio. Probatur consequentia pri-

mò

mò: quià cum tali speciali concursu meliori modo efficeret intellectus actus Fidei: ergo denegatio habitùs non esset pœna. Secundò: quià concursus ille specialis Dei, non solùm esset speciale, verùm etiàm specialissimum beneficium: incredibile enìm est, quod Deus in pœnam contumaciç neget speciale beneficium, quale esset habitus, & conferat specialissimum, quale esset concursus extraordinarius omnipotentiç. Tertiò: quia, cui confert tantum, & aliquid amplius, non fit pœna, nec incommodum, in ablatione tanti; sed concursus specialis Dei in ordine ad actus valet tantum, & aliquid amplius: ergo, si Hæretico confertur à Deo specialis concursus, cum se offert occasio, in ablatione habitùs non fit pœna. Quartò: habitus aufertur Hæretico, ne eliciat actus Fidei; specialis concursus datur vt eos eliciat: ergo, si daretur hic, & auferretur ille, Deus haberet duas voluntates oppositas, voluntatem scilicèt auferendi habitum, quà vellet non productionem actùs Fidei, & voluntatem conferendi concursum, quà vellet productionem ipsius.

87. Replica locum non habet in sententia Thomistarum, & Cardin. de Lugo asserentium, habitum deficere ex oppositione naturali cum hæresi, non verò ex decreto extrinseco punitivo Dei. Item manifestam patitur retorsionem; tum in actu charitatis, quo se peccator disponit ad justificationem, & ad quem concurrit Deus per auxilium extrinsecum, ablato aliàs in pœnam peccati habitu charitatis. Item in actu Fidei, quo Hæreticus hçresim retractaret, & habitum perditum vlterius recuperaret. Denique in auxilio efficaci collato cuilibet peccatori vt se conterat, prçcipuè si cōcedamus cum Ripal. hoc in absentia habituum effectivè etiàm concurrere ad actus. Pono determinatè exemplum in auxilio collato Hæretico, vt per Fidem detestativam erroris se recipiat in Ecclesiam. En cum hoc auxilio, & illuminante, & physicè influente, meliori modo efficeret intellectus actum Fidei. Item: tale auxilium illuminans esset speciale beneficium Dei, influens specialissimum. Esset item tantum, ac habitus cum influeret physicè, & aliquid amplius, cum vltra illuminaret. Denique: per collationem ipsius vellet Deus productionem actùs, & per ablationem habitùs vellet non productionem. Ergo, si his non obstantibus, aufertur habitus, & confertur auxilium, ità poterit auferri habitus, & conferri specialis concursus Omnipotentiæ.

88. Respondeo, admisso antecedenti, negando consequentiam. Ad primam probationem distinguo antecedens: meliori modo efficeret intellectus actum Fidei, meliori modo ex parte actùs, transeat; ex parte intellectùs, nego. Hoc est, licèt actus, casu, quo fieret cooperante principio extrinseco loco habitùs,

bitùs, fieret nobiliori, valentiori, & vt ità dicã, efficatiori comprincipio, quale esset omnipotentia comparatione habitùs specialitèr applicata, ac proinde posset dici actu meliori modo fieri denominativè à meliori principio concurrente; attamen non fieret meliori modo ex parte intellectùs, immo meliori modo fieret concurrente habitu. Nàm hic est proprium instrumentum, vel quasi instrumentum, propriaque ipsius intellectùs potentia, quà veluti propriâ, & materiali manu actus efficeret, minorique dependentià se gereret in eorum productione, quod certè æstimabilius est ex parte intellectùs.

89. Ad secundam probationem admitto, concursum extraordinarium Dei esse specialissimum beneficium, & nego, esse incredibile in Deo negare speciale beneficium in pœnam peccati, & concedere specialissimum ob summam generositatem, & infinitam liberalitatem suæ Sanctissimæ voluntatis. Imo hic est ordinarius modus se habendi in Deo. Sic in pœnam peccati Adamum, & eius filios jure ad gloriam privavit, quæ est speciale beneficium, & per Incarnationem Verbi, passionem, & acerbissimam Christi mortem, quæ est specialissimũ beneficium, hoc jus restituit. Sic Lazarum vtpotè figuram peccatoris in pœnam peccati, in mortem incidere permissit, per miraculumque, quod est specialissimum beneficiũ, vitam illi vlterius contulit. Sic Petrum in pœnam superbię negare permissit, & per illustrationes specialissimas à peccato liberavit. Vndè permissio peccati, quæ sępè est pœna peccati, dicitur à Communi Theologorum prædestinationis effectus, quia pœna convertitur in misericordiam: motivum enim negãdi speciale beneficium est pœna. Motivum verò concedendi specialissimum, est misericordia.

90. Ad tertiam probationem respondeo: quod licèt specialis concursus in ordine ad productionem actùs, valeat tantum, & aliquid amplius, ac habitus; non tamen in ordine ad ipsum intellectum, qui habitibus privatus caret ornatu, pulchritudine, & decore interno, quo quasi per rem propriam disponitur ad actus, potensque est ex se, & independentèr à novo favore Dei eos producere. Hæc enim maior dependentia, licèt sit à Deo, est damnum, & incommodum intellectui. Et sicut siquis privaretur proprio jure ad Comitatum v. g. licèt aliàs possit illi Princeps Ducatum donare, immo sua liberalitate ductus, donaturus esset ei, in tali privatione, & in nova dependentia incommodum fieret, immo & in eo, quod habeat per favorem extrinsecum; id, quod per proprium habere poterat; ità &c.

91. Ad quartam respondeo, Deum habitum non auferre cum voluntate absoluta, ne fiant actus, sed ne fiant hoc modo, per habitus scilicèt, & ornatum intrinsecum po-

potentiarum. Vndè benè compatitur, quod conferat concursum specialem, vt fiant alio modo, in quibus voluntatibus nulla relucet, nec minima, oppositio.

)(***)(



TRA-

TRACTATVS II.

DE ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS DEI.

COMMVNIBVS TOTIUS THEOlogiæ principijs, quæ *Prolegomena* dicuntur, tractatis; in pelagus Eſſentiæ Divinæ, eiuſque perfectionum, & attributorum Cymba noſtra committitur, quaſi nobis dictum: *Duc in altum*, id eſt, *in profundum diſputationum*, juxta Ambroſium: ſed Obedientià remige, fluctibus non obrui, ſpero.

QUÆSTIO I.

AN HÆC PROPOSITIO, DEVS EST, *ſit per ſe nota?*

1. PRima ſententia tenet, *Deum exiſtere*, eſſe per ſe notum, tàm quoad ſe, quàm quoad nos. Ità Argentinas, Lira, Abulenſis, Ægidius, Albertus Magnus, & alij apud Gilium annuentem lib. 1. tract. 8. cap. 3. quos ſequitur Noſter Leonard. tract. 2. de Deo diſp. 2. ſect. 3.

2. Secunda ſententia ait, hanc propoſitionem eſſe notam in ſe, non tamèn quoad nos. Ità Thomiſtæ cum Divo Thoma. 1. parte quæſt. 2. artic. 1. ex Noſtris, Valentia, Granadus, Martin. Comp. Rodes, communitèr Gibon diſp. 6. de exiſtentià Dei dub. 2. num. 13.

3. Tertia ſententia tenet, eſſe per ſe notam exiſtentiam Dei ſub conceptu Dei; non tamen ſub alijs conceptibus primę cauſę, Supremi Gubernatoris &c. Ità Sminſig. quæſt. 1.

Quar-

4. Quarta negat absolutè, talem propositionem esse per se notam. Ità Schotistę cum suo Doctore. Et ex Nostris Arriaga disputat. 2. sect. 1:

5. Ante conclusionem nota primò, aliquos Doctores, inter quos Arriaga, & Leonar. acritèr improbare divisionem propositionis per se notę, in propositionem per se notam in se,& propositionem per se notam *quoad nos*: dicunt enim, repugnare propositionem per se notam *in se*, quæ non sit etiàm nota *quoad nos*. Sicut repugnat, aliquid esse auditum in se, & non esse auditum à nobis, aut non dicere ordinem ad aures: esse visum in se, & non esse visum à nobis, seù non dicere ordinem ad oculos: ergo & esse notum in se, & non esse notum à nobis, seù non dicere ordinem ad intellectum, à quo dicatur notum, seù cognoscibile: hoc enìm ipso, quod talis propositio dicatur *nota*, nequit denudari à respectu ad intellectum. Cum ergo illud vtrumque membrum, scilicèt *propositio per se nota quoad se, & in se*: *propositio per se nota nobis, & quoad nos*, idem significet, nequit esse membrum condividēs aliquam rationem communem *propositionis scilicèt per se notæ*.

6. Nota secundò, aliquos DD. inter quos Valentia, & Thomistę, hanc divisionem defendere, statuentes, per propositionem per se notam *in se*, & *quoad se*, solum significari propositionem, in qua prædicatum est de essentia subiecti, etsi connexio vtriusque non sit nobis nota,quæ ità dicitur, quià ex se habet cognoscibilitatem, aptitudinem, & sufficientiam in actu primo, vt cognoscatur: licèt in actu secundo, ob defectum terminorum sufficientium, & sufficienter explicantium,sit ignota quoad nos. Per propositionem *per se notam quoad nos*, vltrà inclusionem prædicati in subiecto addi, quod ità sit, vt ob terminorum, quibus constat, claritatem, & vim explicativam efficacitèr, & in actu secundo clarè intellectui innotescat, & rationis oculis patefiat veritas eius. Vndè, cum iam vtraque propositio quid distinctum significet, poterit esse membrum condividens propositionis per se notæ.

7. Si tamèn obijcias cum Arriaga, ex hac explicatione propositionis per se notæ in se, & quoad se inferri, omnes rerum definitiones; item possibilitates omnium rerum in particulari; imò Deum esse trinum, esse propositiones per se notas quoad se:quia ea prædicata sunt de essentia, aut quidditate subiectorum, de quibus dicuntur, quod est extra mentem omnium, ait Arriaga; facilè concedent hi DD. & negabunt esse extra mentem Doctorum, cum non sint extra ipsorum mentes, qui DD. sunt, & quidem sapientissimi.

8. Vndè nota tertiò, hoc punctum esse purè de nomine: an scilicèt admittendum sit hoc mem-

brum

brum propositionis per se notę in propositionem *per se notam in se, aut quoad se*? Negantibus Arriaga, Leonardo, & Alijs: affirmantibus D. Thoma cum suis, & Lumbier tract. de Attributis num. 102. Iudico, quod licèt stando rigori scholastico non debeat admitti talis divisio, & loquutio: attamen cum Scholarum Princeps Divus Thomas eam expressè admittat, & in nominibus, sicut & in monetis, Principum valeat authoritas, absolutè debet admitti. Ea ergo admissa,

9 Dico primò: hæc propositio *Deus est, vel existit*, est per se nota in se, & quoad se. Probatur evidenter: ea est propositio per se nota in se, & quoad se, in qua prędicatum est de essentià, & quidditate subiecti; sed in hac propositione, *Deus est, vel existit*, prędicatum est de essentia, & quidditate subiecti: ergo. Maior constat ex divisione admissà. minor est certa: consequentia legitimè infertur. Et in hoc sensu, nec à Schoto, nec ab vllo Doctore negatur, aut negari potest conclusio. Cum nec à Schoto, nec ab vllo alio Doctore negetur, existentiam Dei esse de essentia, aut quidditate Dei: à Schoto enim in alio sensu hoc negatur. Vndè hęc prima pars quæstionis est de nomine. Quæstio tamèn de re stat in secunda parte, an scilicèt hæc propositio, *Deus est*, sit nota quoad nos? Sed ne eam etiàm nominibus implicemus,

10. Nota quartò: aliquas esse veritates, quæ nequeunt propriè à priori probari, quales sunt definitiones rerum, sivè eas noscamus, aut ignoremus: vt cum dicitur *animal rationale* de homine. Alias verò esse, quę probātur à priori, vt primam passionem ab essentia; & secundam à prima. Sic valet: *est admirativum; quià est rationale: est risibile, quià est admirativum*. Alias denique esse ità claras, vt solum indigeant terminorum explicatione. Sic se habent illæ, quæ vocantur primæ dignitates, seu principia, vt *totum est maius sua parte. Quodlibet est, vel non est, &c.* & hæ dicuntur proprie per se notę quoad nos. Vnde vniversaliter illa dicitur propositio per se nota quoad nos, quæ explicatis vocibus, seu terminis, quibus constat, absque vllo discursu statim apparet vera cuilibet intellectui. Et in hoc sensu inquirimus an hæc propositio, *Deus est*, sit per se nota?

11. Dico secundò: hęc propositio *Deus est, vel existit*, non est per se nota quoad nos. Relictis verò varijs probationibus, quas mutuò impugnant DD.

12. Probatur à nobis conclusio primò: veritas, ad cuius assensum necessarius est discursus sivè à priori, sivè à posteriori non est per se nota quoad nos; sed ad assensum huiusmodi veritatis, *Deus est*, necessarius est discursus: ergo. Maior est conditio propositionis per se notę, & patet. Nam veritas, quę indiget discursu, non est ità patens, vt explica

plicatis terminis, patefiat. Minor probatur primò: Deus in se nobis viatoribus (de quibus vnicè loquitur questio) non est notus, sed intellectum per effectus creatos ab ipso productos cognoscimus iuxta illud Pauli ad Romanos 1. *Invisibilìa enìm Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; sed id, quod per effectus creatos notum est, per discursum, & argumentum à posteriori agnoscitur: ergo.

13. Probatur secundò: hæc veritas *Deus est*, agnoscitur à nobis, non per species proprias, & immediatas ipsius, quas certè in via non habemus, sed per species alienas, & mediatas mutuatas à creaturis; sed veritas, quæ ità agnoscitur, non agnoscitur immediatè in se, sed medio discursu, & deductione: ergo.

14. Probatur tertiò conclusio, & confirmatur prima probatio: quod probatur, & debet probari pluribus rationibus, quarum evidentia non statim apparet, etiàm apud homines doctos, & benè affectos erga veritatem, non est per se notum, nec à discursu omninò independens; sed existentia Dei probatur, & probari debet pluribus rationibus, quarum evidentia, etiam apud Theologos veritatis indagatores statim non apparet, his hanc, alijs verò aliam & sic de omnibus inevidentem iudicantibus: ergo existentia Dei non est per se nota.

15. Probatur quartò, meo videri, efficacissimè ex ipsa excercita dubitatione, & opinione nostra. Nàm cum graves Theologi, præcipuè Doctor Angelicus dicāt, se ex ipsis terminis non agnoscere hanc veritatem *Deus est*, sed egere argumentis, medijs vè alijs, ad eius plenam, & perfectam cognitionem, dicendum est, non esse per se notā. Si enìm ab intellectu Thomæ, cui Sol insidet, veritas hæc, explicatis terminis, statim non cognoscitur, quomodo cuilibet homini mediocritèr docto statim apparebit, quod ad veritatem per se notam requiritur.

16. Dices: ex probationibus inferri, existentiam Dei non esse demonstrabilé. Nam demonstratio innegabilis est; sed omnes demōstrationes Dei negantur, & impugnantur disiunctim à Theologis, hæc ab his, & alia ab alijs: ergo non sunt demonstrationes. Non enìm debet credi demonstratio discursus, quæ à viro aliàs docto negatur.

17. Contra primò: à nemine negatur, existentiam Dei esse demonstrabilem; negatur tamèn à pluribus, esse per se notam: ergo etiàm si inferatur, non esse per se notam ex horum negatione, non tamèn poterit inferri, non esse demonstrabilem, cum id à nemine negetur. Contra secundò: plus requiritur ad per se notum, quàm ad demonstrabile: nam licèt ad vtrumque requiratur evidentia, ad per se notum requiritur evidentia in ipsis

sis terminis, quibus constat: ad demonstrabile, requiritur evidentia in medio, quo demonstratur, cum autem dentur varia media, quibus demonstraretur existentia Dei, iàm productio rerum, iàm Orbis gubernatio, iàm dominium, & subordinatio creaturarum, poterit hoc medium, huic Doctori inevidens, & aliud evidens, vel è contra alteri Doctori iuxta captum vtriusque videri, quin hoc officiat evidentiæ mediorum, quæ hoc ipso, quod ab aliquibus impugnetur, est evidentia merè probabilis. Ast verò cum evidentia veritatis per se notæ, vnicè debeat stare in ipsis terminis, & ipsis perspectis statim relucere, efficax valdè stat nostrum argumentum.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESPONDETVR.

16. OBijcies primò plures authoritates Patrũ, & Philosophorum, quæ insinuare videntur; hanc veritatem à Natura esse omnium animis impressam: ergo est per se nota.

19. Respondeo: per id solum significari facilitatem summam in assequutione huius veritatis præ alijs per effectus creatos orbis gubernationem, & alia media, cuique & passim obvia. Solus enim Anselmus videtur expressè loqui. Sed loquitur per exaggerationem, ait Vazquius.

20. Obijcies secundò: qui cõcipit Deum, absque vllo discursu, concipit id, quo aliquid maius excogitari nequit: ergo absque vllo discursu concipit quid existens absolutè, seu Deũ existere absolutè: ergo per se notũ est, Deũ existere, cũ nullo intercedente discursu cognoscatur. Antecedens est certum: Deus enim primà hominum apprehẽsione, est omnium entium perfectissimum ens. Probatur consequentia: existere necessariò, & absolutè melius est, quàm non existere: ergo, qui concipit ens, quo aliud perfectius excogitari nequit, concipit illud absolutè existens.

21. Hoc argumẽto satis æquivoco probat Divus Anselmus suum intentum, & quià retortionibus veritas patefit, illud ità retorqueo primò: cum concipio Deum absque vllo discursu, concipio ens, quo aliquid maius excogitari nequit: ergo absque vllo discursu concipio Trinitatem Personarum, seu Deum esse Trinum, cum melius sit esse Trinum, & Unum, quàm ità non esse: ergo Deum esse Trinum, est per se notum quoad nos. Secundò: cum concipio alium Deum, v.g. Iovem, concipio quid, quo aliud maius excogitari nequit, aliàs non conciperem Deum: ergo concipio quid existens absolutè: ergo Iovem existere absolutè, est per se notum.

22. Respondeo: transeat antecedens, & distinguo consequens: ergo absque vllo discursu concipit, quid

quid existens absolutè, quid existens materialiter, concedo: formaliter, nego. Vel aliter: quid existens absolutè, idest, quid, quod re ipsa absolutè existit, cōcedo: quid, cuius existentiæ absolutè assentiatur intellectus absque alio discursu, nego. Solutionē explico. Nō est idē concipere id, quod re vera existit, ac præbere assensum eius existentiæ. Sic dum concipio Alexandrum Magnum, concipio subiectum, quod re vera extitit, nō tamèn ideò iudico illum extitisse, sed aliundè id ex eius historijs probo, vt assentiar. Dum concipio Deum, concipio id, quod re ipsa est Trinum, non tamèn ideò absque alio actu assentior Trinitati. Ità licèt dum concipio Deum, imò & totam hanc propositionem *Deus est, seu existit*, concipiam id, quod re ipsa, & absolutè existit, imò & concipiam existentiam Dei; non indè infertur, me præbere assensum existentiæ Dei, seu iudicare, Deum existere absque alio discursu absolutè. Concepto enìm ente, quo aliud maius excogitari non possit, poterit dubitari, an hoc ens existat absolutè, vel non? Atheistæ negabunt iuxta illud: *Dixerunt impij cogitantes apud se non rectè, non est Deus*: nos verò concedemus, sed conuicti argumentis. Vndè non quià hoc sit per se notum.

23. Obijcies tertiò: iuxta Aristot. 1. Topic. hæc propositio, *Deus est colendus*, est per se nota quoad nos: ergo & hæc *Deus est*, Antecedens vltra etiàm patet à paritate Parentum, quibus debitum esse honorem, est per se notum: ergo, & Deo. Consequentia probatur primò: cultus supponit existentiam: ergo si per se notum est, debitum esse cultum Deo, Deum existere, etiam erit per se notum. Probatur secundò: sicut nequit esse vera propositio de tertio adiacente, quin sit etiàm vera de secundo adiacente, ità nequit esse nota per se propositio de tertio, quin sit etiam nota perse de secundo; sed hæc propositio, *Deus est colendus*, est de tertio adiacente, & *Deus est*, de secundo: ergo nequit esse per se nota illa, & non hęc.

24. Retorqueo: *Trinitas est colenda*, est propositio per se nota à paritate cultùs debiti Parentibus: ergo & hęc, *Trinitas est*. Tum, quià est de secundo adiacente: tum quià cultus supponit existentiam.

25. Respondeo primò: nego antecedens, & eius probationem. Verum est, deberi cultum Deo, & Parentibus, nō tamèn est per se notum: cum ad talem cultum extorquendum, necessarius sit discursus fundatus in iure Parentum, & dominio Dei. Sed adhuc admisso antecedenti, nego consequentiam. Nam, vt exemplo Trinitatis constat, benè stat, quod propositio de tertio adiacente sit per se nota, quin ità sit propositio de secundo.

26. Respondeo secundò facilius, distinguo antecedens: Hæc propositio *Deus est colendus*, est per se

se nota absolutè, & nulla facta suppositione, nego: ex suppositione subiecti, & existentiæ ipsius, concedo. Hæc propositio apud nos aliunde supponentes existentiam Dei, est per se nota, non verò apud illos illam non supponentes, vt Atheistæ. Vndè ad primam consequentiæ probationem eam distingue: cultus supponit existentiam absolutè, concedo: eodem modo cognitam, ac ipse ex suppositione existentiæ, nego. Ad secundam probationem, dic: hanc propositionem, *Deus est*, non esse de secundo adiacente respectu illius, *Deus est colendus*, quatenus hęc est per se nota, sed potius esse suppositum huius. Vndè hæc non tam est de tertio adiacente in hac consideratione respectu illius, quàm propositio de de supposito alterius: ad modum, quo hæc, *homo essentialiter necessarius essentialiter existit*, est vera, nec de tertio adiacente, sed de supposito respectu huius, *homo est essentialiter necessarius*. Vnde ex veritate illius, veritas eius nullatenus infertur.

27. Obijcies tertiò: *ens necessarium, & indefectibile*, per se notum est, quod existat: nam ex ipsis terminis constat, quod ei repugnet in aliquo eventu, non existere; sed Deus est ens necessarium, & indefectibile: ergo per se notum est, quod existit.

28. Respondeo: distinguo maiorem: ex suppositione quod sit necessarium, & in defectibile, concedo: non facta hac suppositione, nego. Sic facta suppositione, quod Deus sit ens necessarium, & indefectibile, per se notum esset, Deum existere. Cum autem per se notum non sit, Deum esse ens necessarium, & indefectibile, sed argumentis, & principijs, & si evidentibus, demonstrabile; inde est, quod non sit per se notum, Deum existere.

29. Obijcies quartò: in sententia Divi Thomę Puer in instanti, quo pervenit ad vsum rationis, tenetur se convertere ad Deum; ergo in eo instanti agnoscit, Deum existere; sed in tali instanti nequit existentiam Dei agnoscere per discursum, & demonstrationem, cum vix per multum tempus id assequantur Philosophi: ergo talem notitiam habet immediatè, & sine vllo discursu, ac proinde vt quid per se notum.

30. Respondeo, admisso antecedenti, quod ab omnibus ferè nostris (vno excepto Granado) negatur, concedo consequentiam. Tunc tamen hęc notitia erit, licèt subita, & confusa, orta tamen à discursu, quo ex creaturis, quas saltem confusè cognoscet, ad creatorem perveniat. Discursus enim vix assequibilis à Philosophis est discursus clarus, determinatus, liberque ab impugnationibus, non verò subitus, & confusus, sufficiens tamen ad talem conversionem ad Deum in primo instanti vsùs rationis, quam non defendo, sed si daretur, ità esset, non verò orta à notitia Dei per se, & sine vllo discursu. Obij-

31. Obijcies quintò: falsitas huius propositionis negativæ, *non est Deus*, est per se nota quoad nos: ergo veritas huius affirmativæ, *Deus est*, est per se nota quoad nos. Probatur consequentia: quia sunt contradictoriæ: ergo cum ex veritate vnius inferatur falsitas alterius, vel è contra, similitèr ex falsitate per se nota vnius, veritas per se nota alterius inferri debet.

32. Respondeo: nego antecedens: nam sicut ad veritatem affirmativæ *Deus est*, discursus à posteriori necessarius est, & species à creaturis mutuatę, ità ad falsitatem negativæ, idem discursus efformabitur.

33. Obijcies sextò: *Quod homo sit homo*, est propositio per se nota, quia prædicatum expressè est de ratione subiecti: ergo ob eandem rationem, quod existat, *quod est essentialitèr existens*, erit per se notum; sed Deus est essentialitèr existens: ergo per se nota erit eius existentia.

34. Respondeo: concedo primum enthymema, & distinguo minorem subsumptam; sed Deus est essentialitèr existens, ità vt sit per se notum, esse essentialitèr existens, nego: ità vt sit solum certum, & evidens ità esse, concedo. Vndè eius existentia non est per se nota, nisi facta aliqua suppositione, vt in primo antecedenti de homine, qui, supposito, quod sit homo, per se notum est, esse hominem. Ità solum supposito, quod Deus sit ens essentialitèr existens, erit per se nota eius existentia; attamen vt probetur esse per se notam absolutè, vel nulla fieri debet suppositio, vel debet probari suppositio, nempè *Deum esse essentialiter existentem, esse per se notum*.

35. Obijcies septimò: hæc propositio, *vel Deus existit, vel non existit*, est per se nota vtpotè contenta in illa, *quodlibet est, vel non est*; sed in hac propositione, *Deus vel existit, vel non existit*, prædicatur existentia de Deo: ergo existentia Deī est per se nota.

36. Retorqueo: ergo etiàm hęc propositio, *Deus est Trinus*, erit per se nota: nàm hæc, *Deus vel est Trinus, vel non est Trinus*, vtpotè contenta in illa, *quodlibet est, vel non est*, erit per se nota. Immò ex argumento nulla erit, quamvis abstrusa, & recondita propositio, quę similitèr non sit per se nota.

37. Respondeo, hanc propositionem, *vel Deus existit, vel non existit*, esse per se notam secundum conceptum vniversalis necessitatis vnius ex duplici contradictorio, vel secundum repugnantiam coexistentiæ vtriusque contradictorij, non secundum particularem, aut determinatam partem contradictionis, & ità solum contineri in illo principio, *quodlibet est, vel non est* per se notum est, vnum è duplici illo contradictorio, *Deus vel existit, vel non existit*, esse verum; item non posse vtrumque simul coexistere. Quale verò ex illis determinatè,

 &

& in particulari sit verum, vel falsum; hoc per se notum non est, nec continetur, ac proinde non probatur illo principio metaphysico, *quodlibet est, vel non est*, sed probato ex hoc principio vniversalitèr, vnum ex illis contradictorijs debere esse verum, aliunde tamèn ex principijs particularibus probatur contradictorium verum esse affirmativum *Deus èxistit*.

38. Obijcies octavò: hæc propositio, *primus Author huius mundi existentis existit*, est per se nota: ergo & hęc, *Deus existit* prout ęquivalet illi, & prout connotat mundum, seù creaturas existentes prout existentes. Probatur antecedens: mundum, seù creaturas existere, est per se notum nobis, cum eas oculis conspiciamus: deinde evidens est nobis etiàm connexio, quam hic mundus habet cum aliquo primo Authore. His notitijs illustratus intellectus potest formare hunc evidentem discursum: *hic mundus existit: ergo aliquis primus eius Author existit*: ergo etiàm poterit nullo interveniente discursu ex ipsis terminis hanc veritatem cognoscere. *Primus Author huius mundi existentis existit*. Hæc vltima consequentia probatur primò: quia quoties prædicatū connectitur cum subiecto connexione per se nota intellectui, per se notum est existere: ergo. Probatur secundò: quià sicut intellectus potest concipere plura per discursum, ità potest ea plura vnico judicio comprehendere: ergo sicut efformat illum discursum: *hic mundus existit: ergo, & eius Author*, ità poterit vnico iudicio, & sine vllo discursu hunc actum elicere: *Author huius mundi existentis existit*. Hoc discursu probat noster Izquierd. disput. 1. quæst. 5. proposit. 5. num. 53. quod licèt hæc propositio, *Deus est*, non sit per se nota absolutè, & sub qualibet expressione, est tamèn per se nota, si accipiatur Deus sub principio connotante creaturas existentes vt existentes.

39. Plus falsitatum, quàm verborum continet discursus. In primis falsum est, hanc propositionem, *Deus est*, æquivalere illi, *aliquis Author huius mundi existentis existit*. Vndè etsi hæc esset per se nota; non tamèn illa. Secundò: admisso, quod æquivaleat, non est per se nota talis æquivalentia, sed eget discursu, & explicatione. Quomodò erit per se nota hęc ratione æquivalentiæ ad aliam? Tertiò: connexio huius mundi existentis cum aliquo primo Authore, nō est per se nota, licèt sit evidens: ergo neque existentia primi Authoris ex vi talis connexionis. Quartò: primus Author demonstrabilis est vi talis cōnexionis: ergo cum fiat per deductionem, & species mutuatas à creaturis, non erit talis existentia per se nota. Quintò: licèt intellectus possit habere hoc iudicium evidens: *Author huius mundi existentis existit*; hoc tamèn non esset per se notum. Tum, quià dependeret à dis

discursu antecedenti illo: *hic mundus existit : ergo Aucthor eius existere debet.* Quo convictus intellectus in talem actum prorumperet. Tum, quià talis actus esset discursus virtualis, saltem cum deduceret ex cõnexione mundi existentis existentiam Dei, & convertibilitatem prędicati cum subiecto. Tum quià talis cõnexio mundi existentis cum primo Authore non est per se nota; vndè nec convertibilitas prędicati cum subiecto vi talis connexionis. Quintò denique ex ipso intẽto deducitur falsitas ipsius: nam si Deus per vos cognoscitur per connotationem ad creaturas existentes vt existentes: ergo per species creaturarum existentium, vt talium deductivè cognoscitur, quod est contra rationem veritatis per se notæ.

QUÆSTIO II.

VTRVM SIT POSSIBILIS ignorantia invincibilis Dei, eiusque existentiæ.

1. PRIma sententia negat absolutè, posse dari talem ignorantiam in homine pleno vsu rationis gaudente. Ità Abul. Lyr. Ualen. Thomas Sanch. Card. Lug. Amicus, & alij apud Compt. Sect. 2. num. 3. item Borr. tractatu 1. de essentia Sect. 8. Aug. Redig. q. 2. de existentia Dei controversia 4. num. 4.

2. Secunda sententia absolutè affirmat, posse reperiri talem ignorantiam in aliquibus hominibus rudi ingenio pollentibus, in sylvis, aut inter feras montibus enutritis, non solum per breve, sed etiàm per longum tempus, imò & per integram vitam. Ità Molin. Zumel, & alij cum Arr. tract. de Deo vno dis. 2. Sect. 3. item Izquierd. d. 1. de essentia num. 165.

3. Tertia sententia tenet, hanc ignorãtiam non posse per longum tẽpus reperiri in pluribus, posse tamẽ in vno, vel altero rudi, & in sylvis nutrito. Ità P. Granad. Vtrũ autem adhuc in hoc rudi sit, vel non per longum tempus non declarat.

4. Quarta sententia tenet, in vna integra natione, vel Republica non posse reperiri hanc ignorantiam; benè tamèn in vno, vel altero talis nationis, vel Reipublicæ. Ità Victoria apud Arriaga num. 16.

5. Quinta sententia tenet, in homine non posse dari ingnorantiam positivam de existentia Dei invincibilem, hoc est, sine rationabili dubio de veritate oppositi: posse tamen physicè loquendo reperiri ignorantiam privativam, quæ sit per omnimodam incogitantiam. Ità Quir. tract. 2. de essentia, & attrib. d. 4. n. 54. & 57. licèt num. 56. teneat moralitèr esse impossibilem talem ignorantiam per longum tempus; quem sequitur Bonęsp. disp. 6. n. 36. & 42.

6. Sexta sententia tenet, in homine considerato in ordine ad prin-

principia merè naturalia, posse reperiri ignorantiàm invincibilem Dei; si verò consideretur cum principijs gratiæ, vt est sufficiens ad peccandum, non posse in eo reperiri talem ignorantiam. Ità noster Leonar. tract. 2. de existentia Dei sect. 3. n. 24. & 26.

SECTIO I.

NOSTRA CONCLVSIO PROPONITVR, & probatur.

7. ANTE conclusionem nota primò, ignorantiam invincibilem à DD. appellari, quæ nullà humanà diligentià vinci potest, nec à voluntate dependet, quod existat, vel non existat; vincibilem verò, quæ ab humana diligentià superari potest, pendetque à voluntate, quod existat, vel non existat.

8, Nota secundò, ignorantiam vincibilem & esse culpabilem, & inculpabilem. Inculpabilis est circa materiam non obligantem, seù cuius obligatio mihi non proponitur. Si enim res, cuius mea nihil interest, occurrit, vt: *vtrum astra sint paria*? poterit intellectus vlterius ad clariorem cognitionem non progredi; quin talis ignorantia culpabilis censeatur. Culpabilis verò est circa materiam obligantem, ad quam requiritur & quod se offerat materia, & simul obligatio operandi circa illam: si enim ocurrat cognitio materiæ, non tamen obligationis, erit ignorantia vincibilis; cum intellectus habeat sufficiens principium, quo ductus posset vlterius inquirere de tali re, & perfectiorem illius notitiam allequi, non tamen erit culpabilis, quia culpa supponit cognitionem obligationis.

9. Hoc notato, potest vlterius inquiri: an, supposito, quod sit vincibilis ignorantia Dei, semper esset culpabilis? P. Arriag. n. 21. quem sequitur noster Avend. putat, posse in aliquibus Barbaris suboriri aliquod dubium circa factorem Cœli, & terræ, in quibus iam esset vincibilis ignorantia Dei, quin in eis excitetur species, quod ille sit Legislator, vel veneratione dignus, aut quod dederit præcepta, quæ illi debeant inquirere, ac proinde quin detur species obligationis ad clariorem eius notitiam inquirendam, vel ità leviter suboriatur vt obligationem non satis pertingant; & consequenter in eis talis ignorantia culpabilis non esset, licèt esset vincibilis.

10. Dico primò: *nequit dari ignorantia invincibilis Dei in aliquà integra Natione, vel Republicà.*

11. Probatur: Impossibile moralitèr est, quod in tota integra natione, vel republicà, deficiat aliquis homo prudens, cui lux rationis mediocriter affulgeat, positivè dubitans, aut inquirens hanc veritatem, sed impossibile moralitèr est, quod homini ità positivè dubitànti, & inquirenti, non occurrant plures demons-

demonstrationes maximè morales, & faciliores de existentia Dei, vel saltem rationes oppugnantes non existentiam Dei, & eam existentiam inducentes, vndè teneatur, clariorem, & securiorem notitiam inquirere: ergo in tota integra natione, vel Republica impossibilis est hæc ignorantia Dei. Maior, meo videri, est certa: nec enim credibile est, quod Deus ità abundantèr donum intellectùs communicans aliquibus Rebuspublicis, & Nationibus, v.g. Hispanicę, Italicæ, & Gallicæ, vt secretiora tàm naturæ, quàm Deitatis pertingant mysteria, deneget integræ nationi lucem, vt, saltem dubitativè pertingat tam claram, & manifestam veritatem, quamque tota Natura vnisonà voce decantat, qualis est existentia Dei. Minor etiàm est certa; nam saltem talis positiva dubitatio fundari debet in aliqua ratione. Consequentia legitimè infertur: nam cui se offert positiva dubitatio circa aliquam veritatem obligantem, cuius obligatio etiam attingitur, tenetur eam inquirere, & securiori parti, qualis esset, quæ affirmaret existentiam Dei, se accomodare; sed subiectum ità se habens, non ignorat invincibilitèr existentiam Dei, vt per se patet: ergo.

12. Dico secundò: *nullus est homo gaudens pleno rationis vsu, quantumvis rudis, aut in syluis nutritus, qui invincibilitèr ignoret existentiam Dei.* Ità prætèr citatos pro prima sententia, Gibon dis. 6, de existentia Dei sub vltimo numero secundò. Probatur primò authoritate tum Sacræ Paginæ, tum SS. Patrum. Prima deducitur ex Joanne 1. *Illuminàt omnem hominem venientem in hunc mundum*: quę iuxta Liræ expositionem de illuminatione circa existentiam Dei est intelligenda. Vbi sine vlla distinctione, & exceptione de omni homine loquitur. Secunda deducitur ex Psalmo 4. vbi: *signatum est super nos lumen vultus tui*: hoc est (ait August. apud nostrum Lorinum) *Imago qua cognosceris, & vultus illuminans nos*. Vbi etiàm vniversalitèr loquitur. His adiunge 1. Divi August. authoritatem tom. 9. tract. 106. in Joannem suprà illa verba cap. 17. *Pater manifestavi nomen tuum hominibus*. Ità loquitur: *hæc est vis veræ Dèitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti non omninò, ac penitùs possit abscondi.* Vbi item loquitur vniversalitèr de creatura rationali. Etiàm hoc deducitur ex Damasceno 1. de Fide cap. 2. Vbi: *Nemo èst mortalium, cui non hac ab eo naturaliter insitum sit, vt Deum esse perspectum habeat.* Vbi de omni etiàm mortalium hæc notitia vniversalitèr profitetur. His suppositis, hunc efformo discursum:

13. Vbi lex, & authoritas non distinguit, nec nos distinguere debemus; sed authoritas loquitur sine vlla distinctione de omni creatura, quin distinguat inter sapientem & insipientem, & aliàs pro hoc stat communis Theologorum consensus,

ſus, nec in contrarium reperitur aliqua diſonantia, aut inconveniens obligans ad interpretationem, aut contrariam intelligentiam vniverſalitati, quam præſeferunt, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit: ergo vniverſalitèr tenendum de omni, & quacumque creatura rationali pleno vſu rationis vtente, non poſſe invincibilitèr ignorare Deum. Quo manet impugnata ſolutio Patris Arriagæ ad ſimiles authoritates, in quibus ait, ea vniverſalitas debet extendi, primò: ad ferè omnes, nõ tamẽ ad omnes omninò. Secundò: ad omnes ſolum, qui habent aliquam vim ingenij, & diſcurrere incipiunt, non tamen ad rudiores. Nàm, vt iam dixi, de omnibus, & ſine vlla exceptione loquuntur; ideoque ità debent intelligi.

14. Dices tamen ex eodem Arriag. has authoritates plus probare, quàm nos intendimus; probant enìm, impoſsibilem eſſe omnem ignorantiam Dei in hominibus, cum ſaltem vincibilis, & craſſa in pluribus defacto detur. Inſuper Auguſtinus loco allato, ait expreſsè, *exceptis paucis*: ergo in aliquibus de facto concedit hanc ignorantiam.

15. Contra tamen: quia ibi loquitur de ignorantia inculpabili, de quà homines excuſationem habeant, quam vnicè negant ea generalitate SS. PP. non verò de culpabili, vt ex contextu verborum conſtat, & conſtabit in authoritate Auguſtini, in qua licèt ea verba, *exceptis paucis*, inveniantur, in eis non concedit Auguſtinus ignorantiam invincibilem, ſed vincibilem. Verba ità ſe habent: *exceptis paucis, in quibus natura nimium depravata eſt; vniverſum genus hominum Deum mundi huius fatetur authorem*. Vbi in eis ſolum concedit ignorantiam Dei, qui vt ſe tradant omni vitiorum generi per depravationem naturæ, cogitationes de Authore vniverſi, quę vel ex eius fabrica identidem in illis excitabantur, vel à Deo ſubinde immittebantur, abijciebant; & vt in voluptatum liberius cęno volutarent, omnem Dei lucem pro viribus in animo extinguebant; eo modo, quo communitèr ſolet explicari illud Pſalm. *Dixit incipiens in corte ſuo: non eſt Deus*. Sed hęc non eſt ignorantia invincibilis, & inculpabilis, ſed vincibilis, & culpabilis, vt ex ſe conſtat: ergo ſolum hanc, & non illam admittit in aliquibus Auguſtinus. Et ex eius exceptione infertur, quod vniverſalitas tum ipſius, tum aliorum Doctorum non comprehendit omnem ignorantiam, ſed ſolum invincibilem, & inculpabilem.

16. Inſuper judico, hos perditiſsimos homines nullo conatu poſſe internos motus, & pulſus impedire, hos rerum concentus non percipere: *concentum Cæli* (ait Job 38. verſ. 37.) *quis dormire facit?* omnemque de Deo cogitationem è mente penitus excludere, ſibique per-

persuadere, nullum esse Deum. Vndè optimè noster Vazquez hìc d. 29. cap. 4. n. 13. ait: *In huiuscemodi hominibus aliquam sempèr quamvis imperfectam Dei cognitionem persistere*: quam, cum vtcumque percipiunt, licèt toti voluptatibus immersi, & quasi ebrij animo plenè non advertant, nec seriò de Deo cogitent: ergo omnis ignorantia, quæ re ipsa strictè ignorantia de Deo sit, in hominibus qualicumque cognitione gaudeant, nequit dari, ac proinde, licèt ea vniversalitate intelligantur SS. Patres, rectè intelliguntur.

17. Probatur secundò ratione: Deus est finis, & quasi centrum hominis; ad hoc namque conditus est, vt Deum cognoscat, & amet: ergo inditam habet inclinationem, & propensionem ad cognoscendum ipsum Deum. Antècedens est certum; consequentia probatur: alijs rebus ratione carentibus indita est à Deo ad vniuscuiusque centrum naturalis inclinatio, & propensio. Lapidi v. g, vt descendat deorsum, igni vt ascendat sursum, ità vt violenter se habeant, si impediantur: ergo & homini, in quo eius providentiæ effectus maximè præstant, hæc inclinatio in Deum tanquam in proprium centrum indita censeri debet: esset enim gravis deordinatio, ità providè se agere erga alias creaturas, & non erga creaturam rationalem, in quà sicut suam effinxit imaginem, ità sui in mente imaginem efformavit. Tum sic; sed vbi adest hæc naturalis inclinatio, & propensio ad cognoscendum Deum, adest sufficiens principium, ne Deus inculpabiliter ignoretur, ac proinde, ne detur ignorantia invincibilis Dei: ergo hæc in creatura rationis vsu gaudente nequit dari.

18. Dices: ex argumento, seù probatione hac inferri, nec Infantes, nec dementes posse ignorare invincilitèr Deum. Nulli enìm lapidi (idem dic de alijs creaturis ratione carentibus) potest suspendi assequutio sui finis sine violentia: ergo nec vlli creaturæ rationali cognitio Dei, qui finis est illius: ergo cum infantes, & dementes sint creaturæ rationales, vel erunt in statu violento, vel Deum invincibilitèr non ignorabunt, vel nulla erit paritas quoad hoc inter creaturas rationales, & ratione non vtentes; non primum, & secundum, vt ex se constat: ergo tertium.

19. Contra tamen primò: quià creaturæ ratione carentes, nec comparãtur, nec comparari debent cum rationalibus impeditis, seù carentibus dispositione necessaria ad exercitium rationis, quales sunt infantes, & dementes, sed cum creaturis rationalibus pleno vsu rationis gaudentibus, de quibus vnicè loquitur præsens quæstio, & in quibus vnicè esformatur agumentum, & paritas.

20. Contra secundò: ideò in infantibus & amentibus violentum non est, Deum non agnoscere, quià non excercere actum secundum vio-

violentum non est potentiæ carenti actu primo proximo ad excercitium agnoscendi Deum, cum careant dispositionibus expeditis, quę actum primum proximum potentiarum constituunt ad excercitium intelligendi: ergo. Ast verò lapis nunquam, & in nullo statu caret dispositionibus, vt suum centrum assequatur: ergo defectus assequutionis semper esset illi violentus.

21. Contra tertiò; hęc exigentia Dei vt cogniti tanquam proprij, & naturalis centri, non est creaturę rationalis vtcumque, sed creaturæ rationalis vt rationalis formalitèr, & expeditè. Sed licèt infantes, & amentes sint rationales, non tamen sunt rationales formalitèr, & expeditè, sed in eis rationalitas se habet quasi materialitèr, & in suspenso: ergo.

22. Contra quartò; si valeret paritas ab ignorantijs invincibilibus infantium, & amentium ad adultos, & rationis compotes, sicut in Infantibus, & amentibus datur ignorantia invincibilis omnis juris naturalis, & primorum principiorum, ità daretur in adultis, & ratione vtentibus; hoc nec ipsi Adversarij dicent: ergo.

23. Contra denique quintò: quia in linea rationis intellectus tùm in Infantibus, tùm in amentibus, aliquomodo violentèr se haberet, dum non excerceretur, præcipuè in agnitione sui Finis. Sic suspensionem illam in infantibus ab vsu rationis aliqui tribuunt peccato originali. Vndè cum Magistro judicat in statu innocentiæ à primo instanti nativitatis infantes rationis vsu esse gavisuros, & sicut in ordine supernaturali carere per totam æternitatem visione intuitiva Dei, est nimis violentum, & pœna peccati actualis: ità in ordine naturali carere per tempus, cognitione abstractiva Dei, est aliqualiter violentum, & pœna peccati originalis. Ad minus dementiam esse effectum peccati originalis, sicut & reliquas tùm corporis, tùm animæ noxas, certum est.

24 Dico tertiò contra P. Arriaga: *Nequit esse talis ignorantia invincibilis, & defectu advertentiæ culpabilis.* Probatur: eatenus ità esset, quatenus in mente excitaretur dubium de existentia Supremi Numinis, non tamèn de obligatione vlterioris cognitionis ipsius; sed excitato, aut indito dubio de existentia Supremi Numinis, nequit non excitari cognitio, aut dubium saltem positivum de obligatione vlterius perquirendi clariorè talis Numinis notitiam: ergo. Maior est doctrina Arriagę, & probatur minor primò: quia hęc notitia excitata de Deo, ità pullulat, vt ob materiæ gravitatem, & vtilitatem, simul insinuet obligationem ad vlteriorem inquisitionem talis summi boni. Secundò: quià instinctus illi ab Auctore naturę de Deo indici semper cum sacro quodam horrore, ac veneratione immittuntur, quasi personæ alicuius sum-

summæ venerationis, cui subsumus, & à quo in omnibus pendemus; sed ità excitatà notitià, nequit non excitari cognitio obligationis ad vlteriorem cognitionem, per quam ducamur ad ipsius venerationem, & cultum: ergo.

SECTIO II.

ARGVMENTA SOLVVNVR.

25. OBijcies primò: in pluribus defacto datur talis ignorantia invincibilis: ergo possibilis est. Probatur antecedens primò: in insipiente illo, de quo Psalmista: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Secundò: in Pharaone, qui Exod. 5. versic. 2. ait: *Nescio Dominum.* Tertiò: in remotissimis Regionibus tanquam rem novam notitiam alicuius Supremi Numinis audiunt. Quod de Brasilijs testantur non nulli, eos scilicèt ante Lusitanorum adventum nullum coluisse Supremum Numen.

26. Respondeo: nego antecedens: ad primam probationem dico: ibi loqui Prophetam de homine scelerato, qui, vt se liberius vitijs tribuat, omnem de Deo cognitionem abijcit, & contra lucem ipsam innititur dimicare; vndè vincibiliter ignorat. Ad secundam dico: ibi Pharaonem non negare Deum, sed renuere Deum Iudæorũ pro vero Deo fateri. Ad tertiam dico: quod licèt Barbari, & Brasilienses admiratione accipiant notitiam Dei, hoc non provenit ex eo, quod aliquod Supremum Numen sit illis res incognita, sed quià clarè percipiant, quod illis iàm ex instinctu naturali inditum erat, & vel ex desidia; vel ex nimia attentione ad obiecta sensibilia culpabiliter non satis erat perspectum.

27. Objicies secundò: quæ sunt Fidei, possunt invicibiliter ignorari; sed existentia Dei, pertinet ad Fidem, cum sit Fide divina credibilis iuxta illud Pauli: *Accedentem ad Deum oportet credere quod est*: ergo.

28. Respondeo, nego maiorem: ipsa namque prima principia, quæ nequeunt ignorari, si à Deo revelentur, erunt Fide divina credibilia, ac proìnde erunt Fidei. Nì velis pro nunc cum Thomistis dicere, existentiam Dei non pertinere per se ad Fidem, sed solùm per accidens, & cum eis interpretari aucthoritatem Pauli de existentia Dei, vt Auctoris supernaturalis. Et in his principijs admissa maiorì cum distinctione data, dic: ea, quę pertinent per se ad Fidem, vt mysterium Trinitatis, posse invincibiliter ignorari, non verò ea, quę pertinent per accidens, vt existentia.

29. Obijcies tertiò: Gentiles non vnicum tantùm, sed plures, & varios Deos colere solebant. Ità Ægyptij, Romani, &c. sed hoc arguit in eis ingnorantiam invincibilem vnius Dei: ergo non solùm in vno, vel altero rudiori, verùm in

in-

integra Republica, & communitate possibilis est ignorantia invicibilis Dei.

30. Respondeo, ex argumento potius contrarium deduci: scilicèt ignorantiam invincibilem Dei non esse possibilem. Ipsi enim in cultum Politeismi, seu plurium Deorum pervenere: quià cum eis inditus sit instinctus alicuius Supremi Numinis, & aliàs sese vellent vitijs, & voluptatibus tradere, vt simul instinctui annuant, & vitijs; varios vitiosos Deos effingunt, vt se excusent, & plures, vt ab vno ad alium confungiãt, iuxta illud. *Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo: sæpè premente Deo, fert Deus alter opem.* Imò licèt plures colerent, semper vnum, vt omnibus Superiorem, & potentiorem fatebantur, vt Romani v.g. Iovem.

31. Objicies quartò: per nos existentia Dei non est per se nota: ergo potest invicibiliter ignorari. Probatur consequentia: id, quod per se notum non est, eget aliquo discursu ad sui cognitionem; sed hoc ipso potest invincibiliter ignorari, ab aliquo saltem barbaro, & sylvis nutrito: ergo. Maior est certa. Minor probatur: nam talis homo videtur penitus incapax totius discursùs, quo à posteriori, & gradatim per creaturas ascendat ad Deum; cum hoc sit proprium Philosophorum dissertè discurrentium. Imò, & Angelorum, qui Iacobo per scalam ad Deum ascendebant, iuxta illud Genesis; *viditque in somnis scalam, Angelos quoque Dei ascendentes*. Si enim similis discursus vix à Philosophis assequitur, quomodò efformabitur à barbaris, & ignorantibus?

32. Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad eius probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem dico: nullum esse hominem adeò rudem, qui non gaudeat sufficienti discursu ad Dei cognitionem. Nam licèt difficile sit rudioribus, & barbaris claram eius notitiam, aut demonstrationem ex creaturis inferre, per easque, vt per gradus ad Deum ascendere, cum hì Philosophorum gradus sint, egeantque attenta meditatione, & mediocri saltem ingenio; ast omni difficultate caret, & nulla ingenij vivacitate opus est, vt supposito instinctu à Deo omni homini indito, excitetur aliquod dubium circa existentiam Supremi Numinis, quo semèl excitato, datur obligatio, vtpotè in materia gravissima ad æternam salutem pertinente, clariorem eius cognitionem acquirendi, quod si omittat, vincibiliter, & culpabiliter ignorat. Si verò quantum est ex se, faciat, Deus non negabit illi lucem, & iuvamina, vt assequatur, & tali luce, quasi baculo innixus ad Supremum Numen per creaturarum scalam ascendat.

33. Objicies quintò: Possibilis est ignorantia invincibilis iuris: ergo & Dei. Antecedens est omnium

nium Theologorum cũ Divo Thoma 1. 2. quæst. 84. artic. 4. & duobus sequentibus. Sic excusant Sansonem, Eleazarum, Raziam, & Jephte, tres primos ab occisione sui, & vltimum à mactatione filię, ratione ignorantiæ invincibilis iuris naturalis prohibentis se, aliumque occidere Molina, Filiucius, & Interpretes comuniter à peccato. Samson enìm columnas Templi evertens se ipsum cum Populo Philistinorum interfecit. Eleazarus se sub Elephanto, quem occidit, oppressit. Razias ne in manus inimicorum incideret, se proprijs interemit. Jephte vt votum adimpleret, Filiam iugulavit. Probatur consequentia: quià non minus à Natura videtur inditus instinctus existentiæ Dei, quàm iuris naturalis; sed hoc non obstante, potest ius naturale invincibiliter ignorari: ergo & existentia Dei.

34. Ante solutionem scias, dictamina iuris naturalis regulativa morum posse dividi in triplex genus, videlicèt in prima principia vniversalissima per se nota, quę se habent, velut primę dignitates, & regulæ morum v. g. *quod tibi non vis alteri ne feceris. Bonum est amplectendum: Malum est fugiendum, &c.* Secundò, in principia secundaria, seù proxima, & propinqua primis principijs, ex quibus velut immediatè conclusiones subinferuntur. Quo pacto se habent plura præcepta Decalogi, v. g. *non est iurandum. non est mentiendum, &c.* Tertiò: in aliqua principia remota, quæ se habent, velut immediatæ, & remotæ conclusiones principiorum, ex quibus deducuntur. In hoc igitur triplici genere nequit totalis, & plena ignorantia reperiri, nam saltem circa primum genus nequit intellectus ratione pollens immediatè errare; benè tamèn circa secundum genus præceptorum, quando scilicèt obiectum proponitur sub aliqua circunstantia obnubilante rationem, ni homo aliàs sit satis instructus, quià circunstantia aducta aliquo modo velat, & tegit malitiam obiecti.

35. Ratio est: quià sunt aliquæ actiones iure naturę prohibitæ, quarum difformitas, neque est per se nota, nec vniversaliter sub omni circunstantia apparens, sed respectivè, v. g. occisio sui, aut alterius per se loquendo, & seclusa circunstantia speciali, est illicita, & ità apparet eius turpitudo, vt nequeat invincibiliter ignorari. At verò sub circunstantia mortis crudelioris vitandæ, observandi castitatem, vel adimplendi votum, potest alicui invincibiliter apparere licita, & honesta, pręsertim cũ occisio hominis etiam authoritate privata facta non sit intrinsecè vniversaliter, atque invariabiliter illicita, quin potius quandoque licita ob defensionem propriæ vitę. Pariter per errorem posset quis iudicare sibi licitam occisionem Tyranni, accelerationem mortis in homine graviter ęgrotante, vt scilicèt libe

liberet Rempublicam à Tyrannide, & ęgrotum à doloribus.

36. Circa tertium genus preceptorum frequentius contingere potest ignorantia invincibilis. Nam etiamsi actiones eorum transgressivæ sint contra legem Naturæ, ast eorum malitia non est obvia, imò difficile est eam ex lege Naturę comprehendere, v.g. simplex fornicatio, pollutio, delectatio morosa, poligamia, dissolutio Matrimonij, vxoris repudium, vindicta, & cætera; & sanè in pluribus ex nuper memoratis actionibus stando rationi naturali, nequidem viris sapientibus obvia est turpitudinis causa; vndè non parum dissident in ea assignanda. Quo supposito,

37. Respondeo distinguendo antecedens: possibilis est ignorantia iuris naturalis adæquatè sumpti, nego: inadæquatè sumpti, concedo. Vndè ad notitiam Dei solum datur paritas in iure naturali primi generis, vel secundi non obnubilati circunstantijs, cuius ignorãtia invincibilis subsistere nequit, non verò in iure naturali tertij generis, aut secundi sub circunstantijs, nam circa hoc jus ità sumptum, nec datur instinctus: aliter autem se habet existentia Dei, vt iàm vidimus.

38. Obijcies sextò: homo rusticus, sylvicola, & solitarius, nec per lõgum tempus potest acquirere aliquod comprincipium necessariò requisitum ad cognitionem Dei, nempè speciem ipsius Dei: ergo per longum etiam tempus ignorabit invincibilitèr Deum. Probatur antecedens: si haberet speciem, vel illam haberet ab alio, vel à Deo infusam primo creationis, vel primo vsùs rationis instanti, vel denique acquisitam. Non ab alio cum illum solitarium supponamus. Non à Deo infusam primo creationis instanti, utpote tunc otiosam, & sine vsu. Non primo rationis vsùs instanti; quià iam homo teneretur in eo se ad Deum convertere, quod est contra nostros DD. contrarium asserentes; non denique acquisitam ab ipsis rebus, quàs videret, nam hoc esset per discursum, quo ex ipsis rebus primò dubitaret de Deo. Deinde agnosceret propriam obligationem acquirendi clariorem cognitionem Dei, cum in eo casu iam esset culpabilis ignorantia, eo quod iam non esset invincibilis, sed vincibilis, & penes ipsum staret vlteriorem cognitionem assequi, quæ quidem omnia satis difficilia sunt, & suprà captum, quem supponimus in tali homine rustico.

39. Retorqueo argumentum in primis principijs. V. g. *Bonum est amplectendum*: *Malum est fugiendum*: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Et in conclusionibus ex his deductis. V. g. *Non est furandum*: *non est alteri malum infligendum*. Quorum non est possibilis in ipso sylvicola solitario per longum tempus invincibilis ignorantia. Vndè enìm habet species harum veritatum? Et

vndè

vndè illas acceperis, mutuare etiàm eam, quà indiget pro cognitione Dei.

40. Respondeo: nego antecedens: ad probationem concedo talem speciem non habiturum ab alio ob rationem argumenti; habiturum tamen, vel à Deo infusam, vel acquisitam. Primum probo primò ex nulla repugnantia talis infusionis. Secundò ex congruentia; nàm, cum creaverit Deus hominem, vt illum agnoscat, & amet, Deusque sit centrum hominis, illique indiderit quandam propensionem, & inclinationem in ipsum, congruum erit, quod illi vtique indat quandam speciem sui, & sicut providit inclinationem, provideat etiàm speciem, qua talis inclinatio suum terminum assequatur, exemplo rerum insensibilium, vt constat ex nostris probationibus. Tertiò: paritate primi hominis, & Angelorum, quibus Deus infusas species rerum communicavit pro tot obiectorum naturàlium cognitione: quid ergo mirum, quod nunc communicet hominibus speciem pro prima veritate, maximè naturali, vtili, & necessaria assequenda, cognitione scilicèt existentiæ ipsius? quarto denique ex illa authoritate Psalm. 4: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vbi ly *lumen vultus tui* satis congruè potest intelligi de specie signata, seù infusa nobis à Deo, & ità meo videri, intelligitur à Divo Augustino apud Liranum hìc dicente: *hoc est, imago, quà cognosceris*; sed imago obiecti, quà cognoscitur ipsum loco ipsius concurrens ad producendam cognitionem, seù signatam ab ipso obiecto, in nobis est species ipsius: ergo si ly *lumen* ità se habet juxta D. Augustinum, ly *lumen* erit species Dei ab ipso nobis infusa.

41. Restat inquirere; quando fuit talis species infusa, vel primo creationis, vel primo vsùs rationis instanti? Dico, vtrobique potuisse infundi: primo animæ creationis instanti, nam licèt tunc non esset operatura, hoc non erat ex defectu speciei, sed dispositionū potentiæ intellectivæ, quasi suspensæ, & impeditæ vsque ad tempus. Sic in primo creationis instanti creat Deus rationem ipsam, seu lumen rationis, cuius vsus non est vsque ad tempus. Sic etiàm infundit Angelis plures species, quas à primo infusionis instanti non exercent, sed per tempus successivè. Vel dic, eam infundere in primo vsùs rationis instanti, neque ex eo sequi, hominem teneri in ipso instanti physico vsùs rationis se ad Deum convertere. Nàm ad hoc deberet in tali instātī Deum cognoscere, & obligationem conversionis, & licèt detur species, nec eam statim excercet, nec obligàtionem statim attingit ratione diversionis, distractionis, vel non sufficientis perceptionis. Cum impossibile moralitèr sit, quod in ipso physico instanti primo vsùs rationis detùr sufficiens advertentia pro his omnibus. Si tamen

men daretur, teneretur absque dubio converti, & quia nec datur, nec potest moralitèr loquendo dari; indè dicimus, non teneri contra Thomistas contrarium asserentes, licèt iam communitèr pro hac obligatione, & convesione ad Deum recurrant ad primum instans morale vsùs rationis, in quo sufficiens tempus physicum assignāt pro cognitione Dei, & obligatione àd conversionem.

42. Secundum, nempè posse esse talem speciem acquisitam, quod connaturalius videtur, constat ex nostris probationibus: nam cum vnisona consonantia rerum ità vocitet, vniversum vicibile vocem elevet, Cęlique concentum nemo dormire faciat, necessariò in quocumque ratione vtente primò excitat speciem qnandam confusam pro apprehensione, deinde prò dubitatione, tandem pro clariori cognitione, quæ adiuvante, & concurrente Deo, perficitur, & cum hæc qualis qualis cognitio adveniat vestita quodam sacro horrore, & veneratione (vt optimè asserit noster Coninc) insinuat primò scrupulum, deinde remorsum in conscientia denotantem obligationem pro assequenda cognitione, & prosequenda diligentia in ordine ad eius exècutionem, vndè si ab illa cessat, peccabit vtique, neque hoc excedit rusticitatem illius hominis. Voces namque rerum ità clarè insonant, vt à quocumque non surdo rationis, plenove rationis auditu gaudènte audiantur necessariò, maximè promovente, & inclinante proprio, & naturali instinctu, & inclinatione.

43. Notare tamen liceat: in terminis quæstionis non valere hanc deductionem: *illa ignorantia sylvicolæ solitarij non esset culpabilis; ergo esset invincibilis.* Primo: quia vniversalitèr non convertitur ignorantia vincibilis cum culpabili, vt constat ex secundo notabili. Secundò: quia & si materia præsens sit obligans, poterat se mihi non offerre obligatio, vel ità leviter, vt non sufficeret pro culpà desidia, & omisio vlterioris cognitionis, vt ait Arriaga. Vndè illa non esset ignorantia invincibilis, & tamen nō esset culpabilis, licèt in materia pręsenti contrarium judicem.

44. Replicas tamen: ergo datur excitativum necessarium talis speciei, hocque erunt ipsæ creaturæ visibiles; ergo ea species necessariò excitatur: ergo neque per breve tempus poterit esse ignorantia invincibilis Dei. Probatur consequentia: ideò per longum tempus nequit esse talis ignorantia, quia datur inclinatio indita, plenus vsus rationis, & species Dei excitata à creaturis; sed id ipsum reperitur in primo instanti vsùs rationis: ergo & vt vitetur impedimentum distractionis, vi cuius poterat talis homo abripi à cognitione Dei. Pone, illum non distractum, sed à primo instanti vsùs rationis attentìssimè contemplantem mundum, eiusque consonantiam,

45. Retorqueo etiàm replicam in cognitione primorum principiorum, quorum ignorantia invincibilis per longum tempus à nemine admittitur, ideòque debet concedi species talium veritatum, & excitativum necessarium illius, quin negetur per aliquod breve tempus. Replica ergo attingit obstrusam difficultatem de excitatione specierum rerum insensibilium, v. g. spiritualium, substantiæ,&c. quæ sensibus non subjectantur: quomodo scilicèt, & quales concurrant ad primam cognitionem ipsarum. Aliqui judicant, primum actum circa has res non elici per speciem impressam, sed per species expressas, seù actus intellectûs naturà præcedentes talem actum: nàm cum primus actus sit quidam discursus, actus antecedentes, ex quibus deducitur, vim habent speciei impressæ, & occurrunt loco ipsius. Alij probabilius, & conformius meis principijs negantibus influxum physicum præmissis effectivum erga conclusionem, asserunt, intellectum determinari ad primam cognitionem harum rerum per species quasdam vniversales,quę licèt singillatim ità sint, tamen vt collatæ sub ijsdem circunstantijs, se invicem limitant, & modificant ad producendum, & determinandum hunc actum particularem, v. g. ille sylvicola statim, ac pervenit ad vsum rationis ex rebus visibilibus, & harmonia Vniversi, Solis, Lucis, Stellarum, habet species pulchritudinis, fortitudinis, velocitatis, subordinationis rerum, effectuum, & causarum, quæ quidem omnes species, & aliæ adiunctæ, inclinatione, & propensione naturali, providentiaque ipsius Dei in re tanti momenti determinant intellectum rustici, & concurrunt cum eo ad productioné cognitionis confusæ alicuius primæ causæ, quę sit Deus,quæ postea decursu téporis, & iterata experientia clarior fit.Cú autem ad hoc, vt hæ species colligantur, requiratur aliquod tempus, inde est, quod saltem per aliquod breve intervallum admittatur possibilis ignorantia invincibilis Dei.

46. Quantum autem temporis sit necessarium, hoc dependebit à vivacitate, vel tarditate ingenij citius, vel tardius colligentis species sufficientes pro tali cognitione eliciendа. Sicut à tarditate, vel velocitate colligentis flores in hortulo, dependet tempus eformandi ramum. Vndè à primo vsûs rationis instanti (si non supponatur distractus, quod moraliter est impossibile) incipit colligere species Dei: hoc est, inchoativè, seù initiativè necessariò in intellectu excitantur species ab ipsis rebus, quæ certè sunt excitativum necessarium earum, quique intellectus dum compleatur, cognitionem non producit; sed impossibile moralitèr est, quod statim primo instanti vsûs rationis, perficiatur, etiàm si omnis distractio auferatur: ergo, & quod tunc eliciat Dei cognitionem intellectus sylvicolæ. Nota tamen, quod si ità apponatur vivax, & perspicax ingenium ità ab omni abstractione alienum, ità rebus ipsis attentum,

vt statim primo vsùs rationis instanti acquireret has omnes species, certè cognosceret Deum, quod tam alienum est, vt nostræ conclusioni neganti, saltem per longum tempus, possibilitatem ignorantiæ invincibilis, offendat, quod potiùs eam maximè confirmet. Nàm si per breve tempus non datur: ergo multo minus per longum.

47. Objicies septimò: in statu puræ naturæ, & sublata elevatione ad ordinem supernaturalem, possibilis est ignorantia invincibilis Dei: ergo & in statu naturę elevatæ. Probatur antecedens: lumen rationis in statu puræ naturæ non haberet adminicula, & iuvamina, quę habet natura elevata, & reparata per Christi adventum, & Apostolorum prædicationem: ergo. Prima consequentia, & paritas ità probatur ab Avend. Multi Theologi persuadent possibilitatem condonationis extrinsecæ peccati in statu naturę elevatę, ex eo quod Deus in statu purę naturæ ità possit illud condonare: ergo pariter poterit persuaderi ignorantia invincibilis Dei in ordine supernaturali ex illius possibilitate in statu puræ naturę.

48. Hoc argumentum agit etiàm pro sententia nostri Leonardi, sed pro nulla efficaciter. Respondeo: nego antecedens, quo cessat penitus argumentum, nam omnes nostræ probationes, tū à ratione tùm ab authoritate ęquè probant pro vtroque statu, & naturæ elevatæ, & integræ. Nàm seclusso ordine supernaturalis providentię, & adminiculis ipsius, insuper non attenta Apostolorum prędicatione, homines gaudent instinctu naturali erga Deum, res ipsę ducunt ad ipsius cognitionem, & dirigūt intellectum ad Deum, vt ad proprium, & naturale centrum. Et sicut per vos Deus vt Finis supernaturalis hominum confert illis inclinationes, & media apta, seù auxilia pro talis finis consecutione, ità etiàm vt Finis naturalis illa conferre debet, præsertim, cum naturalis inclinatio cognoscendi Deum indita sit omnibus hominibus ab Authore naturæ.

49. Objicies octavo ex Patre Arriaga contra tertiam conclusionem. Sępè homini objiciuntur plura, dequibus vlterius non inquirendo, nullatenus peccet. V. g. quomodo arbores crescant? Vtrum Astra sint paria? Et alia huiusmodi: ergo similiter poterit homini objicí dubium de existentia Dei, quin peccet, non inquirendo vlterius de illo. Tunc sic; sed hoc ipso erit ignorantia vincibilis, non tamen culpabilis: ergo ità poterit se habere ignorantia Dei.

50. Respondeo, certum esse, posse dari ignorantiam vincibilem, & aliàs inculpabilem, vt suprà notavimus, dummodo materia, circa quam vel sit non obligans, vt in exemplis in antecedenti positis constat, vel saltem non objiciatur obligatio, vt sępè contingit. At verò hoc evenire non potest circa existentiam Dei, quia ex se est materia

teria obligans, vt ab omnibus conceditur, & aliàs eius obligatio nequit non excitari in intellectu ob rationes positas in tertia cõclusione.

SECTIO III.

QVID DICENDVM SIT DE IGNOrantia positiva circa Dei existentiam?

51. SVppono, dari duplicem ignorantiam invincibilem positivam, & negativam. Ignorantia negativa est, cum per puram incogitantiam, seù inadvertentiam existentiam Dei nullatenus pertingerem, & de hac nunc vsque loquuti sumus, negantes possibilitatem ipsius. Ignorantia positiva est, quę fieret per dissensum, seù per errorem positivum de existentia Dei. Cum scilicèt mihi oblata suspicione de existentia Dei, convictus rationibus, & argumentis in contrarium stantibus, crederem, Deum non existere, & de hac nunc inquirimus, vtrum sit possibilis, nec ne?

52. Prima sententia affirmat possibilem ignorantiam invincibilem non solum negativam, seù privativam, sed etiàm positivam de existentia Dei. Ità ex omnibus, quos viderim vnicus Pontius 1. p. disp. 2. conclus. 2. n. 19.

53. Secunda sententia negat possibilitatem talis ignorantiæ positivæ. Ità expressè Quiros tract. 2. de essentia, & attributis d. 4. n. 54. & Bonæspei d. 1. de existentia Dei. d. 3. n. 39.

54. Dicendum cum his DD. *stando principijs intrinsecis nequit dari ignorantia positiva invincibilis de existentia Dei.*

55. Probatur: nullus intellectus ratione gaudens, quamvis rusticitate ipsa compactus, potest dissentiri alicui objecto sibi proposito sine motivo, quo sibi persuadeat, tale objectum ità se habere, vel non se habere; sed nulli intellectui, stando principijs intrinsecis, suspicanti de existentia Dei potest proponi motivum, quo rationaliter sibi persuadeat, Deũ nõ existere, imò, (si aliquod apparens proponatur) quin statim sibi suppetant plura potiora, & suadibiliora existentiam Dei probantia, & quasi exhaurientia scintillam probabilitatis motivi apparentis in contrarium: ergo. Maior est certa, nemo enìm assentitur, vel dissentitur, sine motivo assensùs, aut dissensùs. Minor constat exponderatione non semel facta; nam cum ipsi Cęli concentus, ipsa harmonia vniversi, ipsa mundi visibilis musica hoc vocitent, & proclament, & vix sit creatura aliqua, in quà hoc non decantetur, nequeunt non esse obvia, quàm plurima motiva, & argumenta, quæ persuadeant existentiam Dei, nec vllum, quod contrarium suadeat, vel cuius apparens probabilitas statim non exhauriatur: ergo.

56. Objicies primò: saltem poterit alicui objici aliquod moti-

vum, & argumentum apparens, quod licèt sit falsum, sibi falsitas non patefiat de non existentia Dei, cui licèt appareant alia de existentia, dum respondere nequit, suspensus hæreat. Quo cum si hic homo sistat, nec vlteriorem cognitionem acquirat, videtur ignoràre positivè, & invincibiliter existentiam Dei.

57. Respondetur: argumentum non probare dissensum positivum, sed suspensionem, aut non assensum. Vndè nec probat ignorantiam positivam. Insuper in casu argumenti talis homo non sisteret inculpatè: nam, cum sibi objiciatur motivum pro non existentia, & alia pro existen tia, debet non sistere, sed in materia ità gravi, & obligatoria vlterius inquirere, & examinare exactè rem, dum vsque à dubio se exolvat. Sed nec suspensus debet manere. Nàm cum non sit practicè probabile vtrumque contradictionis extremum, nempè; Deum existere, & simul non existere, licèt speculativè vtrumque verum appareat, vnum tamen est determinandum. Cum autem pro parte existentiæ Dei dentur motiva, & argumenta probabiliora in re tanti momenti, securiori, & probabiliori parti se accõmodare tenetur. Quià si hęc opinio vera sit, magnum sibi nocumentum accersit, eam non credendo: si verò per imposibile falsa esset, adhuc sibi nullum afferret, & damnum si crederet, & juxta eam sententiam honestè operaretur; ergo error rustici in eo casu, vel in suspensione, vel in sistentia; non erit invincibilis ignorantia, sed vincibilis, non inculpabilis, sed culpabilis.

58. Objicies secundò: pro parte negante existentiam Dei stat propria hominis inclinatio in malum, propensioque ad laxitatem morum: ergo hæc propensio, quocumque motivo suffulta potest ità obumbrare intellectum, vt etiàmsi pro existentia Dei dentur tot motiva clariora, & argumenta, tamen illum rapiat ad illam negandam.

59. Respondeo, me non dubitare, ità se rem posse habere, immò ità se habuisse in Atheis, & in illo insipiente, qui dicebat *in corde suo non est Deus*. Sed hęc non esset ignòrantia invincibilis, nec inculpabilis; nam si homo ei resisteret propensioni (vt tenetur) eamque inclinationem compesceret, nec se voluntariè traderet laxitati, & affectatę ignorantiæ Dei, & eius existentiam cognosceret, & argumentum, motivumque apparens satis infringeret.

60. Objicies tertiò: homo rusticus credit Parocho sibi dicenti, Deum esse Trinum, & Vnum: ergo potiori jure crederet sibi dicenti, Deum non existere. Quo cum daretur non solum per breve, sed per longum tempus ignorantia invincibilis positiva Dei. Probatur consequentia, & paritas: magis, vel tantum resistit naturale lumen Trinitati Personarum cum vnitate Essentiæ, quàm non existentiæ Dei.

Nàm

Nàm Trinitas Personarum cum Vnitate Essentiæ opponitur illi principio lumine naturę noto: *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Non existentia tamen Dei solum opponitur aliquibus principijs, quorum veritas non ità apparet; sed rusticus invincibiliter credit mysterium Trinitatis, si à Parocho proponatur: ergo si ab eodem proponeretur non existentia Dei, ab eo invincibiliter crederetur, & consequenter invincibiliter ignoraret Deum.

61. Hoc argumento convictus Pater Quiros tract. 2. de Essentia, & attributis. disp. 13. sect. 7. n. 55. tenet ignorantiam positivam in rustico occasionatam ex prava extrinseci Doctoris instructione sequutus Reding. Benedictinum tom. 1. q. 2. de existentia Dei. Controv. 4. num. 2. qui antea hoc tenuit.

62. Respondeo primò cum P. Quiros num. 58. argumentum esse extra rem. Nàm in præsenti solum defendimus, non esse possibilem ignorantiam Dei ab intrinseco, seù attentis principijs intrinsecis naturæ rationalis vi proprij intellectùs, & discursùs; non verò loquimur attentis principijs extrinsecis, seù authoritate, & instructione Doctoris decipientis. Vndè illa esset ignorãtia vincibilis ab intrinseco, & invincibilis ab extrinseco, ratione debilitatis ingenij audientis, & piæ affectionis erga decipientem, ideoque inculpabilis. Hoc est, si talis homo esset relictus secum ipso ex proprio instinctu rem agens, clariorem acquireret cognitionem de existentia Dei, sed quia à Parocho, cui Fidem jurat, decipitur, morsum internum comprimit, & cognitionem, cuius sufficiens principium habet, non assequitur, inculpabiliter tamen. Id ipsum Bonæspei tenet iam citatus, qui postquam suam conclusionem negantem ignorantiam positivam inculpabilem apponit, addit: *Limita tamen nostram resolutionem; nisi sit prava Athei Doctoris instructione præventus.*

63. Respondeo secundò: nec istam dicendam ignorantiam inculpabilem de existentia Dei, nàm licèt hoc iterum, atque iterum affirmet Parochus, cum contrarium, nempè Deum existere, affirmet vniversus, concentus Cæli, ordo rerum, mundi visibilis disona consonantia proprio instinctu inclinante, morsu pungente, debet rusticus in re ità clara, & perspecta dicto Parochi non acquiescere, sed ad summum assensum suspendere, dum vsque alios & alios consulat & certificetur. Vndè cessare, & non prosequi juxta illum instinctum, & speciem esset culpabile. Nec valet paritas Mysterij Trinitatis: nam cum hæc sit materia nimis recondita, & supra captum mentis, in quà Natura abstrahit, instinctus naturalis non insequitur, nullaque datur species visibilis & mutuabilis à creaturis debet comprimere quoscumque motus in contrarium, prçcipuè cum

cum his militent cõtra mysterium, pro quo debet stare; in nostra verò conclusione omnes militent pro mysterio, & solum dictum Parochi contra ipsum.

QUÆSTIO III.

PER QVID VLTIMO constituatur Deus?

1. QVÆStio præsens suprà omnes de definitione, quę sæpè nominibus implicantur, plurimum continet de nomine, ideòque aliquibus involvitur tenebris, quas insuper spargunt, & varietas opinionum, & confusæ Doctorum citationes. Nam idem iàm pro hac, iàm pro aliâ citari solet sententiâ, sed ne in eodem, quod noto, peccem,

2. Nota primò: quod cum in Deo detur, & vnitas Naturæ, & Trinitas Personarum, dantur aliqua prædicata propria Trinitatis, hoc est, vniuscuiusque Personæ, & alia propria vnitatis, & hæc sunt communia triplici Personæ. Prima appellantur relativa, quæ sunt *Personalitates*: ratio *Innascibilis, Generantis, & Patris* in Prima Persona. Ratio *Geniti, Verbi, & Filij*, in Secunda. Ratio *Amoris mutui* per modum termini à principio Spirante, & *Spiritus Sancti* in Tertia. Secunda appellantur absoluta, & sunt intellectus, voluntas, Sanctitas, Omnipotentia, misericordia, iustitia, &c. Has omnes esse realiter vnum Deum, realiterque inter se identificatas, non est dubium. Undè Deum realiter sumptũ ex his omnibus resultare (si hac voce vti liceat) certum est. Ast verò, cum has formalitates inter se per intellectum distinguamus, & inter formalitates in creaturis realiter identificatas, & solum formaliter distinctas, aliæ dicantur primariæ, & essentiales, alię verò secundarię, & attributales:

3. Nunc inquirimus, quę, & quantæ ex his formalitatibus Dei pertineant ad eius essentialem, & metaphysicam constitutionem, quę verò, & quantæ non nisi ad lineam attributalem? Insuper, sicut in qualibet essentia creaturę ex prædicatis essentialibus, & constitutivis, vnum est genericum, aut commune; aliud verò differentiale, per quod distinguatur ab omni alio: ità in Deo discurrendum est. Et de hoc vltimo differentiali prædicato, seù constitutivo Dei inquirimus in præsenti quale sit?

4. Nota secundò: hìc debere supponi aliquam regulam generalem iuxta vniuscuiusque Scriptoris principia pro assignanda distinctione inter prædicata essentialia, & primaria, & prædicata attributalia, & secundaria. Relictis ergo varijs, eam propono, quam non semel Philosophus stabilivi, & defensavi, quę ità se habet. Quotiès per aliquod nomen significantur plures conceptus æquales, differentia-

tiales, & specifici, qui ideò dicuntur ad convertentiam, ille dicitur primarius, qui fuerit notabiliter perfectior, aut prior alijs; ille verò secundarius, qui fuerit notabiliter minus perfectus, dummodo ratione connotati non sit prior perfectiori, nam in hoc casu erit etiàm *primarius*. Hinc deduces, primò: quare apprehensivum non sit prædicatum secundarium rationalis, quià licèt sit notabilitèr minus perfectum, quàm iudicativum, non èst posterius illo, imò ratione connotati, nępè apprehensionis, potius ėst prius. Secundò: quod licèt discursivum & sit minus perfectum, & posterius iudicativo, quia non est notabiliter minus perfectum, non est prædicatum secundarium, sed integrat cum iudicativo rationale. Tertiò: quod licèt in linea intellectivi perfectius sit intellectivũ evidenter, supernaturaliter, & de Deo, quàm intellectivum obscurum, naturale, & de creatura, cum hic excesus sit solum quasi gradualis intra eandem lineam vitæ intellectivæ, vtrumque est prædicatum primarium. Quartò: cur risibile, admirativum, & volitivum sint attributa rationalis, quià scilicèt & sunt notabiliter minus perfecta, & non sunt priora.

5. Nec dubito, prędicata minus perfecta sæpè esse primaria: sic genera sępè imperfectiora differentijs speciem constituunt; sed hæc non sunt prædicata æqualia, quæ dicantur ad convertentiam, sed superiora, & inferiora; quæ ad invicem non inferuntur. Regula hæc nostra est solùm de prędicatis ęqualibus, & convertibilibus. Cũ ergo per hoc nomen *Deus* significentur plura prędicata æqualia, differentialia, & specifica, nępè: *Ens, Omnipotens, Misericors, Immensus, Infinitus, à se, & alia, quæ se mutuò inferunt*; valet enim: *est à se: ergo Infinitus, est Infinitum: ergo Immensus: est immensus: ergo Infinitus, & à se, & sic de alijs*; suboritur dubium: quale ex his prædicatis sit primarium, qualia verò secundaria? Audire liceat, breviter tamèn, principaliora placita, vt meum aperiam.

SECTIO I.

PRINCIPALIORES SENtentiæ referuntur, & refelluntur

6. PRIma sententia tenet; Deum vltimo constitui per omnimodam aseitatem. Ità Sapientissimus noster Leonardus tract. 8. de Scientia, Sect. 8. subsect. 1. & apud eundem ibi num. 99. Rainaud. Alarcon, Recupitus, & Smising. Citari etiam solent Vazq. Albertin, Grand, & Alij.

7. Contra tamèn primò: Aseitas ex conceptu suo non dicit vitalitatem, sicut nec abalietas: ergo non est prædicatum æquè perfectum, ac intellectivum, aut volitivum. Vndè si per impossibile elemen-

menta essent à se, vt iudicant Atheistæ, non ideò excellerent in perfectione hominem, vel Angelum viventes: ergo nequeunt intellectivum, & volitivum esse tantum attributa, & aseitas elevari ad vltimam constitutionem.

8. Contra secundò: sicut Deus est essentialiter independens ab alio, ità homo est essentialiter dependens; sed homo rectè non definiretur vt per vltimam differentiam, per esse dependens, siquidem vlterius desideraretur ad plenam notitiam definiti, quid sit hoc, quod iàm supponimus, esse dependens? Ergo neque Deus per esse independens: nam vlterius restat quærendum; quid sit hoc, quod independens supponitur?

9. Contra tertiò: ideò per vos attributa non sunt omninò à se, quià procedunt, & dimanant ab aseitate, vt ab essentia; sed etiam aseitas quasi dependet ab attributis, siquidem à volitione redditur volens, à misericordia misericors, &c. ab eisque hoc esse accipit: ergo non est omninò à se. Et sicut hæc dependentia, vel quasi dependentia essentiæ ab attributis vt à causis, vel quasi causis formalibus non officit omnimodæ aseitati, nec dependentia attributorum ab aseitate vt à causa, vel quasi causa efficiente officiet.

10. Secunda sententia ponit vltimum Dei constitutivum in *intellectione purissima*. Pro hac citat noster Leonardus num. 50. Hericem. Et hic tract. 1. dist. 3. cap. 5. S. Thomam, Phasol. & alios. Citari etiam solet Exim. D. dis. 30. Methaphisicæ Sect. 15. & lib. 11. de Trinit. cap. 5. Pro hac videtur stare Magist. Gonet asserens d. 2. de natura Dei §. 5. num. 21. Vltimum constitutivum Dei esse intelligere divinum sub conceptu formali vltimę actualitatis completæ, & per se subsistẽs in genere intellectuali: Item Magist. Lumb. d. 3. de Essentia Dei num. 178. dum ait: consistere in actuali intellectione per modum actus purissimi à se.

11. Relictis alijs huius sententiæ impugnationibus, quas latè protrahit noster Leonardus; contra sic, & simul everto præcipuum adversæ partis fundamentum: ideò per vos intellectio Divina est essentia Dei, quià communicata hac, Filius evadit ex vi formalissimæ processionis Deus, & similis in natura Patri, quia intellectio est similitudo, & repræsentatio, qualiter non evadit Spiritus Sanctus, quia volitio ipsi ex vi processionis concessa non est ex se, & ex genere suo similitudo, & expressio; sed ex hac ipsa ratione sequitur, intellectionem non esse naturam Divinam: ergo. Maior est adversariorum ratio. Sed vt probetur minor, suppono, quod certum est, scilicèt: generationem vt sic non fieri per communicationem intellectionis, vt videre est in generatione hominis, & bruti, quæ est vera generatio, & tamèn non fit per communicationem intelle-

ctio-

ctionis, vt ex se patet. Item non requiritur, quod similitudo viventis à vivente requisita ad generationē fundetur in intellectione, vt patet in generatione brutorum. Vndè si Deus per possibile, vel impossibile esset tantum substātia volitiva, & produceret aliam personam similem in natura, esset per vos absque dubio Filius, cum haberet omnia constitutiva, quæ per vos ad rationem Filij requiruntur. Quo supposito,

12. Arguo sic: intellectio Divina duplicem habet conceptum, & similitudinis naturalis, propter quam Filius, cui communicatur, redditur Filius naturalis Patris, & est substantialiter Deus; & similitudinis intentionalis. Hanc similitudinem habet intellectio, vt intellectio est, illam verò non habet, vt intellectio est. Vt patet in exemplo posito, vbi communicata solum voluntate casu, quo Deus solum esset substantia volitiva; persona, cui communicaretur, evaderet similis in natura suo principio communicanti: ergo quod intellectio sit similitudo naturalis, non convenit illi, qua intellectio. Tunc sic: vel intellectio est essentia Dei, quatenus intellectio vitalis est, ac proinde quatenus imago, & similitudo intentionalis, vel quatenus est imago naturalis? Si primum, (quod videtur ipsis adverasarijs respondendum, eo quod quatenus intellectio, & similitudo intentionalis vitalis sit prædicatum perfectius in Deo, ac proinde essentia Dei:) ergo in tātum erit Secunda Persona Deus formalissimè ex vi processionis, quatenus illi communicatur ex vi processionis intellectio, vt intellectio vitalis, & imago intentionalis est, quæ est essentia Dei; sed intellectio, qua intellectio vitalis est, & imago intentionalis, non est similitudo naturalis, imò materialiter se habet ratio vitalitatis imaginis intentionalis ad similitudinem naturalem, vt patet ex dictis: ergo ex vi processionis, qua evadit formaliter Deus, non evadit formaliter Filius. Probatur cōsequētia: Filius ex vi processionis debet evadere similis naturaliter per commutationem similitudinis naturalis; sed similitudo naturalis, & intentionalis solùm materialiter se inferunt: ergo.

13 Tertia sententia definit Deū per *ens spirituale à se subsistens*. Ità Arriaga tract. de scientia disp. 16. num. 6. sed vt optimè notat noster Leonardus non loquitur circa precipuam difficultatem, quia non assignat differentiam vltimam, de qua est quæstio, sed solùm prædicata, quæ constituunt essentiam. Insuper non explicat distinctionem inter naturam, & attributa. Tota namque illa definitio convenit volitioni divinæ, quæ cum iuxta ipsum Arriaga disp. 47. de Trinitate, Sect. 8. num. 94. sit amor subsistens, convenit illi esse ens spirituale à se subsistens, quæ est tota essentiæ definitio. Denique

iuxta

iuxta ipsum Arriaga non datur subsistentia aliqua absoluta preter tres relationes: ergo ante prędicatum subsistens supponitur tota essentia constituta: ergo per ipsum non constituitur. Reliquæ sententiæ in easdem iàm impugnatas videntur coincidere, latèque ad invicem apud pręlo datos impugnantur: nos autem ad nostram.

SECTIO II.

NOSTRA SENTENTIA proponitur, & probatur.

14. CONclusio: Deus primario, & vltimo constituitur per *omneitatem perfectionum absolutarum, seù per simultatem omnium perfectionum possibilium intra lineam essentię, seù vnius entis*: Ità Exim. D. disput. 30. metaphysicę Sect. 1. asserens omnes perfectionesDei esse de essentia ipsius. P. Ruiz de Trinitate disp. 8. Sect. 5. Ægidius Lusitanus, Albis, Coninc, Quiros tract. 2. de essentia, & attributis, Sect. 6. num. 35. Hanc in re tenent Pat. Amicus d. 3. Sect. 4. asserens, constitutivum Dei esse ipsum esse secundum totam suam latitudinem essendi: addit tamèn num. 8. in ipso actu, & formaliter contineri omnes perfectiones convenientes Deo, Lesius, & Gilius asserentes Deum vltimo constitui per infinitatem, seù illuminationem in essendo. Pro hac etiàm sententia laudat Izquierdo Martinon, & alios, quos non vidi.

15. Probatur primò anctho-ritate D. Anselmi quæst. 3. de Trinitate, vbi hæc docet: *attributa non prædicari de Deo per accidens, nec per se secundò, sed per se primò*; sed ità prædicari, est prędicari essentialiter, seù tamquam essentiam Dei, de quo prædicantur: ergo. Item quæst. 43. art. 2. ait: *nomine attributorum significari essentiam Dei, & de Deo prædicari substantialiter*. Quìd clarius? Hic facit August. quæst. 6. de Trinitate cap. 4. & alibi dicens: *Hoc est Deo esse, quod fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, & quidquid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris*: ergo cum esse Dei sit fortitudo, iuxta August. iustitia, sapientia, &c. Essentia Dei his omnibus constituetur; non tanquam ex conceptu communi, vt ex se patet: ergo vt ex vltimo, & differentiali.

16. Probatur secundò ratione: essentia Dei debet esse optima, non solùm in re, sed etiàm in conceptu, tam in substantia, quàm in modo essendi: ergo constituitur per omneitatẽ, seù perfectionum omniũ possibilium collectionem. Antecedens est certum, primo que aspectui patet; consequentia probatur primò: quià Deus est optimus in re, aut realiter in re, & realiter continet non solùm radicaliter, sed formaliter omnem perfectionem possibilem: ergo cum essentia Dei sit non solùm in re, sed etiam in con

conceptu optimo, debet non solùm in re, sed etiàm in conceptu dicere omnes perfectiones posibiles: sed dicere in conceptu omnes perfectiones posibiles, est eis formaliter constitui: ergo.

17. Probatur minor secundò: intellectio v.g. est perfectio, volitio est perfectio, & sic de reliquis attributis; carentia harum pefectionum, sivè præscisiva, sivè negativa non est perfectio: sunt namque perfectiones simpliciter simplices de quarum ratione est, esse meliores ipsę, quàm non ipsæ positivè: ergo plus perfectionis dicit id, quod includit intellectionem, & volitionem, quàm id, quod includit solam intellectionem; sed Deus debet constitui per id, quod dicit maiorem perfectionem: ergo per intellectionem, volitionem, & reliqua attributa simul: non verò per intellectionem, aliud vè prędicatum tantùm.

18. Quod canfirmatur egregià D. Leonis Papæ aucthoritate Epist. 23. cap. 5. vbi: *quidquid dignè de Deo sentitur, non qualitas est, sed essentia*: ergo quęcumque perfectio digna Deo non est qualitas, hoc est, attributum ipsius, sed essentia, eo quod hæc sit iuxta Leonem: *quidquid melius, & dignius censeri potest de Deo.*

19. Dices tamèn, Essentiam divinam continere perfectionem omnium attributorum virtualiter, & in radice, quod sufficit, vt non dicatur carere illa: ergo posita vnicè in intellectione v.g. erit id, quo melius aliquid excogitari nequit. Assumptum probatur: complexum ex Deo, & creatura, v.g. Christus, non dicit maiorem perfectionem, quàm Deus solus, nulla alià ratione, nisi quià etsi concretum illud dicat formaliter naturam humanam, non verò Deus; illam tamèn dicit Deus eminentèr, & præcontinet virtualitèr; sed ità virtualitèr, & radicaliter præcontineret intellectio reliquas perfectiones: ergo etsi illas non diceret formaliter, esset æquè perfecta, nec careret perfectione illarum.

20. Gravis dificultas: sed contra erit: ergo Deus æquè perfectus esset, si per imposibile haberet intellectionem realiter distinctam ab essentia, & realiter careret illa, ac modo est, dicens illam actu, & per identitatem. Probo consequentiam: ideò per Vos concretum ex Deo, & creatura, nempè Christus, non dicit maiorem perfectionem, quàm Deus solus, quià Deus continet eminentèr naturam humanam, quá formalitèr continet Christus; sed in ea hypotesi Essentia divina contineret virtualiter, radicaliter vè intellectionem, quàm nunc formalitèr, & per identitatem dicit: ergo esset tunc ęque perfecta, ac nunc. Nonne dices, inter intellectionem, & naturam humanam comparatione Essentię divinæ non dari paritatem? Certe. Id ipsum dico, & disparitatem asigno. Natura humana nec est, nec esse potest in Deo

Deo perfectio simplicitèr simplex, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa: secus verò volitio, reliquaque attributa, ac proinde non habendo Deus naturam humanam formaliter, & per identitatem, non caret aliqua perfectione sibi debita; aliter autem carendo intellectione, volitione, aliove attributo. Vndè sicut Deus per carentiam identitatis cum humanitate non redditur minus perfectus, per idētitatem cum ipsa non redditur magis perfectus, ideoque eam non dicit formaliter, sed solum eminenter: ast verò sicut per carentiam volitionis aliùsve attributi redderetur minus perfectus, ità per ipsam volitionem, aliudve attributum, perfectior evadit; sed Deus debet constitui per id, quo perfectior evadit: ergo per omnes perfectiones absolutas.

21. Probatur tertiò: perfectiones, quę sunt in Deo eminenter, constituunt ipsum Deum formaliter, pro vt sunt in eo: ergo perfectiones, quę sunt in Deo formalitèr, constituent ipsum Deum formalitèr. Antecedens probatur ab Exim. D. tùm authoritate Augustini, & Anselmi dicentium: *Creaturam in Deo esse creatricem essentiam*: ideò scilicèt, quià talis eminentia, quà Deus continet creaturas est ipsamet ratio, & essentia Dei. Tum quià, si talis eminentia non esset de conceptu essentiali Dei, reperiretur alia ratio prior, quæ esset eius primarium constitutivum. De hac igitur primaria ratione inquiro vlterius: an contineat eminenter creaturas, nec ne? Si continet, habetur intentum. Si illa prior ratio non continet creaturam: ergo est infinita in genere entis: ergo perfectiones, quæ sunt in Deo eminenter, ipsum Deum constituunt.

22. Consequentia prima probatur: sicut comparantur ad Deum illæ eminentiæ provt sunt in ipso, ità comparantur perfectiones ad eundem, quas habet formalitèr; sed illæ eminentię constituunt Deum, vt probatum manet: ergo & perfectiones, quàs continet formalitèr. Maior probatur: posita eminentia in Deo præcontentiva perfectionis, hominis v. g, nullo modo potest plus crescere in Deo, nec ad plus se extendere, quàm ad esse hominem eminenter, manente Deo in esse Dei, quià Deus debet concipi in eo gradu perfectionis, quo non sit possibilis maior. Sed manente Deo in esse Dei, potest concipi non solum intellectivus radicalitèr, sed etiàm formalitèr intelligens, formalitèr volens &c. ergo. Minor probatur: non implicat concipi vnum Deum, qui formalitèr sit non solum intellectivus, & volitivus, sed etiàm formaliter intelligens, & volens, sicut non implicat posse intelligi vnam naturam rationalem, cui esset essentiale, actualiter intelligere: ergo non implicat, quod Deus manendo in esse Dei crescat ad esse formalitèr intelligentem, volentem &c. Tunc sic; sed ideò illæ emminentiæ constituunt Deum formalitèr, quia

ſunt vltimæ perfectiones poſsibiles, ad quas Deus poteſt creſcere manendo in eſſe Dei: ergo.

23. Probatur quartò: iuxta ſupra allatam, & comunitèr acceptam Regulam, ex prædicatis ſpecificis ſe mutuò inferentibus, vt aliquod cenſeatur ſecundarium, debet eſſe minus perfectum notabiliter altero; ſed in Deo omnes eius perfectiones ſunt ſpecificæ, & ſe mutuò inferentes, nullaque eſt minus perfecta notabiliter reſpectu alterius, cum omnes ſint æquales, vel ſi ſint inęquales, non ſunt notabiliter tales iuxta varias ſententias, vt poſtea videbimus: ergo omnes ſunt primarię, & de conceptu eſſentiali Dei.

24. Confirmatur: licèt conceptus *diſcurſivi* ſit prædicatum minus perfectum judicativo, quia non eſt notabiliter tale, conſtituitur ex vtroque differentia vltima hominis, nempè *rationale*; ſed conceptus omnipotentis in Deo non eſt prædicatum minus perfectum notabilitèr prædicato intelligentis, cum ſit vel æquale, vel parùm diſtans: ergo ex vtroque conſtituetur vltima differentia Dei; & ſic de alijs facta eadem comparatione.

25. Probatur quintò: juxta Boetium, & commune philoſophorum axioma, ſubſiſtentia eſt *rationalis naturæ individua ſubſtantia*: ergo quidquid formaliter terminatur ſubſiſtentià, formaliter eſt natura; ſed omnia attributa divina terminantur formaliter ſubſiſtentijs; ergo omnia attributa divina, ſunt formaliter ipſa Natura divina, aut pertinent ad ipſam. Probatur minor nunc de intellectione, & volitione: Verbum Divinum iuxta Theologos, ex vi formaliſsimæ proceſsionis, eſt ſapientia ſubſiſtens, & Spiritus Sanctus amor ſubſiſtens: ergo intellectio, & volitio terminantur formaliter ſubſiſtentià: ergo pertinet eſſentialiter ad Naturam divinam: ergo idem erit de reliquis attributis. Conſequentia hæc evincitur evertendo ſimul præcipuum Adverſariorum fundamētum, quod ſtat in eo, quod ipſis videatur repugnare, componi vnam eſſentiam ex radice, & radicato; ſed ex intellectione, quę eſt quid prius, & ex volitione, quę eſt quid poſterius, componitur eſſentia Dei: ergo ex reliquis attributis.

26. Probatur ſextò: Omnipotentia, & omnis ſcientia Dei non conſiſtit primariò, & vltimò in vna aliquaque formalitate priori per modum radicis, aut perfectiori, ſed in omneitate, aut ſimultate præcontinentiarum, & ſcientiarum ſimul; ſed eſſentia Dei eſt omniperfecta, ſeù infinita in omni genere entis: ergo non conſiſtit vltimò, & primariò in aliqua perfectione priori, aut per modum radicis, ſed in omnibus poſsibilibus ſimul.

27. Probatur ſeptimò, & vltimò concluſio: quę ſunt in inferioribus diviſa, iuxta Philoſophum, ſunt in ſuperioribus vnita propter perfectionem horum, & imperfectio-

ctionem illorum ; ergo quanto perfectius fuerit superius, eo strictius erunt illi vnita, quæ sunt in inferioribus dispersa, quò etiàm respicit illud Poetæ lenocinium: *Et quæ divisa beatos efficiunt, collecta tenes.* Sed Deus est superior omnium possibilium, & perfectior : ergo in Deo sunt omnimodo vnita, & identificata omnia predicata possibilia, quæ in creaturis divisa, & dispersa: ergo formaliter sunt identificata quoad constitutionem eiusdem essentiæ divinæ omnia ea prædicata absoluta, quæ attributa compellantur.

28. Dices, distinctionem formalem, vel virtualem non opponi summæ identati, & vnioni prædicatorum inter se. Vnde salvari potest axioma Philosophicum in Deo solum cum reali identitate attributorum cum essentia, ac proinde hęc salvabitur tota in conceptu aliquo reliqua attributa radicante.

29. Contra tamen : talis distinctio formalis, vel virtualis est cum fundamento à parte rei : ergo à parte rei datur fundamentum ad hoc, vt intelligatur, non esse omnimodo vnita in Superiori, quæ in inferioribus sunt dispersa : ergo & datur fundamentum ad hoc, vt intelligatur, Deum non esse superiorem omnium perfectissimum, imò & esse possibile aliud ens perfectius Deo. Probo consequentiam : quanto perfectius est Superius, eo sunt magis vnita, & indentificata, quæ sunt dispersa in inferioribus; sed non implicat, quod concipiatur aliqua entitas, cui sit essentiale constitutivum non solum illud prædicatum, quod à te dicitur radicale, sed etiàm omnia alia, quæ radicata appellantur : ergo in hac nostra magis essent identificata omnia prædicata, ac sunt in Natura divina modo à te constituta. Si quidem in ea, nec fundamétum daretur à parte rei ad hanc negationem inclusionis : ergo ea natura esset perfectior : ergo ità debet esse Natura divina omnis naturæ perfectionem excedens tam in esse, quàm in cogitari.

30. Contra secundò : hęc solutio probat dari illam distinctionem formalem, vel virtualem inter aliquod prædicatum, quod se haberet vt radix, vel quasi radix, & illa prędicata, quæ se haberent vt radicata; non verò nō constitui essentiā divinam ex omnibus : cum enim concipitur distinctio inter duo prædicata, non statim sequitur, aliquod ex illis excludi à constitutivo Dei adęquato : sicut ex eo, quod animal distinguatur à rationali, non indè sequitur, vtrumque prædicatum non constituere hominem. Sic in Deo, quamvis vnum attributum distinguatur ab alio, & aliquod se habeat vt radix, vel quasi radix respectu aliorum, non indè arguitur, non intrare omnia ad constitutionem essentiæ adæquatæ Dei. Inquo verum est, nullum inveniri absurdum, quia quod vnum non sit aliud ex sua natura, non est inconveniens. Ast verò, si aliqua ex illis per-

perfectionibus non esset de essentia Dei, nec includatur formaliter in essentia divina, sequeretur, quod natura non esset adeò perfecta in omni genere entis, sicut debet esse: siquidem non haberet sibi identificatam formaliter illam perfectionem, cum in superiori debeant identificari, quæ in inferioribus sunt dispersa.

SECTIO III.

ADVERSA FVNDAMINA SOLvuntur.

31. Objicies primò pro prima sententia: vltimum constitutivum alicuius rei est conceptus ille, per quem talis res differt ab omni eo, quod non est ipsa; sed per omnimodam aseitatem differt Deus ab omni eo, quod non est Deus: ergo. Maior est certa, minor probatur: in primis differt ab omni ente creato, quod est essentialiter dependens ab alio. Insuper, per eam differt à reliquis divinis attributis, hæc enim, licèt sint à se vtpotè divina, cum dimanent ab essentia, non sunt omnimodo à se.

32. Respondeo: quod si propositioni maiori non addatur aliquid, est falsa metaphysicè loquendo, nam certum est hominem differre ab omni, quod non est homo per prędicatum risibilis, & admirativi, & tamen nec risibile, nec admirativum, est vltimum constitutivum hominis, cum sint attributa rationalis. Vltimum ergo constitutivum est per quod res vltimò, & essentialiter differt ab omni eo, quod non est ipsa. Nàm ità cum sit constitutivum vtpotè essentiale, & aliàs non sit commune, aut genericum, cum per hoc non differat res, sed potiùs conveniat cum alijs, sequitur, esse vltimum constitutivum: sed pro nunc, admissa maiori, nega minorem, nam licèt differat ab omni ente creato, non tamen à reliquis attributis, quæ vel sunt etiàm omninò à se, vel si non sunt omninò à se ob dependentiam, vel quasi dependentiam ab essentia, neque essentia erit omninò à se ob similem dependentiam, vel quasi dependentiam ab attributis. Vide dicta in impugnationibus huius sententiæ. Insuper per omnipotentiam v. g. differt Deus ab omni eo, quod non est Deus. Differt enìm ab omni ente creato, & differt à reliquis attributis, quæ non sunt formaliter omnipotentia, & tamen hæc per vos non est vltimum constitutivum Dei, quia non est prædicatum perfectius in Deo; sed similiter aseitas ità non est, cum careat formaliter vitalitate: ergo. Vide ad hoc etiàm impugnatores.

33. Objicies secundò illud Exodi 3. vbi Deus ad Moysen *Ego sum, qui sum. Sic dices: Qui est misit me ad vos*: vbi Deus suum vltimum constitutivum assignat, & distinctivum, per nomen, *qui est*; sed hoc significat aseitatem juxta

D.

D. Cyrillum, &alios interpretes: ergo.

Respondeo, tam ex hac authoritatate, quàm ex alijs, quæ opponi possunt, solum inferri, aseitatem esse vltimum constitutivum Dei inadęquatum, non verò adæquatum. Sic sæpè se Deus demonstrat per omnipotentem, per Dominum dominantium, per Regem regum, per Sanctum &c. quin ex eo debeat inferri, has perfectiones, singulatim esse constitutivum vltimumDei.Deus enìm iam per hanc, iam per aliam excellentiam se spectabilem reddit.

34. Obijcies tertiò pro secunda sententia aliquas authoritates, ex quibus aliquæ prædicant sapientiam de Natura divina in abstracto, ità: *Deus est Sapientia divina*, vt videre est apud PP.Eryce,& Hemelm. Alij verò statuunt intellectionem esse idem omninò cum essentia, Sic S. Thomas quæst.14.de scientia artic. 4.ex quibus infertur, intellectionem esse vltimum Dei constitutivum; nàm si ità non esset, neque prędicaretur in abstracto de Deo, neque diceretur idem omninò cum Deo. Reliqua namque attributa, quià formaliter distinguntur ab essentia, licèt dicantur idem cum Deo, non tamèn idem omninò, quod arguit, nullam dari, nec formalem distinctionem.

35. Respondeo, ex primis auctoritatibus solum inferri, intellectionem esse de cõstitutione vltimæ differentiæ Dei, seù esse vltimam differentiam Deì inadęquatè. Vndè prædicatio illa *Deus est sapientia* erit inadæquata. Aliàs si argumentum valeret, liceret alicui inferre, vltimum Dei constitutivum esse charitatem ex illa prędicatione Ioann. 4. *Deus charitas est*. Vel bonitatem, ex illa Basilij auctoritate libro vnico de Spiritu Sancto, vbì: *bonus ex bono natus est, cui bonitas est ipsa essentia*. Vide alias prædicationes aliorum predicatorum apud P. Ruiz disp.8.sect. 7.& 8.ex quo in favorem nostrę sẽtentię efformatur argumentum. Eo quod cum hæc omnia attributa, & perfectiones constituant vltimam Dei differentiam, prædicatione inadæquata dicuntur de Deo in recto.

36. Ad secundas auctoritates, præcipuè ad illam D. Thomæ respondeo: intelligendas esse in sensu reali, non verò formali;quin ly *omninò* contrarium convincat: sic idem Doctor loquutus de identitate, quam habent inter se tres divinæ Personæ ait: *id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus idem omninò*: ergo in phrasi Angelici Doctoris vox *omninò* non sonat semper adæquatam identitatem formalem, sed vel identitatem realem, vel formalem, inadęquatam; cum Personæ Divinæ, non identificentur inter se adæquatè: ergo licèt de intellectione dicat, esse idem omninò cum essentia, intelligendus erit, vel de identitate rea-

reali, vel formali inadęquatà.

37. Obijcies quartò: vltima differentia Dei est prędicatū perfectius Dei; sed intellectio actualis est prædicatū perfectius Dei: ergo. Maioré supponunt: minorem probant, eo quod intellectio actualis est vltima determinatio lineę intellectivę, ac proindè prædicatum perfectius lineæ perfectioris Dei. Insuper hoc etiàm probāt alijs tum Divi Thomę, tum Philosophi auchoritatibus.

38. Respondeo, argumentum vndique peccare. Circa propositionem maiorem notandum, quod licèt prædicatum perfectius debeat esse vltimum constitutivum, non tamèn debet esse ipsum tantum, sed etiàm prædicatum, quod fuerit prius, etiàmsi sit minus perfectum, vt videre est in apprehensivo respectu iudicativi: & etiàm prædicata posteriora, si non sint notabiliter minus perfecta, vt patet in discursivo respectu eiusdem iudicativi. Vndè etiam si intellectio actualis esset prædicatum perfectius Dei, adhuc intellectus, seù intellectivum deberet ingredi ad costitutionem cum ipsa intellectione, eo quod ex se est prædicatum prius: insuper & reliqua attributa, licèt essent posteriora, & minus perfecta, quia non sunt notabiliter minus perfecta. Circa minorem etiam notandum, intellectionem non esse perfectiorem reliquis attributis, vel quia nequit cum sola formali distinctione salvari ea comparatio inter attributa Divina in ordine ad maioritatem, vel minoritatē, vt postea videbimus: vel quià adhuc supposito, quod sit sufficiens, sunt omnia attributa Divina formaliter æqualia, de quo posteà.

39. Obijcies quintò ex Eryce: nomen *Deus* est nomen Naturæ; sed nomen *Deus* significat cognitionem, convenienterque definitur cognitione: quià ratio, quam significat nomen, est definitio, iuxta Angelicum Doctorem: ergo.

40. Respondeo: concedo maiorem, & distinguo minorem: significat cognitionem tantum: nego: & simul attributa reliqua, concedo; significat enim omnem perfectionem posibilem tàm in re, quàm in conceptu iuxta dicta.

41. Obijcies sextò pro tertia sententia: in quocumque subiecto, vel specie datur ratio intellectivi; talis ratio est vltimum constitutivum, vt patet in homine, & Angelo: ergo cum in Deo detur ratio intellectivi, in eo etiàm erit vltimum constitutivum.

Respondeo: concedo totum, sed non adæquatū. Si tamèn instes: in homine, & Angelo ratio intellectivi est vltimum adæquatum constitutivum: ergo & in Deo. Negabo consequentiam, & paritatem. Nam prædicatum intellectivi in homine, & Angelo est prædicatum perfectius reliquis æqualibus, & specificis; non tamèn in Deo, in quo tale prædicatum, neque est notabiliter perfectius, imò nec perfectius reliquis attributis;

vel quià nō datur locus huic cōparationi, vel quià omnia sunt æqualia.

42. Obijcies septimò: essentia est primus mentis conceptus; sed de Deo prius concipitur esse intellectivum, quàm volitivum: ergo in esse intellectivo cōsistit Essentia Dei.

43. Respondeo: distinguo maiorem: est primus conceptus mentis, id est, quod prius, & principaliter significatur per nomen, concedo: aliâ prioritate, nego. De hoc posteà, cum dicam, de priori, & posteriori sæpè resultare vnam differentiam.

SECTIO IV.

ARGVMENTA DIRECTA solvuntur.

44. OBijcies octavò: quoties duo ità se habent, vt vnum supponat aliud vt radicem sui, vel physicam, vel logicam, nequit ex vtroque resultare vna essentia; sed plures perfectiones Divinæ supponunt alias, vt radices saltem logicas sui, v.g. immutabilitas, quæ oritur ex æternitate, ex immutabilitate immensitas, & ex intellectione volitio: ergo nequit essentia Dei constitui ex omnibus perfectionibus Dei. Probatur maior: nàm quotiesduo ità se habent, id, quod supponitur prius, erit constitutivum rei, & id quod subsequitur, inveniet rem constitutam, eritque proindè attributum.

45. Respondeo, admisso pro nunc supposito, quod scilicèt in Deo dentur prædicata radicis, & radicati, nego maiorem, quæ infinitis ferè exemplis falsificatur. Primò: ratio *discursivi* supponit in homine *iudicativum*, & hoc *apprehensivum*, & tamèn ex triplici hoc prędicato resultat primariò *rationale*. Secundò: ratio *intellectivi mediatè*, & per conclusiones supponit *intellectivum immediatum*, & per præmissas, & tamèn ex vtroque constituitur primariò, & essentialiter *intellectivum*. Tertiò: in physicis plura composita resultant ex prioribus, & posterioribus, vt compositum ex materia, forma, & vnione, ex quibus forma, si sit materialis, oritur physicè, & deducitur à materia, & vnio per me ab vtroque: suppositum ex natura, & subsistentia orta ex ipsa natura: arbor ex radice, trunco, & ramis: vna Respublica ex Principe, qui est quasi radix inferiorum, & ex ipsis inferioribus: idem de Religione. Vndè licèt certum sit, quod idem, quod supponit aliud propriori, nequeat illi conferre esse; sic nequit forma dare esse materiæ, nec subsistentia naturæ; poterit tamèn dare esse composito resultanti ex vtroque, quod nullo modo supponebatur, nisi solum inadæquatè. Sic forma dat esse composito, & subsistentia supposito: ergo etiàm si volitio divina supponat v.g. intellectionem, indeque nequeat illi conferre intellectionem esse, cum non supponat Deum, poterit cum ipsa

ſa intellectione priori conferre eſſe Deo.

47. Obijcies nonò: ergo ſi omnes Dei perfectiones ſunt de eius eſſentia, Deus nullum habebit attributum: nam attributum definitur, *quod convenit ſubiecto extra eſſentiam ipſius.*

47. Reſpondeo: concedo conſequentiam, quod mirari non debet, cum conveniat etiàm enti iuxta probabilem ſentẽtiam, ipſum à ſuis attributis, nec formaliter diſtinguentem: ſolum enim ſecundum dici, & ex modo concipiendi, quatenus ſcilicèt prædicata aliqua Dei concipiuntur, vt æquivalentia attributis creaturarum, dicuntur attributa; re ipſa tamèn non ſunt talia.

48. Obijcies decimò: ideò Eſſentia Divina conſiſtit vltimò in aggregato omnium perfectionum, quià involvit quidquid divinum eſt, omnemque perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſeù ſine imperfectione; ſed relationes divinæ ità ſunt: ergo etiam eas involvet eſſentia, quod repugnat.

49. Confirmatur primò: licèt non ſit melius eſſe Patrem, quàm Filium, melius eſt eſſe Perſonam, quàm non eſſe Perſonam: ergo ſi Eſſentia Divina ſit id, quo melius aliud excogitari nequit, conſtituetur vtique ex Paternitate, qua perſonalitas eſt.

50. Confirmatur ſecundò: melius eſt eſſe ſubſiſtentem, quàm ità non eſſe: ergo dabitur aliqua ſubſiſtentia abſoluta, & communis, per quam Natura Divina eſſentialiter conſtituatur, indeque reddatur ſubſiſtens.

51. Reſpondeo ad argumentum: diſtinguo maiorem: quià involvit omnem perfectionem poſſibilem in ratione entis, ſeù vnius, concedo: in ratione plurium, nego. Eſſentia enìm ſolum eſt vna; vndè debet involvere omnes perfectiones, quę eam non extrahant à ratione vnius; non verò eas, quæ plurificarent illam, quales eſſent relationes, ſi involverẽtur eſſentialitèr in eſſentia Divina. Inſuper debet dicere omnem perfectionem poſſibilem, ac proinde ſolum abſolutam. Perfectiones namque relativæ ſunt impoſſibiles ipſi per formalem identitatem, cum ſint perfectiones permodum termini eſſentiæ ſupponentes illam, & complentes in eſſe perſonæ.

52. Ad primam confirmationem reſpondetur, eſſe Patrem, ſeù Perſonam eſſe perfectionem relativam, non abſolutam: item non eſſe perfectionem pertinentem ad lineam vnius, ſed plurificantem, ac proinde ſi ingrederentur eſſentialiter in Naturam perſonalitates, eã non perficerent, ſed inficerent, cum illam extraherent à ratione vnius. Nota cum P. Quiros, Eſſentiam Deitatis totam reperiri in Filio ſine Paternitate. Inſuper ſolum eſſe, quod melius eſt in particulari, nec conſtitui per aliquod prædicatum in communi: ergo neque per Pater

ternitatem in esse Personæ; sed esse Patrem, non est melius, quàm esse Filium in particulari: ergo neque constituitur per Paternitatem qua talis in esse Naturę; neque potest constitui per eam in esse Personæ vt sic. Ad secundam confirmationem respondetur: subsistentiam absolutam non pertinere ad lineam vnius, sed plurificare Naturam saltem in linea suppositi, aut semisuppositi, vndè per illam constitui non debet. Insuper cum ex principijs, quibus improbatur hæc subsistentia absoluta, inferatur, esse chimæricam; infertur vtique non esse perfectionem Naturę, ac proinde sine illa esse Naturam quid, quo melius aliud excogitari nequit.

53. Replicas primò: Paternitas non extrahit Naturam à ratione vnius: aliàs per nos ipsa, sicut & reliquæ relationes dicunt perfectionem: ergo illam constituet.

54. Respondeo: distinguo maiorem: non extrahit Naturam à ratione vnius entis, nego: à ratione vnius Personæ, concedo. Certum est, Paternitatem constituere cum Natura vnam Personam, & non plures. Ast, si Paternitas esset de essentia metaphysica Naturæ, esset etiam de eàdem Filiatio, & Spiratio passiva ob eàdem rationem; ac per consequens, sicut multiplicantur personę, multiplicarentur realiter Naturæ, & essentiæ, vndè hęc extraheretur à ratione vnius. Insuper tota Essentia est in Filio, in hoc enim non est Paternitas: ergo si hæc esset de essentia metaphysica Naturæ, Natura esset vna in Patre, & alia in Filio.

55. Replicas secundò: ideò relationes divinæ non constituunt Naturam, quia non sunt perfectiones intra lineam vnius entis, in quà Natura debet esse tantum omniperfecta; sed attributa non sunt intra lineam Essentiæ, & primæ radicis, in quà est tantum essentia omniperfecta, cum sint in linea attributi, & radicati: ergo non constituunt Naturam.

56. Roboratur: sicut relationes, quia non pertinent ad lineam vnius entis, extraherent Naturam à ratione vnius, & eam plurificarent, ità attributa extraherent Naturam à ratione essentię, & eam attributalem facerent: ergo sicut ob hanc rationem relationes non constituunt Naturam, ob eandem attributa eam non constituent.

57. Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem quoad primam partem, & duplex suppositum secundæ. Primum, quod convertatur linea essentiæ cum linea primæ radicis; imò & quod in Deo detur conceptus *radicis*, & *radicati*. Sed pro nunc admisso, quod in Deo dentur hi conceptus metaphysicè loquendo, dico: Essentiam non debere esse necessariò, & in actu radicem, ex quo solum sequitur, Deum non habere attributa, rigorosè loquendo; quod, cum etiam in ente eveniat, vt iam dixi, minari non debet. Secundum suppositum

ne-

negandum eſt, quod eſſentia ſit tantum omniperfecta in linea eſſentiæ, ſi per lineam eſſentiæ intelligatur aliqua linea particularis, quæ non dicat omnem perfectionem poſsibilem pertinentem ad ens in ratione vnius. Aliàs eſſentia non eſſet ſimpliciter infinita, cum daretur aliqua perfectio, quam ipſa eſſentia non diceret formaliter, ac proinde non eſſet omniperfecta tam in eſſe, quàm in conceptu. Inſuper prædicatum infiniti in omni genere eſt eſſentiale Dei, vtpotè principalius, & notabilius; ſed non genericum: ergo differentiale.

58. Ad robur inſtantiæ nego ſicuitatem, & ſuppoſitum, quod reſpectu Naturæ perfectiones divinæ ſint attributa, cum ſint conſtitutiva. Vndè admiſſo, quod aliquæ perfectiones ſe habeant vt attributa reſpectu àliarum, dico, eodem modo ſe habere relationes reſpectu Naturæ, ac attributa reſpectu eorum, quorum ſunt attributa. Nàm ſicut relationes nequeunt eſſe conſtitutivum Naturę, cuius ſunt termini, ità attributa nequeunt conſtituere id, cuius attributa ſunt. Et ſicut relationes, queunt conſtituere quandam entitatem reſultantem ex ipſis, & Natura, reſpectu cuius non ſunt termini, ſed conſtitutiva, ſic Paternitas conſtituit Patrem, & Filiatio Filium; ità attributa poſſunt ſimiliter conſtituere quandam entitatem perfectam ex radice, & ex eis, reſpectu cuius aggregati ipſa non erunt attributa, ſed conſtitutiva. Hoc autem aggregatum dicimus eſſe Naturam divinam: nam cum attributa ſint entia abſoluta, poſſunt tranſire ad eſſe Naturam; alitèr autem relationes, quę cum ſemper, & in omni eventu ſint termini Naturæ, nequeũt trãſire ad eſſe Naturam.

59. Obijcies vndecimò: quælibet eſſentia exigit habere omnem perfectionem poſsibilem in eo genere, in quo conſtituitur; v. g. natura humana exigit pro conſtitutivo ſui omnem perfectionem poſsibilem in eſſe hominis; ſed hoc non obſtante, quælibet Eſſentia habet ſua attributa, quæ eſſentialiter non includit, quæque ſolum dicit radicaliter. Sic natura humana riſibilitatem, admirativum &c: ergo quamvis Eſſentia divina dicat omnem perfectionem poſsibilem, eam dicit ex exigentia, & per modum radicis, non tamen eſſentialiter, & conſtitutivè.

60. Reſpondeo: diſtinguo maiorem: quælibet eſſentia exigit habere omnem perfectionem poſsibilem, ſivè virtualiter, ſivè formaliter, concedo; formaliter neceſſariò, nego. Explico ſolutionem. De ratione eſſentię vt ſic, provt abſtrahit à creata, & increata, eſt continere in ſe omnem poſsibilem perfectionem, quælibet in ſuo genere; præſcindendo tamen à continentia vniverſali, vel formali. Eſſentia creata, eas perfectiones, quæ pertinent ad ſuas proprietates, & attributa, continet ſolum radicaliter. Eſſentia verò divina eas continet formaliter: nam

nam perfectio essentiæ creatæ juxta illud axioma: *Essentiæ non dicunt actum, sed aptitudinem,* non stat in actuali, sed in radicali. Hoc tamen, quod in essentia creata est perfectio, esset minus perfectio in essentia Divina, cuius est habere pro constitutivo actuali, & formali omnem perfectionem possibilem, cum sit actu, & formaliter omniperfecta tam in esse, quam in actu.

61. Obijcies duodecimò: si quodvis prædicatum divinum esset de essentia Dei, nullum daretur distinctivum inter processionem secundæ, & tertiæ Personæ, nec assignabilis esset ratio, cur secunda Persona præ tertia sit Filius: ergo. Probatur antecedens; nam communicata voluntate tertię Personæ, æquè diceretur illi communicari ex vi processionis Naturam, ac communicato intellectu secundæ: cum æquè sit de conceptu Naturæ voluntas, ac intellectus.

62. Vrgetur: ex conclusione infertur, Filium formaliter non esse Deum, nec participare integram, & adæquatam Naturam, sed solum inadæquatam. Probatur: formaliter non participat volitionem: ergo non participat Naturam integram, cum hęc ex volitione resultet. Confirmatur: ideò equus v. g. non habet integram naturam humanam, quia licèt habeat animal, non tamen habet rationale: ergo cum Filius formaliter ex vi processionis non habeat volitionem, licèt habeat intellectionem, non habebit integrè, & adæquatè Naturam divinam. Vndè neque erit integrè, & adæquatè Deus.

63. Respondeo, Filiationem divinam non consistere in ea participatione essentiæ metaphysicè sumptę, cum Filiatio sit physica, ac proinde independens à considerationibus metaphysicis. Consistet ergo Filiatio in aliquo prædicato proprio secundæ Personæ nullatenus conveniens tertię; huiusmodi sunt. Primo: quod sit prima processio. Secundò: quod procedat ab vna Persona tantum. Tertiò: quod sit simile intentionaliter, eo quod procedat vt repræsentativum, & Verbum. Quartò: quod non procedat à genito. Quintò denique in nostris principijs: quod gaudeat fæcunditate respectu alterius suppositi eiusdem Naturę.

64. Ad vrgentiam respondetur in meis principijs, tàm volitionem, quàm reliqua attributa communicari Filio ex vi processionis, & ideò esse Filium, quia evadit fæcundus alterius suppositi eiusdem Naturæ, quod non habet Spiritus Sanctus, ac proinde Filius participat integram, & adęquatam Naturam, quia intellectio communicata exigit identitatem totius essentiæ, quod sufficit, vt dicatur, esse Deum integrum, sicut in generatione hominis, quod generatur à Patre, est sola vnio, & tamen dicitur, totum hominem generari, & Petrum v. g. esse Filium integrum, & adæquatum Pauli, illique communicari totam

tam naturam humanam à Paulo. Ad confirmationem respondetur, animal equi non exigere identitatem cum rationali, ideoque & si haberet animal, non dicitur habere naturam humanam adæquatam; aliter intellectio communicata Filio exigit identitatem cum reliquis prędicatis integrantibus essentiam: ideoque dicitur, Filium habere integram, & adæquatam Naturam divinam.

65. Obijcies decimò tertiò: essentia hominis non consistit in gradu volitivi, licèt hoc realiter identificetur cum intellectivo: ergo similiter in Deo.

66. Respondeo, Gradum volitivi, vel esse notabiliter minus perfectum gradu intellectivo hominis, & cum aliundè sit posterior, non ingredi constitutionem essentialem rationalis, vel si non sit ità, rectè ingredi, vt tenet cum Martinon, & Ruiz P. Quiros hic. n. 53. Cum autem in Deo gradus hic volitivi non ità sit notabiliter minus perfectus, essentiam Dei constituit juxta regulam stabilitam.

67. Obijcies decimò quartò: vltima differentia est irresolubilis in duos conceptus; sed collectio divinarum perfectionum est resolubilis in plures, & infinitos conceptus, & formalitates: ergo nequit esse vltima differentia Dei.

68. Respondeo: nego maiorem primò: quia omnes differentiæ mistæ, quales essent differentiæ actùs simul Fidei, scientiæ, & opinionis, actùs simul practici, & speculativi sunt resolubiles in duos conceptus. Secundò: omnis differentia includit conceptus transcendentes entis individui, aliorumve, si fortè transcendant. Vndè illa regula súmulistica ità debet accipi: vltima differentia est irresolubilis in duos conceptus, quorum quilibet sit vltimum distinctivum rei, & ità non se habet quælibet perfectio constituens collectionem, quæ est vltima differentia Dei.

69. Obijcies decimò quintò: ergo nequit Beatus videre intuitivè Essentiam Dei, quin videat omnia prædicata absoluta ipsius; cum nequeat definitum obiectivè præscindi à definitione.

70. Ob vitandam hanc consequentiam tenet P. Ribadeneyra disp. 3. de voluntate numero 25. & alibi: Essentiam Divinam vltimò constitui per omnem perfectionem secundum conceptum communem omnis perfectionis; non verò secundum conceptum specificum, & singularem talium perfectionum in particulari, sed perperàm. Primò: quia repugnat, perfectiones specificas, & in particulari esse attributa rationis communis omniperfecti, cum non dicantur ad convertentiam cum illa. Secundò: quia omnipotentia, & scientia divina constituuntur ex omnibus pręcontinentijs, & ideis in particulari: ergo similiter omniperfectum constitutivum Dei ex omni perfectione in particulari. Itaque respondetur argumen-

gumento, Beatum non videre clarè, & in particulari, & adæquatè essentiam Dei ob sui intellectùs finitudinem. Si tamen ità videret, omnes perfectiones in particulari attingeret, eo modo, quo Deum constituunt; dicitur tamen, Beatum videre essentiam divinam, quia videt aliquas quasi capitales, & principaliores perfectiones divinas.

71. Obijcies decimo sextò: omnis essentia vt natura est, petit esse principium, & origo suarum passionum, & proprietatum; sed Natura Divina non dissonat alijs naturis in fæcunditate, & virtute: ergo habet sua attributa, & proprietates; sed nullum attributum potest esse constitutivum illius, cuius est attributum: ergo attributa Divina illam nō constituunt. Maior probatur: quià natura est principium motùs, & quietis per physicam, vel saltem metaphysicam emanationem.

72. Respondeo distinguendo maiorem: omnis essentia, vt natura est, si sit creata, concedo; si sit Divina, nego, & suppositum, quod Natura Divina habeat strictas passiones, & attributa. In natura, quę exigit pro differentia constitutiva sui omnem perfectionem possibilem nequit dari conceptus originis, & principij suarum proprietatum: nam ratio principij, & originis intrinsecè, & obiectivè realiter distinguitur à principiato, & originato, ac proindè à proprietatibus, & passionibus strictè talibus; ergo per ipsas nequit constitui, si earum est principium, & origo. Ideòque in Natura Divina non verificatur conceptus naturę philosophicæ per principium motùs definitæ, etiàmsi verificetur in omni essentia creata realiter distincta à suis proprietatibus. Nec metaphysica emanatio à nobis admittitur negantibus omnem rationem principij adhuc metaphysici ratione nostrà; sed adhuc admissa, cum inter Naturam divinam adęquatè sumptam, & perfectiones Divinas, neque metaphysica reperiatur distinctio, nec metaphysica emanatio admitti debet. Quidquid sit de vna perfectione respectu alterius.

73. Obijcies decimo septimò: sufficit, quod essentia Dei sit infinita in sua linea, essentię scilicèt, & primę radicis: ergo non debet formaliter constitui per omnem perfectionem cuiusque lineæ. Probatur antecedens: Omnipotentia solum est infinita in linea potentiæ, & virtutis providæ, non verò in alijs: ergo similiter.

74. Confirmatur: essentia non includit omnem perfectionem quà divina, aliàs eam quoque includerent Omnipotentia, & reliqua attributa, neque quà essentia; aliàs omnis essentia eam perfectionem includeret. Nec denique quà essentia Divina est, quià eàdē voluntarietate posset quis dicere, Omnipotentiam eam omnem perfectionem includere ex conceptu suo.

75. Respondeo; nego duplex

suppositum maioris: primum; quod linea essentię divinæ sit aliqua particularis linea, sicut est linea attributorum aliorum, quià est simpliciter infinita in omni genere, & linea; hoc namque prędicatum, vtpotè principalius, & notabilius Dei debet esse essentiale ipsi, non genericum, vt per se patet: ergo differentiale. Secundum est: quod essentia Divina sit, positivè esse strictè radix aliquarum perfectionum, nam conceptus principij, radicis, subiecti, & alij huiusmodi repugnant Deo. Cum autem essentia Divina eas perfectiones non dicat radicaliter, restat vt eas formaliter dicat.

76. Ad confirmationem respondetur: nego antecedens quoad tertiam partem. Nàm essentia Divina ex conceptu suo, debet esse excellentior tàm re, quàm ratione, debet esse id, quo maius excogitari aliquid nequit, debet esse simpliciter, & in omni linea perfecta, ac proinde formaliter includens omnem perfectionem. Omnipotentia tamèn, reliquaque attributa determinant sphæram, & lineas, quas formaliter non transgrediuntur.

77. Dices: ergo essentia Divina physicè, & realiter accepta non distinguitur ab ipsamet metaphysicè accepta, hoc est metaphysicè includit eadem prædicata, quæ physicè,

78. Respondeo, concedo totum: nam ab intellectu nequit concipi essentia Divina completè sine aliquo ex prædicatis, quæ physicè, & realiter dicit, pertinentia tamèn ad lineam absoluti, & vnius entis.

79 Obijcies decimo octavò, ex quodam ingenioso recente: sicut se habet vnitas ad ens, se habet talis vnitas ad tale ens; sed vnitas per me se habet vt attributum entis extra constitutionem metaphysicam ipsius: ergo talis vnitas, Divina népè, ità se habebit ad tale ens, nempè essentiam Divinam: ergo hæc non constituitur per perfectionem vnitatis.

80. Confirmatur, & declaratur: talis vnitas est species, vel quasi species attributi metaphysici entis, & tale ens est species entis; sed species attributi entis non constituit speciem entis: ergo neque talis vnitas constituit tale ens. Probatur minor: species entis adæquatè constituitur ex ente communi, & differentia contractiva illius, cum ità se habeant omnes species; sed species attributi entis, non est ratio communis entis, vt constat; neque differentia illius, quia id non habet ratione conceptùs communis attributi, nam ratio attributi est æqualis enti, ac proinde vniversalior differentià entis, & prior illà, neque hoc habet ratione taleitatis attributi, tum, quia hęc supponit differentiam entis contractivam, ad quam metaphysicè ratione nostra subsequitur, tùm, quia non contrahit ens, sed entis attributum; neque hoc

hoc habet ratione vtriusque conceptùs, quia ex illo, quod est prius differētiā, & ex illo, quod est posterius illā nequit coalescere ipsa differentia: ergo.

81. Argumentum verbis sui Authoris apposui, vt vocum complexionem, & vt ità dicam, embolismum capiatis, ne in illo veluti filorum implexione capiamini. Retorqueo probans, vnitatem non constituere hoc concretum *vnum*, quo quid absurdius? Sicut se habet vnitas ad ens, se habet talis vnitas ad tale ens; sed vnitas non constituit ens: ergo neque talis vnitas tale ens; sed hoc concretum *vnum* est tale ens: ergo non constituitur ex tali vnitate, ex qua supponimus cōstitui. Videas tuum argumentum, quod eodem militat modo in confirmationem.

82. Respondeo: distinguo maiorem: sicut se habet vnitas ad ens, se habet talis vnitas ad tale ens, si hoc tale ens vi taleitatis non includat ipsam vnitatem, sicut ens eam non includit, concedo: si illam includat, nego. Sicut enìm hoc concretum *vnum*, quod est tale ens ratione differentiæ, quam superaddit enti includit vnitatem, ità ratione differentiæ, quam superaddit Essentia diuina supra ens, includit ipsam vnitatem, reliquasque perfectiones possibiles, cum nequeat sine illis concipi.

83. Ad confirmationem, eiusque æquivocas, & vocales propositiones brevitèr respondetur; transeat maior, & nego minorem: sic homo, qui est tale ens, seu species entis, constituitur ex tali vnitate, quæ est species attributi entis. Est enìm simul, & tale ens, & tale vnum: ergo species attributi entis constituit speciem entis; eademque taleitas, & contrahit ens, & vnitatem entis.

84. Ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem quoad secundam partem: sed species attributi entis non est ratio communis entis, neque differentia illius, qua attributum entis est; concedo: qua prædicatum speciale, & constitutivum talis entis, nempè divini, de cuius essentia est, esse vnum, nego. Ad probationem subsumptam nego, taleitatem vnitatis, seù talem taleitatem divinam ratione taleitatis esse de constitutione talis entis divini: nam tale ens divinum, seù omniperfectum includit essentialiter illam; quod quidem tale ens omniperfectum, est species contractiva ratione vtriusque communis rationis, entis scilicèt, & attributi entis, nempè vnius, cum tàm ens, quàm vnitas sit de essentia ipsius, neque respectu huius entis completi, & adæquatè sumpti, quod est essentia Divina, est attributum hæc vnitas, licèt ità sit respectu entis, & huius entis abstracti, & metaphysicè sumpti, cum eis vocibus *hoc*, & *tale*, significentur, & hæ aseitates completæ, & conceptus vniversaliores, & contractiores, vt vox fundat, eos cōfundit arguēs.

SEC-

SECTIO V.

ARGVMENTO SATIS DIFICILI *respondetur.*

85. OBijcies decimò nonò: per quodlibet attributum, vel prædicatum Divinum, sufficienter constituitur Essentia divina: ergo necessum non est recurrere ad omneitatem. Probatur antecedens: quodlibet attributum, vel prædicatum Divinum est id, quo melius aliud excogitari non potest; sed per id constituitur Essentia divina: ergo. Probatur maior: per nos omnia attributa, & prędicata divina sunt formaliter ęqualia inter se, ità vt vnum valeat, quantum aliud seorsim, & quantum alia simul, ad modum, quo Pater Æternus valet tantum, quantum Filius, & simul quantum Filius, & Spiritus Sanctus, & è contra, quin vna persona sit minus, quam duę, nec duæ plus quàm vna, eo quod ratione æqualitatis inter se quilibet gaudeat omni perfectione possibili. Quolibet attributo divino concepto v. g. aseitate, vel intellectione purissima concipitur quoque id, quo aliud maius, & perfectius excogitari non potest, ac proinde tota essentia naturæ divinæ.

86. Respondetur: nego antecedens: ad probationem distinguo maiorem quodlibet prædicatum divinum est id, quo melius aliud excogitari non potest formaliter, nego: ęquivalenter, concedo. & nego minorem, si de perfectione summa per ęquivalentiam loquatur. Essentia ergo divina vltimò consistere debet in omniperfecto formaliter tali, seù in omneitate formali omnium perfectionum divinarum, non verò in omniperfecto per æquivalentiam, seù æquivalenter tantum. Quælibet, ergo perfectio divina v. g. intellectus, licèt contineat formaliter perfectionem suæ lineę, ęquivalenter tamen, & non formaliter continet perfectiones aliarum linearum. Vndè in ea perfectione tantum nequit consistere Essentia divina, sed in omneitate illius, & aliarum, quę quidem omneitas continet formaliter omnem perfectionem possibilem, & excogitabilem.

87. Replicabis primò: quælibet perfectio divina est formaliter æqualis omnibus ratione suæ æquivalentię ad omnes: ergo quælibet perfectio erit formaliter omniperfecta, & non solum æquivalenter, ac proinde per quamlibet satis constitituetur essentia Divina.

88. Respondeo: concedo antecedens: nàm ad æqualitatem formalem sufficit, quod habeat tantam perfectionem, quantam habent omnia attributa simul sumpta. Et distinguo consequens: ergo quælibet perfectio erit formaliter omniperfecta, idest, continet formaliter perfectionem omnium attributorum, nego: idest, continet formaliter æquivalentiam, & virtualitatem ali-

aliorum, concedo. Sed essentia divina debet consistere, non in omniperfecto per æquivalentiam, sed in omniperfecto per continentiam formalem, seù in omneitate perfectionum, quæ non est per æquivalentiam omniperfecta, sed formaliter, seù per continentiam formalem omnium perfectionum.

89. Replica secundò: hæc continentia formalis non est aliqua perfectio, vi cuius omneitas sit perfectior quolibet attributo seorsim sumpto; nec continentia virtualis, aut æquivalentia est aliqua minor perfectio, seù aliquis defectus perfectionis, vi cuius quodlibet attributum seorsim non sit æquè perfectum, ac continentia formalis, seù omneitas perfectionum: ergo sicut omneitas dicitur prędicatum omniperfectum, ità & quodlibet attributum, ac proindè quodlibet sufficiet pro constitutione Dei metaphysica.

90. Respondeo: quod licèt omneitas, seù continentia formalis non sit aliqua perfectio intensiva, vi cuius excedat continentiam virtualem, & æquivalentem cuiuslibet attributi; est tamen aliqua perfectio extensiva, vi cuius perfectior extensivè censetur collectio attributorum quolibet attributo. Deus enim juxta primam hominũ apprehensionem debet esse id, quo maius aliquid, neque intensivè, neque extensivè, nec vllo modo excogitari possit. Si autem roges: *quid est Deus*, statim respondebitur: *esse Optimum, Maximum, Excelsum, sublimem, interminum* &c. ergo quolibet prædicato divino concepto, licèt sit æquè intensivè perfectum, non satis intelligitur Deus, vsque dum ad extensionem omnium perfectionum perveniatur.

91. Replicabis tertiò: illa extensiva perfectio vel non est perfectio, vel est perfectio tantum secundum quid: ergo huius perfectionis extensivæ defectu non est excludendum quodlibet prædicatum divinum ab vltimo Naturæ divinæ constitutivo.

92. Respondeo, illam qualem qualem extensivam perfectionem secundum quid talem facere, vt ea concepta in omneitate perfectionum, concipiatur vtique ea maior perfectio, quæ excogitari potest: cum autem id sit Deus iuxta naturæ rationalis primam apprehensionem, indè est, quod sit vltimum Dei, & Naturæ divinæ constitutivum, & quod eius deffectus faciat, ne quodlibet attributum solitariè sumptum ità sit.

93. Replicabis quartò: etiam ea perfectio extensiva virtualitèr, & ęquivalenter continetur in quolibet attributo: ergo ob eius deffectum non debet exulare ab vltimo constitutivo.

94. Respondeo: transeat antecedens, & nego consequentiam. Nàm licèt talis perfectio extensiva contineretur virtualiter in virtute intensiva cuiuslibet attributi; non tamen formaliter, vndè exulat ab vltimo constitutivo, quod debet esse

tam

tàm intensivè, quàm extensivè formaliter id, quo maius & perfectius excogitare nequeat.

95. Replica quintò: ergo etiàm debet ingredi creatura, seù perfectio omnis creata in constitutionem Dei. Probatur consequentia: per me complexum ex Deo, & creatura, est saltem extensivè perfectius solo Deo: ergo tale complexum eit quid perfectius excogitabile comparatione omneitatis perfectionum divinarum: ac proindè, vel vltimum constitutivum Naturæ non est extensivè perfectius, vel ipsum ingredietur creatura, & perfectio quælibet constitutiva ipsius creaturæ.

96. Vrgetur: licèt concretum ex Deo, & creatura sit perfectius solo Deo, hic non constituitur ex formali, sed solum ex eminentiali perfectione creata, hoc est, non continet illam fomaliter, sed tantum eminentialiter: ergo licèt omneitas perfectionum dicat formaliter maiorem perfectionem extensivam, in omneitate formali non consistet Essentia divina, sed in omneitate virtuali, aut æquivalente: nec Essentia divina necessariò continebit omneitatem formalem, sed contenta erit omneitate virtuali.

97. Respondeo: perfectionem constitutivam Dei debere esse simpliciter simplicem nullam dicentem sibi admissam imperfectionem, vt per se patet, constatque ex omnibus Theologis: cum ergo omnis perfectio creata imperfectionem involvat, indè est, quod formaliter nequeat ingredi constitutionem Dei. Hic enìm, sicut est iuxta primam hominum apprehensionem ens omnium excogitabilium perfectissimum, ità excludit omnem imperfectionem, quapropter solum constituitur ex omni perfectione, tàm intensivà, quàm extensivà dignà Dei; qualis tantum est perfectio depurata ab omni imperfectione, & qualis non est perfectio creata vt talis.

98. Hinc datur solutio vrgentiæ. Eminentialis perfectio creata, seù eminentialis, & virtualis continentia ipsius, nullam sibi admiscet imperfectionem, ac proindè eà constituitur divina essentia; non ità perfectio formalis creata, quæ ratione differentiæ creatæ, dicit positivam imperfectionem indignam Deo, ac proindè ab eius constitutione exulantem.

QVÆS-

QVÆSTIO IIII.

AN INTER ATTRIBVTA, PRÆdicataque divina absoluta intercedat distinctio rigorosa virtualis? Vbi specialiter de intellectu, & voluntate, intellectione, & volitione necessariâ agitur.

1. CElebris hæc disputatio plures, & gravissimas difficultates pertingens, præcipuè ad tractatus de Trinitate, scientia, & voluntate pertinentes, ideoque à Doctoribus iam hìc, iam ibi exagitata, hic proprium locum occupat, vndè pro omnibus prædicatis absolutis divinis, in particulari doctrina est sumenda. Quærit igitur: an, sicut inter prædicata absoluta, & relativa per nos, relucet distinctio intrinseca rigorosa virtualis (quod suppono ex tractatu, de Trinitate. quæst. 2. per totam) ità intercedere debeat eadem inter prædicata absoluta necessaria? Dico *necessaria*, nam de actibus liberis discurrendum est aliter juxta vniuscuiusque Doctoris principia. Sed ante conclusionem

2. Suppono primò: nec attributa, nec prędicata absoluta divina distingui inter se distinctione formali ex natura rei eis argumentis communibus, quibus similis distinctio relegatur ab omnibus prędicatis realitèr identificatis, de quo egi in Logica: tract. 3. de vniversalibus, & agunt hìc DD. præcipuè noster Leonardus per integram disputationem. Suppono item, ea distingui virtualiter latè ea distinctione, quæ sit fundamentum pręscitionis vel obiectivè, vel formaliter, eis similitèr argumentis, quibus similis distinctio apponitur in prædicatis realitèr identificatis, vel ob æquivalentiam ad res realitèr distinctas vt tales, vel ob diversas definitiones, diversave connotata, de quà similiter latè egi in Logica nostrà tract. de Vniversalibus. Hac igitur distinctione supposita, quęritur, an detur etiam ea, quæ rigorosa, & intrinseca appellatur à DD.

3. Suppono secundò: distinctionem rigorosam virtualem esse illam, quæ deservit ad verificanda prędicata contradictoria physica, seù independentia ab intellectu. *Vndè est virtus, seù virtualitas identitatis realis ad effectus proprios distinctionis realis actualis, vi cuius eadem entitas sine distinctione faciat id, ad quod duæ aliæ distinctionem requirunt.* Indeque distinctionem hanc apponimus inter prædicata absoluta, & relativa, quià cum sint idem realiter, verificant prædicata contradictoria physica, ad quæ aliàs requiritur distinctio realis actualis. His suppositis,

4. Prima sententia ponit absolutè eam distinctionem virtualem rigorosam inter omnia attributa, imò & in creatis inter formalitates realiter identificatas: Ità PP. Lin-

Lince, Ildephonſ. & Peñafiel.

5. Secunda ſententia eam vnicè ponit inter intellectum, & voluntatem, intellectionem, & volitionem divinam. Ità Mag. Albiz d. 2. de ſcientia ſect. 6. & d. 2. de Trinitate ſect. 3. P. Arriaga d. 42. de Trinitate ſect. 5. ſubſect. 3. P. Eryce de voluntate d. 12.cap.1. & 2. P. Zuñiga d. 3.de Trinit.dub. 6. num. 1. P. Ripald. apud Ribadeneyra in manuſcriptis de voluntate d. 4. ſect. 3. quibus adde plures noviores Thomiſtas, & Schotiſtas apud Ribadeneyra P. Borr. d. 7. ſect. 6. tum diſp. 1. de voluntate ſect. 4.

6. Tertia ſententia abſolutè negat eam diſtinctionem inter omnia prædicata abſoluta neceſſaria. Ità P. Alarcon 1. p. tract. 5. diſp. 2. Recupitus tom. 1. de Deo,lib.3. P. Quiros diſ. 5. de eſſentia, & attribut. ſect. 5. à num. 45. ſpecialiter negant de intellectu, & voluntate, intellectione, & volitione. Exim. D. d. 30. metaphyſicę ſect. 6. à num. 13. Hemelman t.1.tit.3. diſp. 1. cap. 26. Izquierd. in Pharo diſt. 3. num. 153. P. Ribad. tract. de volunt. d. 4. cap. 1. ipſe Quir. diſp. 58. de voluntate per totam, R.P.N. Tyrſus t. 1. primaque ſuorum operum diſp. per totam, P. Herrera tract. de voluntate quæſt. 2. per totam, & per novem ſectiones.

7. Dicendum cum his DD. *inter attributa Dei, eiuſque prædicata abſoluta, non datur diſtinctio rigoroſa virtualis.* Relictis probationibus, tum P. Quiros, quas per vndecim ſectiones protrahit, tum P. Ribad. & Reverend. Tyrſ. eoquod obſcuritatem, & difficultates addant, vbi illa, & hę abundant, (in ſylvam enìm ligna non ſunt ferenda.) Probatur primò vniverſaliter: vbi nec Fides, nec conſtans PP. & Theologorum conſenſus cogit admittere ſine diſtinctione reali contradictoria phyſica, otioſa, & inutilis eſt diſtinctio virtualis rigoroſa; ſed nec Fides, nec conſtans PP, Theologorumve conſenſus cogit admittere vlla prædicata contradictoria phyſica verificanda in attributis, prædicatisvè abſolutis divinis: ergo. Conſequentia legitimè infertur: minor ex ſolutione argumentorum conſtabit: maior eſt certa. Primò: quià ad hoc vnicè inventa eſt à DD. diſtinctio rigoroſa virtualis. Secundò: quià diſtinctio virtualis rigoroſa, nil aliud eſt, niſi capacitas, virtus, ſeù virtualitas verificativa, aut ſedativa contradictionis, & vbi hæc non reperitur, otioſa eſt illa virtus, ſeù capacitas.

8. Tertiò: quià ſicut otioſa,& inutilis eſſet virtus calefactiva, vbi nec datur, nec dari poſt effectus caloris, ità otioſa, & inutilis cenſetur virtus verificativa contradictionis, vbi nec datur, nec dari poteſt contradictio.

9. Probatur ſecundò: difficultas Myſterij Trinitatis actuumvè liberorum, alibi ponenda non eſt ni-

nisi in ipso Mysterio Trinitatis, actibusvè liberis; sed tota difficultas Mysterij Trinitatis, actuumvè liberorum consistit in ea virtualitatè, & capacitate verificativa contradictionis, quæ est ipsa distinctio virtualis: ergo hæc ponenda non est in attributis, prædicatisvè necessarijs Dei, quæ nec sunt formaliter ipsum Mysterium, nec actus liberi. Sed quià ad intellectum, & voluntatem, ad intellectionē, & volitionem totum disputationis pondus reducitur, probatur specialiter de eis contra DD. secundæ sententiæ evertendo præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ: ideò per vos necessariò ponenda est hæc distinctio inter intellectum, & voluntatem, quià de intellectu, & voluntate divinis verificantur realiter prędicata contradictoria, de intellectu nempè: *esse principium quo Verbi, & non esse principium quo Spiritus Sancti.* De voluntate *esse principium quo Spiritus Sancti: & non esse principium quo Verbi.* Nā si intellectus esset principium quo Spiritus Sancti, hic esset etiam Verbum, cum procederet per intellectum: & si voluntas esset principium quo Verbi, hoc esset Spiritus Sanctus, cum procederet per voluntatem; sed stat optimè sine terminorum confusione Verbi scilicèt, & Spiritùs Sancti identitas virtualis, & confusio principij, intellectùs scilicèt, & voluntatis (adhuc permisso, quod ità se habeant:) ergo. Probatur minor; sine confusione sensationis, & ratiocinationis manendo sensatio in esse talis, quin sit ratiocinatio, & manendo ratiocinatio in esse talis, quin sit sensatio, stat identitas virtualis animalis, & rationalis, taliter vt vtraque, tam sensatio, quàm ratiocinatio proveniat phycè, & realiter ab vtroque principio animali scilicèt, & rationali: cum iuxta ferè omnes adversarios inter animal & rationale distinctio rigorosa virtualis nō admittatur: ergo sine confusione, & indiscretione Verbi, & Spiritùs Sancti manendo Verbum in esse talis, quin sit Spiritus, & Spiritus Sanctus in esse talis, quin sit Verbum, stat identitas, & confusio virtualis intellectùs, & voluntatis divinæ, taliter vt sine vlla distinctione rigorosa virtuali, vterque terminus, tàm Uerbum, quàm Spiritus Sanctus proveniat ab eodem principio physicè, & realiter, nempè ab eodem intellectu, & voluntate realiter virtualiter indistinctis.

10. Vrgetur: ex discursu adversariorum sequeretur contra ipsos non solum intellectum, & voluntatem, intellectionem, & volitionem distingui virtualiter rigorosè inter se, sed etiàm à reliquis attributis iustitia, immensitate &c. quod sic ostendo: nàm eodem tenore, quo dicunt, Verbum procedere per intellectum, & non per voluntatem, dicere tenentur, Verbum procedere per intellectum, & non per Justitiam, Spiritus Sanctus pro-

procedere per voluntatem, & non per immensitatem; sed ideò per vos intellectus, & voluntas virtuatualiter rigorosè distinguntur, quià de intellectu verificatur, esse principium Verbi, & non esse principium Spiritùs Sancti, & de voluntate, esse principium Spiritùs Sancti, & non Verbi: ergo sicut intellectus, & voluntas virtualiter rigorosè distinguntur, sic intellectus, & justitia, voluntas, & immensitas distinguentur. Item si ex processione Verbi per voluntatem, infertur, esse amorem, & ex processione Spiritùs Sancti per intellectum infertur, esse Verbum; ex processione creaturarum per intellectum, & voluntatem divinam similiter inferretur; creaturas esse Verbum, & amorem Dei, & nè hoc sequatur, negare tenentur adversarij, creaturas procedere physicè, & realitèr vt per principium physicum per intellectum, & voluntatem divinam, asserentes ità procedere vnicè per omnipotentiam: ergo de intellectu, & voluntate divinis verificatur, non esse principium physicum creaturarum, & de omnipotentia esse principium physicum creaturarum: ergo & duplex contradictorium: ergo distinguntur rigorosè virtualiter.

* *

SECTIO I.

ARGVMENTO DESVMPTO A processione Verbi, & Spiritùs Sancti respondetur.

11. ESSE principium Verbi, & non esse principium Verbi: esse principium Spiritùs Sancti, & non esse principium Spiritùs Sancti cōveniunt ante omnem intellectùs operationem intellectui, & voluntati divinis; sed hæc sunt prędicata physicè contradictoria sedāda distinctione rigorosa virtuali: ergo hæc intercedit inter intellectum, & voluntatem divinam.

12. Retorqueo: esse principium Verbi, & non esse principium Verbi, conveniunt intellectui, & immensitati actu intrinsecè ante omnem operationem intellectùs & similiter esse principium Spiritùs Sancti, & non esse principium Spiritùs Sancti voluntati, & justitię, eo modo, quo conveniunt per vos intellectui, & voluntati: ergo non solùm inter intellectum, & voluntatem, sed etiam inter ipsos, & reliqua attributa ponenda est hæc rigorosa virtualis distinctio.

13. Respondeo: nego suppositum, quod intellectus, voluntasvè sortiantur rationem principij physici ante operationem intellectùs respectu Verbi, & Spiritùs Sancti: nam cum per nos tota, & adęquata ratio principij *quo*, & *quod* propriè, & simpliciter talis constat in rela-

tivo ob distinctionem realem requisitam ad rationem principij, vt constat ex tractatu de Trinitate quęst. 4. indè est, quod nec intellectus, nec voluntas sint principium Verbi, aut Spiritûs Sancti, quà propter propositiones negativę sunt veræ, affirmativæ verò falsæ: vndè cessat contradictio.

14. Replicas primò: per nos processiones divinæ sunt per intellectum, & voluntatem. Ità tractat. de Trinit. quęst. 7. item sunt immediatè, & formaliter per intellectionem, & volitionem ex eodem tract. quæst. 8. taliter vt processio Secundæ Personæ sit potius per intellectum, & intellectionem, quàm per voluntatem, & volitionem: & processio Tertiæ potius per voluntatem, & volitionem, quàm per intellectum, & intellectionem, eo quod Secunda Persona sit potius Verbum, quàm amor, & Tertia, potius amor, quàm Verbum; ex quo & infertur, intellectum, & voluntatem esse principium Verbi, & Spiritûs Sancti, & ità instauratur argumentum: *Esse id, ex quo potius procedit Verbum, quàm Spiritus Sanctus: non esse id, ex quo potius procedit Verbum, quàm Spiritus Sanctus: esse id ex quo potius procedit Spiritus Sanctus, quàm Verbum: non esse id, ex quo potius procedit Spiritus Sanctus, quàm Verbum*, sunt prædicata contradictoria physica; sed hæc conveniunt intellectui, & voluntati, intellectioni, & volitioni per nos: ergo & distinctio rigorosa virtualis.

15. Solutio dependet ex intelligentia, & sensu, quo defendimus, processiones divinas esse per intellectum, & voluntatem, per intellectionem, & volitionem. Etenim cum Sanctis Patribus, quos congerit P. Ruiz d. 2. de Trinitate, & etiam 55. eiusdem tractatûs, hanc loquutionem, scilicèt: *processiones divinas esse per intellectum, & voluntatem*, passim teneant Theologi contra Durandum; eam admittunt, taliter tamen vt in ea non concedant, intellectum, & voluntatem se habere vt principium *quo*, aut *quod* in productione Personarum; sed contra Durandum asserant, non requiri merè materialitèr, & identicè eo modo, quo requireretur in igne v. g. si esset intellectivus, formalitas intellectivi ad productionem caloris, vt malè asserebat Durandus, sed requiri per se, & formaliter ex parte principij, vel vt totale, aut partiale principium *quo*, si illud ponant in absoluto, vel vt meram conditionem constituentem vtique principium, non in ratione principij, sed in ratione expediti ad producendum eo modo, quo requiritur intellectio creata ad amandum, si ponant principium *quo* in relativo, sicut & nos illud ponimus, quo manet inermis prima deductio. Et vt optimè notat Thyrsus hic sect. 3. n. 68. intellectum, & voluntatem esse principium *quo* Verbi, est res valdè dubia, & controversa: processiones verò divinas esse per intellectum, &

& voluntatem, est ferè certum inter Theologos, vndè axioma adeò certum non debet fieri dependens à sententia incerta.

16. Ad instaurationem argumenti respondeo: ex ea solum inferri & principium productivum, & communicativum, quod est Paternitas, vt potius producat Verbum, quàm Spiritum Sanctum, potius exigere intellectum, quàm voluntatem, eo quod Verbum sit, cui primariò communicatur intellectio, & materialiter amor, cum pertineat ad lineam repræsentationis. Et vt potius producat Spiritum Sanctum, quàm Verbum, potius similiter exigere voluntatem, quàm intellectum eo, quod Spiritui Sancto primariò communicetur amor, & materialiter intellectus, cum pertineat ad lineam amoris, & quod ipsum Verbum cum sit Sapientia, imago, speculum, Sigillum, character, iuxta Sanctos Patres, & Concilia exigat ad sui productionem potius intellectum, & intellectionem, quàm voluntatem, & amorem. Et è contra Spiritus Sanctus, cum sit iuxta eosdem Sanctos PP. & Concilia amor, charitas, donum, & vinculum exigat ad sui esse, & productionem potius voluntatem, & amorem, quàm intellectum, & intellectionem. Non tamen infertur, dari aliquod prædicatum, exigentiamque intrinsecam in intellectu, & intellectione, quà careat voluntas, & volitio, aut è contra: vndè possit argui inter ipsas aliqua intrinseca distinctio. Solum enim argueretur, Verbum, & Spiritum Sanctum inter se distingui, gaudereque illis exigentijs diversis.

17. Replicas secundò ex dictis: Verbum divinum realiter, & independenter ab intellectu exigit sibi communicari intellectionem, & non amorem ex vi suæ processionis, cum sit Verbum, imago repræsentativa, & sapientia genita: similiter Spiritus Sanctus exigit sibi communicari ex vi suæ processionis amorem, & non intellectionem, cum sit amor, vinculum, & charitas mutua Patris, & Filij; sed exigi, & non exigi realiter, & ante omnem operationem intellectùs sunt prędicata physicè contradictoria salvanda per distinctionem rigorosam virtualem: ergo hæc datur inter intellectum, & voluntatem divinam.

18. Facta retortio communis in intellectu, & omnipotentia, reliquisque attributis, eodem modo potest efformari in intellectu, & voluntate creatis per nos, & per plures, ex adversarijs, tam realitèr actualiter, quàm realitèr virtualitèr identificatis inter se; cum intellectio creata exigat formaliter intellectum, & non voluntatem, & volitio voluntatem, & non intellectum, quin hoc exigi, & non exigi, arguat aliquam virtualem distinctionem.

19. Respondeo: concedo maiorem, & distinguo minorem: sed exigi, & non exigi sunt prędicata contradictoria intrinseca intellectui, & voluntati, nego: extrinseca,

concedo. Hæc igitur prędicata sunt quędam denominationes extrinsecę provenientes à terminis exigentibus intrinsecè; quarè ea prędicata denotant distinctionem realem actualem repertam inter Verbum, & Spiritum Sanctum, & nullatenus aliquam intrinsecam virtualem inter intellectum, & voluntatem, sed solùm extrinsecam latam, & provenientem à diversitate terminorum connotativè.

20. Replicas tertiò: Secunda Persona realiter actu est Verbum, & non Spiritus Sanctus: Tertia verò realiter actu est Spiritus Sanctus, & non Verbum; sed non est alia ratio, vndè hoc ità sit, nisi quià prima Persona provenit, vt à principio formali ab intellectu, & non à voluntate, & Tertia à voluntate, & non ab intellectu, aliàs si ab eodem principio indiscriminatim provenirent, confunderentur inter se, & indiscriminatim se haberent Personę procedentes. Hoc confirmatur ex communi modo loquendi Sanctorum Patrum, & Theologorum, qui absolutè tenent, Verbum esse ex intellectu, & per intellectum, & indè dici Verbum. Sic Athanasius apud P. Ruiz: *Ex sapienti vtique vt sapienti sapientia ista ortum trahit.* Et Cyrllus Alexandrinus in Joannem cap. 5. vbi Filius appellatur Verbum, ac Sapientia, quoniam ex intellectu immediatè, & indivisibiliter est.

21. Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem ex dictis, quod scilicèt aliquod prædicatum absolutum possit dici principium *quo*, aut *quod* propriè tale in divinis deffectu distinctionis realis requisitæ ad rationem principij. Ratio autem disparitatis inter Verbum, & Spiritum Sanctum, hoc est, quarè potius Secunda Persona, quàm Tertia sit Verbum, & quarè potius Secunda sit amor notionalis, non est huius loci, sed pertinet ad tractatum de Trinitate, in quo vnusquisque suà vià progreditur. Quod autem hìc tenemur defendere est, non esse necessarium ad hoc, vt Secunda Persona sit Verbum, quod proveniat ab intellectu, & non à voluntate vt à principio, & similiter de Spiritù Sancto, quod proveniat à voluntate, & non ab intellectu, sed posse esse Verbum, quin proveniat ab intellectu vt à principio. Tùm, quia ad hoc sufficeret, quod illi communicetur per se formaliter, & primariò intellectus, & non voluntas; intellectio, & nõ volitio nõ ex exigẽtia intrinseca intellectùs, & intellectionis, sed ex exigentia intrinseca ipsius Verbi, quod vtpotè expresivum, & loqutio, hoc ex sua natura exigit. Tum quia Secunda Persona ex sua natura, & proprietate personali pertinens ad lineã intellectionis nobis exprimit, & detegit Patrem sub hac expresione, *Pater est principium intelligens*, potius, quàm sub hac *Pater est principium amans*, & è contra Spiritus Sanctus, vt tenet Quiros.

Sed

22. Sed adhuc permisso, quod intellectus, & voluntas possint sortiri rationem principij, respondeo: concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem dic: intellectioné, & volitionem divinam esse vnum, & indivisibile Personæ vtriusque principium & Verbi, & Spiritùs Sancti absque vlla terminorum confussione. Constat hoc ex nostris probationibus, & exemplis ratiocinationis, & sensationis provenientium ab animali, & rationali sine vllà distinctione virtuali intrinseca ex parte principij, & sine vllà confussione ex parte terminorum. Item intellectionis, & volitionis creatæ provenientium sine indiscretione ipsarum ab intellectu, & voluntate creatis iuxta adversarios, tam realitèr actualitèr, quàm realitèr virtualitèr identificatis. ità ergo similiter. Ratio est, quià licèt intellectus, & voluntas, intellectio, & volitio sint idem indivisibile principium physicum vtriusque Personæ; attamen Verbum in se, & ex se non exigit adæquare totam, & adæquatam fæcunditatem principij, & similiter Spiritus Sanctus: sed Uerbum adæquat virtutem illius, qua intellectivam, & Spiritus Sanctus, qua volitivam tenenter se tota diversitate, non ex parte principij æquè respicientis vtrumque terminum, sed ex parte terminorum.

23. Quod explicari potest exemplis allatis, & vlterius explicatur exemplo actionis calefactivæ, & illuminativæ, quæ licèt realiter distinguantur, & discriminentur, nullam arguunt distinctionem, & discretionem virtualem in virtute Solis v.g. quæ quidem respicit pro termino adęquato sui vtramque actionem; vtraque tamèn actio divisim non exprimit totam virtuté principij: sed illuminatio virtutem illuminativã, & calefactio virtutem calefactivam, quæ quidem ità se habet, vt si solùm esset illuminativa, sufficeret pro illuminatione, & si solùm esset calefactiva, sufficeret pro calefactione.

24. Ad Patres, & Concilia respondetur, ipsos solum affirmasse, processiones divinas esse per intellectum, & voluntatem eo sensu, quo conveniunt Theologi, & à nobis supra explicantur. Insuper solùm affirmant, Verbum procedere per intellectum, non tamèn negant procedere re ipsa per voluntatem, & è contra in Spiritu Sancto, & si aliquando id negant, facilè explicantur de non exigentia formali totius fæcunditatis principij, idest, quod licèt Verbum actu physicè procedat per intellectum, & voluntatem, hanc tamèn non exigit, nec exprimit: & similiter de Spiritu Sancto, exigentijs licèt se tenentibus ex parte terminorum, non ex parte principij.

25. Si tamèn vlterius roges, quomodo duæ Personæ provenientes ab eodem principio, scilicèt intellectu, & voluntate, secunda, sit Verbum, & non Spiritus Sanctus

ctus: Tertia sit Spiritus Sanctus,& non Verbum? Ultra rationes assignatas hanc clarissimam accipe: quia scilicèt Secunda Persona procedit vt notionaliter repræsentativa, & loquutiva, non ità Tertia. Nec enim quidquid procedit per intellectum quocumque modo, est Verbum. Patet triplici exemplo. Primo: creaturæ procedunt physicè, & realiter per intellectum Divinum, qui est realiter omnipotentia, & non sunt verba. Secundo: volitio creata procedit realiter per intellectum creatum indistinctum realiter à voluntate creata, & non est Verbum. Tertio: habitus procedunt à cognitione, & non sunt verba mentalia, quia scilicèt non procedunt, vt formaliter loquutiva, aut repræsentativa.

26. Replicas quartò: sed hæc prædicata: *intellectus exigit communicari formaliter Verbo: voluntas non exigit communicari formaliter Verbo*, sunt intrinseca intellectui, & voluntati divinis: ergo vi alicuius distinctionis rigorosæ virtualis intercedentis inter vtrumque. Probatur minor: intellectus Divinus exigit intrinsecè se communicari Verbo; sed non quatenus est voluntas: ergo quatenus est intellectus. Idem dic de voluntate respectu Spiritùs Sancti. Maior probatur: intellectus Divinus exigit essentialiter exprimere suam fæcunditatem respectu Verbi; sed aliter non potest exprimere suam fæcunditatem respectu Verbi, nisi se communicando Verbo: ergo. Quod non exigat se communicare, qua voluntas, sed qua intellectus, probatur: quià per materialem, & identicam communicationem intellectùs, eius terminus non evadit Verbum, vt patet in Spiritu Sancto, cui, quià solum communicatur materialiter intellectus, ratio Verbi non competit: ergo vt competat, debet intellectus communicari formaliter, hoc est, quià intellectus: ergo Verbo Divino communicatur intellectus qua, & quià intellectus, & non communicatur qua, & quia voluntas.

27. Totum argumentum fundatur in duplici falso supposito, quo negato sistit. Primum est: dari intellectum, voluntatem, intellectum qua intellectum, & voluntatem, qua voluntatem à parte rei, prout his nominibus significantur: nam prout ità exprimuntur, ea scilicèt expressione, & reduplicatione involvunt distinctionem formalem, & intentionalé. Vidè sicut contra Schotistas negatur, dari à parte rei *animal*, & *rationale* hominis, quà *animal*, & qua *ratiionale*, prout his nominibus significatur, ità debet negari ob eandé rationé, dari intellectum & voluntaté, intellectum qua intellectú, & voluntatem, qua voluntaté à parte rei. Solum enim datur idem principium, quod simul sit intellectus, & voluntas habens pro termino adæquato vtramque Personam Verbum scilicèt, & Spiritum Sanctum, cui exigat positivè

tivè communicari, non verò non communicari, nam propositio negativa omnem communicationem excludit, ideòque falsa evadit.

28. Secundum suppositum falsum est, intellectum, & voluntatem, prout sunt prædicata absoluta, exigere intrinsecè se communicare, aut non se communicare. Nam per nos tota ratio principij, tam productivi, quàm communicativi residet adæquatè in relativo, & nullatenus in absoluto. Vndè id, quod re ipsa communicat Filio intellectú, est Paternitas, & quod communicat Spiritui Sancto amorem, est Spiratio activa, non verò intellectus, aut voluntas.

29. Sed adhuc admisso hoc supposito falso, quod scilicèt ratio principij in divinis consistat in absoluto, ità distingue primam minorem: ea prædicata *intellectus exigit commnicari formaliter Verbo*: *voluntas non exigit communicari formaliter Verbo*, sunt intrinseca intellectui, & voluntati secundum se, & provt sunt prædicata absoluta, nego: provt induunt diversas considerationes relativas v. g. Paternitatem, & Spirationem activam, concedo. Non enìm conveniunt illę exigentiæ intrinsecæ prædicatis absolutis provt absolutis, sed solum ratione Paternitatis virtualiter superadditæ convenit illi principio, nempè intellectui esse principium *quo* determinatè productivum, & communicativum respectu Verbi, quatenus formaliter est intellectus; & quatenus modificatur realitate Spirationis activæ convenit illi esse principium productivum, & communicativum Spiritùs Sancti, quatenus formaliter est voluntas. Vndè exigentię illæ diversæ, sivè exigentia, & non exigentia se communicandi, non arguunt distinctionem intrinsecam inter intellectum, & voluntatem divinam, cum non sint exigentiæ omninò intrinsecę intellectui, & voluntati, sed convenientes illis ratione conditionis adjunctæ, earum nempè relationum, quę virtualiter rigorosè distinguntur ab illo principio intellectu scilicèt, & voluntate.

30. Replicas quintò, & simul instas: illa entitas, quæ simul est intellectus, & voluntas in Deo, ex se est radix virtualis earum relationum, quę ipsi adiunguntur tanquam conditiones ad producendum: ergo ex se intrinsecè exigit illas; sed non exigit illas intrinsecè, vt eodem modo producat suos terminos, & ut se illis communicet; aliàs tales termini nullam differentiam inter se haberent: ergo eas relationes exigit, vt modificata per Paternitatem se communicet Verbo, quatenus intellectus formaliter, & modificata per relationem Spirationis activæ se communicet Spiritui Sancto, vt est voluntas formaliter: ergo realitati illi ex se, & independenter à nostro intellectu conveniunt varię exigentiæ intrinsecæ contradictoriè opposite, exigentia nempè se communicandi Verbo, quatenus in-

intellectus formaliter, & non quatenus voluntas, & similiter respectu Spiritûs Sancti.

31. Argumentum etiàm in nostris principijs à prima propositione, & supposito ruit: nam realitas illa, quæ est simul intellectus, & voluntas, neque est radix principiumvè relationum, neque illas exigit, vt producat; illa enìm entitas solùm est principium communicativum passivè, si cum ly *passivè* componitur ratio principij. Hoc est, id quod communicatur vtrique personæ, est intellectus, & voluntas; id autem quod producit, & communicat activè, est Paternitas, & Spiratio activa. Paternitas exigit ad summum pro productione Filij intellectum formaliter vt cōditionem, non tamé voluntatem; Spiratio verò activa exigit pro productione Spiritûs Sancti voluntatem, & non intellectum, quod solùm arguit distinctionem inter Paternitatem, & Spirationem activam, non tamen inter intellectum, & voluntatem.

32. Sed adhuc admissis omnibus propositionibus instantiæ, non infertur intentum illius. Nàm quod ex cōcessis inferretur, esset, quod illa entitas habet intrinsecā, & omnimò indivisibilem exigentiam ad diversas productiones, & sui communicationes ratione diversarum conditionum sibi adjunctarum, scilicèt ratione diversarum relationum. Vndè tota diversitas vltimò reducitur tùm ad ipsas conditiones, tùm ad ipsos terminos inadæquatos fæcunditatis illius principij, quod simul est intellectus, & voluntas, quoad modum formalissimum procedendi.

34. Nota: hoc argumentum ab aliquibus apponi in ipso conceptu Filij, ità: si à parte reì ábsque vlla diversitate intellectus esset principium Spiritûs Sancti, iam hic esset Filius eodem modo, ac ità est Secunda Persona, intellectus enìm divinus est Natura divina formaliter: ergo si Spiritus Sanctus procederet per intellectum realiter, procederet per Naturam, proindeque in similitudinem Naturæ, essetque Filius.

35. Sed in nostris principijs argumentum & est commune, & nullà gaudet speciali difficultate, cum cum per nos Natura divina non consistat adæquatè in intellectu formaliter, sed in collectione omnium prædicatorum de genere vnius entis; vndè communicato intellectu formaliter Secundæ Personæ, & voluntate formaliter Tertiæ, eodem modo se habent, quoad hoc, cum æquè pertineat ad constitutionem Naturæ voluntas, ac intellectus, sed cùm secunda Persona procedat fecunda alterius Suppositi eiusdem Naturæ; non autem Tertia: sivè secundæ communicetur formaliter intellectus, non verò Tertię; fit, vt Secunda evadat Filius, non tamen Tertia.

***

SECTIO II.

ARGVMENTVM DE DIRECTIONE cognitionis ad amorem enervatur.

36. CElebre hoc argumentum, quod per octo integras lectiones prosequitur P. Quiros, ità brevibus perstringo. Intellectio divina realitèr, & independenter ab intellectu præcedit pro aliquo signo priori ad volitionem: ergo saltem virtualiter rigorosè distinguitur ab eà. Probatur antecedens: intellectio divina realiter dirigit, allicit, movet, determinat, & illuminat volitionem necessariam divinam; sed nequit ità se habere, nisi præcedat pro aliquo signo priori: ergo. Maior probatur: Deus non amat cæco modo, nec aliundè provenit necessitas se amandi v. g. nisi ex suà summà perfectione vt cognita; sed hoc est dirigi, allici, necessitari, moverique ab obiecto vt cognito, seù à cognitione bonitatis obiecti: ergo &c.

37. Minor primò probatur ex illo proloquio: *nil volitum, quin præcognitum*: ergo cognitio debet præcedere ad volitionem. Secundò ex illa causali, quæ apud omnes valet: *ideò Deus se amat, quia se cognoscit.* Non tamen è contra: *Ideò Deus se cognoscit, quia se amat.* Quæ quidem causalis præcedentiam cognitionis denotat: aliàs posset etiam hæc vltima valere. Tertiò; ex terminis videtur constare, directionem, motionem, & inclinationem non esse ad id, quod intelligitur existens in signo directionis. Directio enim, & inclinatio tendunt ad hoc, vt aliquid fiat vi directionis, & inclinationis, vt patet in omnibus regulis, quę ad se ipsas, nec dirigunt, nec inclinant, sed ad aliud.

38. Quartò à paritate Visionis beatæ necessitantis ad amorem beatificum, quę ipsum amorem pręcedit, ab ipsoque distinguitur, nullà alià ratione, nisi quia ad intellectum dirigit, movet, & allicit voluntatem. Quintò: quia si sufficeret pro directione cognitio identificata simultanea, & non præcedens, sufficeret etiàm pro amore distincto cognitio cõcomitans distincta; tùnc enim verificaretur *cognosci id, quod amatur.* Sed juxta omnes non sufficit pro amore cognitio concomitans distincta, quia vi illius non verificatur *cognosci id, quod amatur*: ergo &c.

39. Sextò à paritate amoris liberi divini, quem certè vt dirigat, necesse est, quod pręcedat pro aliquo priori cognitio divina: ergo similiter in amore necessario. Septimò Authoritate deducta ex Anselmo in Monolog. c. 48. *Palam est certè rationem habenti eum* (loquitur de Deo) *non idcircò sui memorem esse, aut se intelligere, quia se amat, sed ideo se amare, quia sui meminit, & se intelligit*: ergo.

40. Retorque primò in intentione finis, quæ simul esset mediorum-

rum electio. Secundò: in volitione, quæ simul sit intellectio, quæ iuxta Adversarios, non repugnat, & in eis efformatur etiàm argumentum. Tertio: in volitivo, & intellectivo radicalibus realitèr identificatis, & tamen ex volitivo radicali infertur quasi à priori intellectivum radicale. Valet enìm: *est volitivum: ergo intellectivum*; sed in his prædicatis nec admittunt, nec possunt admittere Adversarij distinctionem rigororosam: ergo. Respondeant ipsi suo argumento.

41. Respondeo directè negando antecedens; ad eius probationem distinguo maiorem: intellectio divina dirigit, allicit, movet &c. volitionem, si dirigere &c. involvat aliquam realem prioritatem, distinctionemvè, nego: si non involvat, concedo. Solutionem explico. Qui hoc argumentnm maximè exagitant, sunt sapientes Recentes nostri, Quiros, Ribadeneyra, & Thyrsus. Ex his Quiros, & Ribadeneyra tenent, directionem, motionem, & allicientiam, causalemque illam, realiter loquendo, & deductionem illationis à volitione, non arguere vllam distinctionem vel realem, vel virtualem; ideoque eas voces admittunt realitèr in intellectione divinà respectu volitionis: P. Herrera id ipsum admittit in vocibus directionis, motionis, illuminationis &c; negat tamen causalem hanc: *Deus se amat, quia se intelligit*, non autem, *se intelligit, quia se amat*, valere in sensu reali, eo quod arguat præcedentiam, & distinctionem realem. P. verò Thyrsus tenet, eas voces arguere prioritatem, & consequenter distinctionem: vndè eas realitèr non admittit in divinis, imò nec causalem illam in sensu reali. Cum autem hoc sit de nomine, an scilicèt illæ voces dicant nec ne prioritatem, & distinctionem: affirmantibus gravissimis DD. negantibus item gravissimis; ideò ità distinguo propositionem mihi obiectam, & talibus vocibus implicatam, ne vocibus ego implicer. Quod autem de re est, id absolutè nego, nempè intellectionem debere necessariò precedere advolitionem.

42. Nihilominus modos discurrendi proponam, vt in re de voce meum aperiam. Notandum tamèn, pro solutione argumenti datam sufficere solutionem. P. Quiros concedit, volitionem Divinam realiter dirigi ab intellectione sine vlla intrinseca distinctione, quod ità explicat: actus divinus, qui simul est intellectio, & volitio, talem habet modú tendendi, vt ideò verificetur: *Deus se amat, quia se intelligit*, & non è contra; quià inspecto obiecto cognito, & amato, tale obiectum non posset movere ad amorem, nisi haberet rationem *cogniti*: è contra habens rationem *cognoscibilis* per se sufficeret ad movendum ad sui cognitionem, etiam si non haberet rationem amati, aut amabilis. Quo fit, vt ex parte obiecti simul cogniti, & amati cognoscibilitas sit obiectum primarium

talis

talis actus Divini, & amabilitas secundarium, ideòque valet: *quià cognoscit, amat*: non è contra. Quod autem hoc ità eveniat sine vlla intrinseca distinctione, probat ex eo, quod hæc diversitas, quanta est, refunditur in extrinsecas conditiones obiectorum, nec provenit ab intrinseca exigentia actuum. Hæc probabilis, obscura tamèn, solutio impugnatur à Ribadeneyra tract. de voluntate d. 5. cap. 1. n. 6.

43 Ipse Ribadenyra cap. 2. totam hanc distinctionem intellectionis à volitione, & vim caulis, *quià cognoscit, amat*, reducit ad talem modum tendendi actus, vt ex vi modi tendendi sine distinctione moveatur ex intellectione. Ad modum, quo per eúdem indivisibilem actum, qui sit discursus virtualis, possumus assentiri conclusioni formali propter præmissas, & moveri ex præmissis ad assensum conclusionis, sicut eveniret in Angelo dicente: *Petrus est vivens, quià omne animal est vivens, & Petrus est animal*. Hunc autem modum tendendi ità explicat: actus Divinus, qui simul est intellectio, & volitio, cognoscibilis est à nobis sub his cõceptibus intellectionis, & volitionis præscindendo ab identitate reali vnius formalitatis cum alià, qui quidem actus ità nobis obiectus demõstrat nobis, potius esse volitionem existentem ab intellectione vel identicè. vel originaliter, quàm esse intellectionem, vel identicè, vel originaliter à volitione, & hoc ità demonstrat, quià nobis apparet tanquam rationalis amor Divinus, qui vtpotè talis tendit in bonitatem propter ipsam intellectualiter manifestatam, sed hoc ipso demonstrat, esse amorem ab intellectione, vel identicè, vel originaliter, quod quidem non demonstrat intellectio ex conceptu intellectionis vel identicè, vel originaliter à volitione. Indè ergo intellectio dirigit, movet, allicit &c. ad volitionem, valetque: *quia cognoscit, amat*: & non è contra. Hunc modum discurrendi satis imperceptibilem impugnat P. Herrera tract. de voluntate quęst. 2. sec. 8. num. 83.

44. Ipse verò Herrera sect. 9. tenet, illam deductionem: ***Deus potius se amat, quia se intelligit***, non è contra, non valere in sensu reali, sed solú formali. Affirmat vltrà, cognitionem verè, & realiter dirigere, movere, inclinare, & necessitare ad volitionem, hoc tamèn sine vlla distinctione reali, vel virtuali intrinseca. Primò: quià effectus, vel quasi effectus directionis, non est necessariò, vt aliquid fiat, sed solùm vt voluntas non cæco modo procedat, sed oculatè. Cum autem vi identitatis intellectionis ità se habeat voluntas Divina, datur totum id, quo salvatur directio intellectionis Divinę. Exemplum regularum dirigentium non convincit; quià regulæ, quas communiter novimus, dirigunt agentia libera ad liberas actiones, de quibus diversa est

est ratio. Secundò: quià movens per modum suasionis indifferentis, ad id, quod movet, & allicit, debet antecedere; non autem movens per modum necessitantis; qualiter se habet intellectio Divina respectu volitionis. Hinc assignat disparitatem pro distinctione inter visionem beatam, & amorem; quę visio licèt necessitet necessitate materialitatis, non tamèn necessitate metaphysica, vt nec Deus posset dividere illam ab amore; si tamèn ità se haberet nō distingueretur visio beatifica ab amore beatifico. Tertiò: proloquium illud: *nil volitum, quin præcognitum* admittit vniversaliter verum in creatis; vbi nulla cognitio necessitat metaphysicè ad amorem; ideòque illum necessariò præcedit, vel ità vt intelligatur proloquium negativè; hoc est, nil volitum, quin sit cognitum, cognitione non se habente aut impertinenter, aut purè pro posteriori, & Hinc est quod non sufficiat pro amore distincto cognitio concomitans distincta. Anselmum facilè explicat: non tamen attingit expressè difficultatem cognitionis concomitantis.

45. In aliquibus convenio cum hoc Doctore; in aliquibus dissentior & annuo P. N. Thyrso. ac proinde cum eo respondeo negando, intellectionem Divinam in sensu reali, & physico dirigere, movere, necessitare, aut allicere propriè, & simpliciter ad volitionem, quia prout sic sunt omninò idem, sed ad summum ex nostro modo concipiendi inadæquatè cognitionem Divinam sine amore ob æquivalentiam ad cognitionem, & amorem creatum. Vndè directio præcipuè solùm locum habet in volitione elicita distincta realiter à cognitione, non verò realiter identificata cum cognitione, & præcipuè in volitione per se subsistẽte qualis est Divina. Vbi enim amor est per se subsistẽs est amor amans; amor autem amans in creatis non supponit cognitionem, sed illam includit; in Divinis autẽ minus, sed est ipsamet cognitio. Ideòque non procedit Deus cęco modo, cum ipse amor sit lux per identitatẽ: *vbi enim lucerna est agnus, Civitas non eget Sole.* Sic Ioannes de Civitate Ierusalem, seù æterna gloria: ergo ubi ipse amor est lux, non est necessaria lux alia antecedens. Probationem illam: *Perfectio Dei concurrit vt cognita ad amorem*: ità distinguo; concurrit, vt cognita per idetitatem, concedo: concurrit, vt cognita per cognitionem præsuppositam, priorem, aut præcedentem, nego.

46. Ad primam probationem respondetur: Proloquium illud: *nil volitum, quin præcognitum*, solùm valere in creatis, ibique dumtaxat habere locum facem illam illuminativam realiter prælucentem, & præeuntem voluntati, vt hæc prosequatur suum obiectum: solùm autem creata voluntas est potentia cæca; non autem voluntas Divina,

quæ

que actu realiter est lux, ipsa nempè intellectio. Sicut enim hoc proloquium *nil iudicatum, quin prius apprehensum*, solùm valet in creatis, vbi apprehensio præcedere debet iudicium; non verò in Divinis: ità & illud, *nil volitum, quin præcognitum*. Item hoc, *ex obiecto, & potentià paritur notitia*, abijt in proverbium, quin valeat in Divinis, vbi Natura non præsupponitur ad intellectum, vt cognoscatur, præcipuè si consistat formaliter in ipso intellectu, & intellectione, ità etsi abeat in proverbium: *nil volitum, &c.* solùm debet admitti in creatis. Quod autem vniversaliter verum est, ità se habet: *nil volitum, quin cognitum*, vel antecedenter, si distinguatur cognitio ab amore, vel per ipsummet amorem, si sint idem. Et ità explicant aliqui proloquium hoc, vt valeat vniversaliter.

47. Ad secundam probationem respondetur: Illam causalem non valere realiter in Deo, sed solùm secundò intentionaliter, & ratione nostrà, quatenus concipimus Deum per species rerũ creatarum. Realiter enim, & intrinsecè, cum cognitio, & amor sint idem, non est ratio cur potius valeat: *amat, quià cognoscit, aut cognoscit, quià amat*. Tertia probatio potius est fundamentum nostræ resolutionis. Quarta probatio confirmat intentum; nam ideò visio beata dirigit, & necessitat ad amorem beatum, quià ab illo realiter distinguitur. Si tamen ab eo ità non distingueretur, idem de ea, quod de intellectione Divina dicerem.

48. Ad quintam probationem respondetur: cognitionem concomitantem non sufficere pro amore distincto, non præcisè, quià non præcognoscit obiectum, sed quià nec præcognoscit illud, nec est ipsemet amor per identitatem. Itaque, vt cognitio se habeat concomitanter respectu amoris, requiritur, quod nec influat per directionem strictam in amorem, si sit distincta; nec illuminet formaliter per identitatem, & quasi exhibitionem sui: hoc est, quod, nec sit cognitio actu dirigens, & illuminans, nec ipsamet illuminatio, vt rem practicè explico. Pone: quod dum quis cogitat de eleemosyna eroganda, habeat duas cognitiones duorum finium, ad quos eleemosyna conducit; nempè vanitatis, & misericordiæ. Pone item, intellectum ex fine misericordiæ eleemosynã erogare. Tunc cognitio vanitatis non præcedit, sed tantum concomitanter se habet, quià de facto, nec dirigit, nec influit in actum eleemosynæ executivum, & cum ab ipso distinguatur, nec est ipsemet amor eleemosynam imperans. Ast verò cum cognitio Divina, licèt nec præcedat, nec dirigat strictè ad amorem, sit ipse amor per identitatem, indè est, quod non se habeat concomitanter respectu illius. Ratio, ob

quam

quam cognitio distincta, licèt præcedat, & coexistat amori, posit se habere concomitanter; non tamèn posit ità se habere cognitio indistincta ab amore, est: quià cum cognitio distincta non illustret amorem in genere causæ formalis communicando se per identitatem amori, sed solùm directivè (quod reducitur ad influxum physicum) sicut privari potest tali influxu, etiá si coexistat, potest vtique concomitanter se habere. Ast verò cum influxus, vel quasi influxus cognitionis identificatę cum amore in ipsum amorem, sit per modum formæ, vel quasi formæ, aut per modum effectùs formalis; sicut exhibita forma subiecto capaci, nequit effectus formaliter impediri, ità identificata cognitione cum amore, nequit illum non illustrare, ac proinde nequit concomitanter se habere.

49. Nota tamèn, posibilem esse eundem actum, qui simul esset cognitio Petri, & amor Pauli, cum etiàm illa cognitio se haberet concomitanter ad amorem, nec illum illuminaret, sed potius amor ille egeret alià cognitione pręlucente: quia, & si talis actus esset cognitio, cum non esset cognitio eiusdem obiecti, cuius est amor, egeret alià. Ast verò cognitio divina, cum vtpotè compræhensiva, necessariò sit cognitio eiusdem obiecti, cuius est amor; indè est, quod nequeat se habere concomitanter, & si non dirigat.

50. Ad sextã probationem desumptam à paritate amoris liberi creaturarum, respondeo: de amore necessario, respectu obiecti amabilis necessariò, eodem modo discurrendum, ac de amore erga se ipsum: valere scilicèt illam causalem non in sensu reali, sed ex modo nostro concipiendi; si tamèn loquamur de amore libero respectu obiecti amabilis liberè, admitto, cognitionem necessariam Dei, & volitionem liberam illius distingui rigorosè, & virtualiter, valereque causalem in sensu reali, cognitionemque dirigere volitionem. Imò eandem distinctionem admitto inter cognitionem liberam, & volitionem similiter liberam, quia sunt separabiles, & adhuc, cognito obiecto à Deo, potest Deus illud non amare, quod nullatenus evenit in amore, & cognitione necessarijs.

51. Ad septimã probationem, & authoritatem Anselmi respondeo primò: Anselmum loquutum in sensu formali tantum, non in sensu reali. Secundò: loquutum fuisse de sapientia, & amore notionalibus, è quibus amor producitur realitèr à sapientia, non verò de sapientia, & amore essentialibus, in quibus non valet deductio illa.

52. Aliter etiàm probant prioritatem inter intellectionem, & volitionem, & sit tertiũ argumentum: si non præcederet intellectio respectu volitionis, nullum esset fundamentum prioritatis inter procesionem Verbi, & procesionem Spiritùs

tus Sancti: ergo. Probatur antecedens: solùm potest asignari pro fundaméto prioritatis procesionis Verbi respectu procesionis Spiritùs Sancti prioritas cognitionis, cuius terminus est Verbum, respectu volitionis, cuius terminus est Spiritus Sanctus; sed ex ea prioritate arguitur distinctio rigorosa virtualis: ergo. Confirmatur: seclusa tali prioritate, & distinctione inter intellectionem, & volitionem non daretur fundamentum ponendi duplicem procesionem in divinis; sed posset asignari solùm vnica, cuius terminus sit Verbũ, & amor, & quod principium vtriusque sine vlla distinctione, & prioritate est actu, & physicè indivisibiliter vnicum principium intellectio scilicèt, & volitio.

53. Hoc etiàm argumentum sicut & alia fundantur in supposito falso, quod scilicèt intellectio, & volitio sortiuntur rationem principij divinarum procesionum; cum autem ità non se habeant, falsum est, indè deduci procesionum divinarum prioritatem, quas admittere debemus. Sed hoc permisso, nego sequelam, quia principium illud, quod indivisibiliter est intellectio scilicèt, & volitio exigit vtrumque terminum à se productum cum tali ordine, vt Verbum procedat prius origine, quàm amor subsistens, hocque deducitur ex eo, quod exigat essentialiter, quod Verbum sit principium productivum amoris notionalis. Cuius ratio est; quia amor ille procedit vt vinculum, & nexus duorum, ideoque necessariò debent præcedere duo, Pater nempè, & Verbum, quorum nexus est Spiritus Sãctus, & quod hic ordo prioritatis, & posterioritatis ex parte terminorum, non debeat correspondere ex parte principij, constat etiàm in creatis. Operationes namque intellectùs servant hunc ordinem inter se, nam prius est appræhensio, deinde judicium, postremò discursus, quin ex parte intellectùs præcedat ordo aliquis virtualis inter potentiam ad appræhẽsionem, potentiam ad judicium, & potentiam ad discursum: ergo absque ordine intrinseco ex parte principij, potest stare ordo inter illius terminos, ac proinde fundamentum prioritatis inter procesionem Verbi, & Spiritùs Sancti non est accipiendum ab ordine virtuali inter intellectionem, & volitionem divinam. Eadem ratio potest asignari, nè sit vnica tantum procesio in divinis, cuius terminus sit simul Verbum, & amor notionalis, quia scilicèt amor debet procedere à Verbo, non quia huius veritatis posimus asignare aliquam rationem evidentem, aut certam, sed solùm congruentem. Nam vnicum eius fundamentum, est sola Fides, in cuius obsequium captivamus intellectum credentes tam profundum mysterium eo modo, quo nobis ab ipsa Fide proponitur.

***

SEC-

SECTIO III.

ADIJS ARGVMENTIS MINORIS *notæ respondetur.*

54. OBijcies quartò: si justitia, & misericordia non distinguerentur inter se intrinsecè virtualitèr, Deus puniret misericordià,& misereretur justitià; sed hoc dissonat: ergo.

55. Retorqueo argumentum in reliquis attributis, ni velis eo probare omnia virtualiter rigorosè inter se distingui. Respondeo directè:distinguo maiorem:Deus puniret misericordià &c. realitèr actualitèr, concedo: formalitèr ratione nostra, nego.Vndè realitèr loquendo sine vlla confusione, sicut omnia attributa sunt idem, eorum exercitia omnibus attribuuntur. Vndè Deus miseretur per justitiam,punit per misericordiam: vult per intellectum, per voluntatem intelligit. Formaliter tamèn cuilibet perfectioni correspondet suum proprium exercitium. Cum ergo, per eas propositiones loquamur communitèr, facta formalitèr præscitione, & discrerione inter attributa, communiter non accipiuntur, nisi addatur illis vox illa *realitèr actualitèr.*

56. Obijcies quintò: amor, & odium, assensus, & dissensus sunt differentię opositæ: ergo nequeunt reperiri in eodem actu realitèr indivisibili Dei absque distinctione rigorosa virtuali.

57. Respondeo: distinguo antecedens: sunt differentię oppositę respectu eiusdem obiecti, concedo: respectu distinctorum, subdist. Quãdo amor, & odium, assensus, & dissensus sumuntur purè, & tantum, concedo: quando ità non sumuntur, nego. Licèt assensus, & dissensus, amor, & odium sint idem indivisibilis actus realitèr in Deo, non sunt ità simul respectu eiusdem obiecti, aut termini, sed respectu distinctorum. Item, quemadmodum ratio vegetativi, sensitivi, & rationalis opponuntur secundum tanteitatem: idem dic in probabili oppinione circa differentias scientiæ, Fidei, & opinionis, non tamen si sumantur secundum se, nam ità possunt coadunari in eodem individuo, & eodem actu, sine vlla oppositione: ità assensus, & dissensus, amor, & odium in eodem actu realitèr indivisibili Dei,vbi tales differentiæ non se habent secundum tanteitatem, ac proindè nullatenus excluduntur.

58. Obijcies sextò: cognitio divina terminatur ad peccatum qua tale; amor divinus non terminatur ad peccatum qua tale; alioquin, sicut illud denominat cognitum, ità & illud denominaret amatum; sed terminari, & non terminari realitèr, sunt prædicata contradictoria: ergo hæc intercedunt inter amorem, & cognitionem Divinam.

59. Confirmatur: Deus magis amat obiectum amabilius, se ipsum v. g. quàm creaturas, Divum Petrum

trum, quàm Judam: ergo inter illos actus amoris debet poni aliqua distinctio virtualis rigorosa, per quam verificatur, eundem realitèr actum voluntatis esse intensiorem, & non esse intensiorem, magis amare, & non mas amare.

60. Respondeo: nego antecedens quoad secundam partem. Amor namque divinus terminatur ad peccatum qua tale, cum sit idem realitèr cum cognitione, quæ ad ipsum terminatur. Ex hoc autem non sequitur, quod amet peccatum illud, illudque denominet amatum, quia ad hoc non sufficit quæcumque terminatio amoris ad peccatum, sed requiritur, quod tendat in illud speciali modo affectivo, qualitèr nullatenus tendit. Hoc constat adhuc in creatis primò: quia si daretur aliquis actus creatus (quem non repugnare, plures deffendunt) qui esset simul cognitio Petri, & amor Pauli, talis actus denominaret Petrum cognitum, & non amatum, quià speciali modo affectivo, quo tendit in Paulum, non tenderet in Petrum. Secundò: idem actus contritionis est simul amor Dei, & odium peccati, tenditque in vtrumque obiectum Deum denominans amatum, & peccatum odio habitum ob specialem modum, quó tendit in vtrumquè, quin necessè sit, apponere aliquam rigorosam virtualem distinctionem inter ipsas formalitates actùs. Cum autem cognitio divina, etiam si virtualiter non distinguatur à volitione, nec habeat, nec habere possit specialem modum affectivum respectu peccati; indè est, quod licèt illud denominet cognitum, amatum nihilominus non denominet.

61. Dices: cognitio illa Divina, quæ simul esset volitio, distingueretur saltem virtualiter à modo illo affectivo tendendi in obiectum; sed modus affectivus tendendi in obiectum est prædicatum Divinum, vt constat in modo affectivo, quo Deus in se ipsum tendit: ergo inter aliqua predicata Divina relucere debet hæc distinctio virtualis rigorosa.

62. Respondeo distinguendo consequens: ergo inter ipsam cognitionem, & modum tendendi affectivè relucere debet distinctio virtualis, & modum tendendi affectivum in peccatum, nego: & modum tendendi affectivum in obiectum bonum, nego etiam; sed aliter, & aliter. Nam à modo tendendi affectivo in peccatum realiter actualiter distinguitur, sicut realiter actualiter distinguitur Natura Divina à productione sui, eo quod, tàm impossibilis sit productio respectu Naturæ Divinæ, quàm modus tēdendi affectivè in peccatū respectu volitionis Divinæ. A modo autem affectivo tendēdi in obiectum bonum, se ipsum v. g. non distinguitur nec realiter actualiter, nec realiter virtualiter, sed idem indivisibilis actus realiter Divinus connotando obiecta diverso modo tendit in vnum, quàm in aliud.

63. Et hæc est solutio confirmationis: nã licèt idem actus Divinus sit maior amor, seù maiori affectu tendat erga obiectũ magis bonũ, quàm erga obiectum minus bonum, hoc non arguit vllã distinctionem virtualẽ rigorosam in tali tendentià, quæ est maior apreciatio vnius obiecti prę alio. Sic in eodẽ indivisibili appetitu materiæ, maiorẽ inclinationem, & propensionem concedo erga perfectiorem formam, quàm erga minus perfectam. In actuque comparativo intellectùs, quo dico v.g. *Petrus perfectior est Ioanne*, sine vllà distinctione rigorosâ maiori apreciatione tendendo in Petrum, quàm in Ioannem anteferendo illum huic.

64. Replica: ergo in amore Divino tot speciales modi affectivi ponendi sunt, quot sunt obiecta à Deo amabilia, vt ea obiecta denominentur amata; taliter vt modus affectivus deserviens vni obiecto, nequeat deservire alteri: ergo inter tales modos affectivos, poni debet distinctio rigorosa virtualis; cum de illis verificentur hæc contradictoria; modus affectivus tendendi in Petrum denominat ipsum amatum, modus affectivus tendendi in Petrum non denominat Paulum amatum.

65. Respondeo: ex replica solùm inferri, ponendos esse in Deo speciales modos affectivos circa obiecta distincta, distinctos solùm virtualiter latè, & ratione nostrà; non tamèn rigososè virtualiter; eo modo, quo in Omnipotentià ponimus plures prçcontinentias, & in scientià Divinà plures ideas solùm ratione nostrà distinctas, penes diversa connotata, & terminos. Sicut enìm physicè, & realiter omnes præcontinentiæ influunt in cuiusvis creaturæ productionem, & si non omnes exigantur à qualibet creaturà ad sui productionem: sic similiter omnes illi modi affectivi realiter actualiter terminantur ad quodlibet obiectũ à Deo amatum, & si non omnes formaliter exigantur à quovis obiecto amato; quin hæc exigentia, & non exigentia ex parte terminorum arguant inter exigibilitatem, & nõ exigibilitatem se tenentes ex parte illorum affectuum aliquam intrinsecam distinctionem, sed solùm extrinsecam, & latam: eo modo, quo hęc solùm lata relucet inter animal, & rationale, etsi suppositis præcisionibus obiectivis, animal sit realiter cognoscibile per cognitionem *A* ad ipsum terminatam, & rationale non sit realiter cognoscibile per talem cognitionem. Nam sicut rationale licèt non sit realiter cognoscibile per talem cognitionem, identificatur cum cognoscibilitate animalis, & licèt non sit cognoscibilis adiectivè, est tamèn cognoscibilis substantivè, seù ipsa cognoscibilitas animalis: ita similiter licèt formalitas affectûs, vt terminata ad Petrum, non sit exigibilis, seù potiùs sit realiter nõ exigibilis à Paulo; nihilominus illę exigibilitates, tàm rea-

realiter actualiter, quàm realiter virtualiter rigorosè sunt idem.

QVÆSTIO V.

DE MODO, QVO TANDEM distinguantur Natura ab attributis, & hæc inter se. An scilicèt formaliter distinctione rationis ratiocinatæ?

1. NOn distingui realiter Naturam ab attributis, nec attributa inter se, est de Fide firmum, & indubitabile contra quendam Gualterum contrarium asserentem. Constat hoc primò: siquidem omne, quod est in Deo, Deus est; sed nil magis est in Deo, quàm eius attributa, & perfectiones: ergo hę, & illa sunt ipse Deus, ac proindè ab Essentià, & Naturà Divinà realiter indistincta. Constat secundò: ex Concilio Rhemensi statuente: *in nullo sensu Catholico negari potest, quod Divinitas sit relatio, & relatio divinitas*: ergo multò minus negari poterit, quod divinitas sit intellectus, voluntas, Omnipotentia, &c. & è contra: cum maior distinctio reluceat inter divinitatem, & relationes (inter quas datur distinctio rigorosa virtualis) quàm inter divinitatem, & attributa, vbi talis distinctio non relucet, vt constat ex quæstione antecedenti. Constat tertiò: quia *in Divinis omnia sunt idem, vbi non obstat relationis oppositio* producentis, & producti; sed inter Essentiam, et attributa talis relatio producentis, & producti non reperitur: ergo Essentia, & attributa sunt idem realiter. Constat quartò: ratione à priori: quià notũ est spectare ad excellentiã Dei, si in simplicissimâ, & vnicâ entitate contineat omnes perfectiones, & attributa, nam cæteris paribus, eo excellentior est perfectio, & virtus, quo indivisim plura continet, & potest. Vndè quæstio vnicè reducitur ad distinctionem rationis, rogatque: an Essentia distinguatur formaliter à suis attributis, & hæc inter se distinctione rationis ratiocinatæ, seù cum fundamento in re? In quo

2. Prima sententia tenet: ea, nec per rationem distingui, sed esse tantùm diversa nomina idem significantia ex parte obiecti sapientiã, misericordiam, justitiam, &c. Ità Nomin. cum suo Ocam. in 1. dist. 2. quæst. 2. Gabr. Maior. Arimin. Aureol. part. 3. dist. 8. art. 2. prop. 2.

3. Secunda sententia ea per rationem distinguit. Ita omnes Thomistæ, & ex nostris ferè omnes. Ita vt P. Martinon. dist. 5. sect. 5. num. 29. contrariam sententiam improbabilem judicet. Et Exim. D. de Trinitate cap. 1. num. 1. plusquam falsam, appellet.

4. Tertia sententia, statuit distinctionem rationis cum fundamento in re inter grados cõmunes, & differentiales, superiores, & inferiores; non tamen intér perfectiones Divinas, seù attributa ęqua-

lia, in quibus solùm apponit quandam distinctionem penes implicitum, & explicitum, quę re ipsa est, sine fundamento, aut rationis ratiocinantis. Ità P. Recupitus lib. 3. de attributis, quæst. 11. & 12.

5. Dicendum primò: *tàm inter gradus superiores, & inferiores divinos, quàm inter attributa, & perfectiones absolutas æquales datur distinctio formalis rationis ratiocinatæ cum fundamento in re.* Primò solet probari conclusio pluribus authoritatibus, in quibus per voces de plurali significantur perfectiones Divinæ; non ratione distinctionis realis: ergo ratione distinctionis rationis cum fundamento in re. Prima sit ex Ioanne 6. versic. 15. vbi Christus: *omnia, quæ Pater habet, mea sunt*, suprà quæ verba Florentin. sess. vltima: *omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem.* Secunda ex Epist. ad Romanos cap. 1. *invisibilia ipsius à creaturà mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & divinitas.* Tertia ex sextâ Synod. Act. 11. in Epistola Sophronij, quæ approbatur Act. 13. vbi asseritur: *Per nostram intelligentiam separari perfectiones divinas, quæ in re separabiles non sunt.* Alias vide apud P. Ruiz.

6. Probatur secundò à nobis ratione: animal, & rationale distinguuntur formaliter distinctione rationis ratiocinatę cum fundamento in re: ergo & misericordia, iustitia, Omnipotentia &c. Antecedens supponitur. Nàm si aliqua prędicata realitèr identificata, qualia sunt animal, & rationale non distinguerentur formaliter, quæstio esset communis, nec reduceretur ad prædicata, & perfectiones divinas quà tales. Consequentia probatur primò: ideò animal, & rationale distinguntur ità formaliter, vel quià gaudent distinctis definitionibus, quarè concepta Essentia animalis, non concipitur rationalis essentia, vel quia habent diversa connotata, animal v. g. sensationem, & rationale ratiocinationem, quàpropter potest concipi homo in ordine ad vnum connotatum, non concepto in ordine ad aliud: vel quià æquivalent rebus realitèr distinctis, qua talibus; quàpropter potest concipi æquivalentia ad vnum, quin concipiatur ęquivalentia ad aliud; sed similiter omnipotentia, & justitia, & sic de reliquis, distinctis definiuntur definitionibus, diversa habent connotata, ęquivalentque rebus realitèr distinctis, quà talibus: ergo formaliter inter se distinguntur distinctione rationis ratiocinatæ cum fundamento in re. Maior continet omnes rationes distinctionis virtualis latæ, quæ sunt fundamenta in re distinctionis formalis juxta Doctorum placita.

7. Minor quoad primam partem constat. Nam justitia definitur: *Est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*: Omni-

po-

potentia: *virtus productiva omnium possibilium*, & sic de reliquis: ergo gaudent distinctis definitionibus. Constat etiàm quoad secundam: misericordia habet pro connotato miseriam, Justitia jus; sed miseria, & jus sunt distincta imò, & diversa connotata: ergo. Constat etiàm quoad tertiam: nàm justitia, & misericordia æquivalent justitiæ, & misericordiæ creatis quà talibus realitèr distinctis inter se: ergo à primo ad vltimum in prædicatis divinis, & attributis datur fundamentum in re pro distinctione formali in ipsis ponenda, & collocanda.

8. Probatur paritas, & consequentia secundò: ideò animal, & rationale distinguuntur rationis ratiocinatæ distinctione cum fundamento in re, quià dum animali addo rationale, licèt ab homine realitèr non distinguatur, aliquid rei tamèn concipio novum; item aliquod, quo hominem facio diversum, & dissimilem subiecto, de quo dicitur esse animal, & nequit dici rationale, nempè bruto: sed dum justitiæ addo omnìpotentiam, licèt hæc realitèr à justitia non distinguatur, aliquid novum concipio ex parte rei, vt per se patèt. Item aliquid, quo Deum facio diversum, & dissimile subiecto, de quo nequit dici, esse Omnipotentem, nempè homini, de quo sæpè dicitur, *esse justum*, & repugnat dici, *esse Omnipotentem*: ergo Omnipotentia, & justitia, esse justum, & esse Omnipotentem formaliter inter se distinguntur.

9. Declaratur vltra à contrario: qui conciperet *sensitivum*, nil de novo conciperet ex parte rei supra *animal*, nec aliquid, vi cuius esset diversus homo à bruto, de quo dicitur esse animal, & ideò *animal*, & *sensitivum* non distinguntur formaliter inter se, sed solùm quoad voces, vel quoad implicitum, & explicitum: ergo si dum concipio prædicatum *Omnipotentis*, aliquid de novo concipio ex parte rei extra prædicatum *justi*, vi cuius Deus, de quo dicitur, *esse Omnipotentem* diversus està D. Petro v.g. de quo prædicatur esse justū: ergo predicata *justi, & Omnipotentis*, non solùm quoad voces, seù quoad explicitum, & implicitum, sed formaliter cum fundamento in re distinguntur.

10. Confirmatur: alitèr se habent hæ propositiones: *Deus est justus, Deus est Omnipotens*, ac hæ, *Deus est Omnipotens: Deus est potens producere possibilia*. Sed in his vltimis nil additur de novo ex parte rei, ac proindè non distinguitur formaliter cum fundamento in re Omnipotentia, & potentia productiva omnium, sed solùm quoad voces, & quoad implicitum, & explicitum: ergo in primis aliquid de novo additur, distinguiturque proindè justitia ab Omnipotentia, non distinctione reali: ergo distinctione formali cum fundamento in re. Aliàs si Omnipotentia non distingueretur formaliter à justitia, non conciperetur aliquid novum, dum supra justitiam additur Omnipoten-

potentia. Ob easdem rationes arguitur, perfectiones divinas quà tales distingui formaliter inter se, Omnipotentiam v. g. ab immensitate, ab æternitate hanc, & sic de reliquis, quæ propria sunt Dei qua talis. Ex his

11. Dicendum secundò: *Essentiam distingui formaliter à quolibet attributo seorsim sumpto distinctione includentis ab inclusso*. Conclusio manifestè constat ex dictis. Nam tunc aliqua entitas, seù subiectum distinguitur ab alio distinctione includentis ab inclusso, quando talis entitas duo, vel plura prædicata includit, quorum vnum distinguitur ab alio distinctione excludentis ab exclusso; sed Essentia, & Natura divina per nos includit omnia prędicata, & perfectiones divinas absolutas, quarum vna, & quælibet seorsim distinguitur ab aliâ, & quibuslibet distinctione excludentis ab exclusso v. g. Omnipotentia à justitia, Justitia à misericordia &c: ergo ipsa essentia, & Natura distinguitur ab attributis distinctione includentis ab inclusso; ab Omnipotétia ratione justitiæ, à justitia ratione Omnipotentiæ; à misericordià ratione Omnipotentiæ, & justitiæ, & sic de reliquis. Consequentia legitimè infertur. Minor supponitur probata. Maior est definitio, & explicatio distinctionis includentis ab inclusso.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESPONDETVR.

12. OBijcies primò: ens rationis nequit distingui realitèr, vt per se patet: nàm distinctio sequitur esse: ergo & è contra ens reale nequit distingui ratione; sed attributa divina sunt entia realia: ergo nequeunt ratione distingui.

13. Confirmatur.: quod est realitèr distinctum, nequit esse idem per rationem ratiocinatam, seù cum fundamento in re, sed solùm per ratiocinantem, aut fingentem, vt cum dico: *homo est equus*: ergo neque identitas per rationem potest stare cum distinctione reali sine fictione, vt per se patet: ergo similiter è contra, quod est idem, nequit distingui per rationem, neque poterit stare sine fictione identitas realis cum distinctione formali, & per rationem. Cum enim minus videantur opponi, & pertinere ad distinctas lineas identitas realis, & non identitas per rationem, quàm distinctio realis, & non distinctio per rationem. Ità arguunt Nominales.

14. In meis principijs ponentibus ens rationis in partibus vndique, & adæquatè realibus, argumentum nullum est, distinguitur namque realitèr, cum esse illius sit reale, & distingui sequatur esse. Insuper argumentum destruit omnem distinctionem formalem rationis

ratio-

ratiocinatæ, adhuc in creatis. Respondetur tamen: transeat antecedens, & nego consequentiam. Ratio disparitatis est manifesta, & militat in omni denominatione extrinseca, quæ potest advenire obiectis sine mutatione intrinseca ipsorum; non tamen aliquod predicatum intrinsecum. Distingui realitèr, est prædicatum intrinsecũ rei: quapropter ens rationis, cum careat esse intrinseco reali in sententia, quam admitto, nequit realitèr distingui. Distingui per rationem, est denominatio extrinseca rei proveniens à cognitione præscindente, seù tangente obiectum inadæquatè; sed licèt hęc denominatio in obiecto non detur, potest eam nostra cognitio conferre sine vlla fictione, nam cognoscere vnam formalitatem, alià non cognita, non est fingere: ergo. Hinc

15. Ad confirmationem respondetur primò: antecedens esse omninò falsum. Nàm plura realitèr convenientia, v. g. plura animalia fiunt vnum animal vi abstractionis sine fictione. Nàm *abstrahentium non est mendacium.* Et sic vbi datur distinctio realis potest poni identitas formalis absque fictione: ergo è contra vbi datur realis identitas potest dari formalis distinctio. Nàm sicut convenientia est fundamentum ad hoc, vt ex pluribus realitèr fiat vnum formalitèr, nempè vniversale, ità æquivalentia, vel diversa connotata &c. est fundamentum ad hoc, vt plura fiant formaliter, quæ sunt idem realitèr. Sed quià per esse idem formaliter, ac proindè per identitatem formalem, & rationis inter duo solet significari, nec per rationem posse distingui vnum ab alio, & esse vnum de essentia, & quidditate metaphysica alterius. Respondetur secundò: concedo antecedens, & nego consequentiam, & paritatem. Ratio: quià duo esse plura realitèr vt *homo, & equus*, & non solùm non esse realitèr plura, sed nec per rationem posse distingui, vnumvè esse de essentia alterius, repugnat, ac proindè sine fictione nequeunt identificari formaliter, quę realitèr sunt distincta; ast verò esse duo realitèr vnum, & quià gaudent distinctis definitionibus, vel ęquivalent realitèr rebus distinctis concipi inadæquatè vnam scilicèt formalitatem sine alià, quod est formalitèr distingui, nullam repugnatiam involvit.

16. Objicies secundò: si ratione æquivalentiæ ponerentur in Deo plura attributa distincta, idem attributum ratione eiusdem deberet in plura multiplicari, cum idem attributum pluribus, imò & infinitis ęquivaleat, vt scientia visionis v. g. pluribus, vel infinitis cognitionibus creatis circa infinita obiecta. Confirmatur: apprehendere possum per vnam cognitionem, in Deo *esse scientiam de animali.* Et rursùs per aliam esse *scientiam de rationali simul.* Ecce per hanc secundam mediam cognitionem plus dico, & cognosco, quàm per primam

mam. Plus etiam, dum dico: *Deum posse hominem producere cum oculis*, quàm dum præcisè dico: *Deum posse hominem producere*. Item possumus concipere *volitionem Dei vt tendentem in obiectum indifferens*, quin concipiam, vt vlterius referentem illud ad finem honestum, cum volitio divina æquivaleat, & nostris volitionibus indifferentibus, & etiam honestis, quod plus est. Ex quo deducitur primò: in Deo dari scientiam confussam, & præscisivam. Secundò: potentiam imperfectam, & mancam. Tertiò: actus indifferentes in individuo. Vel si non dantur, non sufficere rationes à nobis allegatas pro multiplicatione formali attributorum.

17. Respondeo: distinguo sequelam: idem attributum debetur in plura multiplicari; in plures formalitates, transeat: in plura attributa, seù perfectiones Dei proprias, nego. Certum est, per æquivalentiam ad plura vt plura dividi formalitates; ac proindè in scientia visionis per æquivalentiam ad cognitiones creatas circa plura, & diversa obiecta dividi, & distingui plures formalitates; sed falsum est, dividi, & distingui plures scientias visionis, seù plures perfectiones divinas quà tales, ac proindè nec plura attributa ex vno attributo dividi, & fieri, adhuc per mentem. Vndè, vt ponatur in Deo aliqua perfectio propria Dei formaliter distincta ab aliâ, debet in suâ lineâ, & imperfectionem non claudere, & claudere omnem perfectionem suæ lineæ. Hinc est,

18. Et confirmationi satisfacio, quod in Deo non dentur scientia præscisiva, potentia manca, neque actus indifferens in individuo: quià licèt scientia de animali, & simul rationali addat aliquid novum supra cognitionem de animali tãtùm, ac proindè possit dividi in duas formalitates, ex quibus vna sit cognitio animalis, & alia cognitio animalis rationalis, nihilominus cognitio solius animalis præscisiva, non esset cognitio digna Deo, neque in ipso vt propria Dei ipsius collocanda. Idem dic de potentia productiva hominis comparatione potentię productivæ hominis cum oculis, & de actu voluntatis tendente in obiectum indifferens pręscĩndens à motivo honesto, qui licèt distinguantur formaliter; non tamen vt perfectiones propriæ Dei, sed vt rationes communes, & differentiales.

19. Replicas: ergo saltem si ponatur aseitas, poterit dividi formaliter cognitio divina circa hominem in cognitionem animalis à se, & cognitionem rationalis à se, tanquam in perfectiones proprias Dei; cum illa differentia aseitatis, sit propria Dei perfectio, & non communis creaturæ.

20. Respondeo: nego consequentiam: nàm licèt per aseitatem approprietur cognitio Deo, sitque infinita, ast aseitas formaliter est extra lineam cognoscendi: prædicatum

catum enim, seù perfectio apponenda in Deo, debet esse propria ipsius per differentiam suæ lineæ, & in sua linea, non verò per lineam, & differentiam extraneam. Linea ergo, & differentia propria Dei intra lineam cognitionis, non est aleitas, sed prædicatum: *Omnicomprehensivum*: qualis non esset ea confusa cognitio, & præscisiva solius animalis, & non rationalis, quapropter à Deo est relleganda.

21. Obijcies tertiò: & si Deus cognoscatur ad instar, seù per speciem corporis, adhuc nec ratione nostra dicitur *corpus*: neque quià cognitio nostra est accidens, ideò dicitur, in Deo dari ratione nostra accidens: ergo nec distinctio ratione nostrà, etiàm si hæc sit distinctio, & præscisio formalis.

22. Respondeo: quod sicut Deus etiam si nec dicatur corpus, aut accidens ratione nostrà, nihilominus dicitur juxta omnes *cognitus, & visus* à visione, & cognitione nostra, ità & *distinctus* ratione nostra; cum esse distinctum ratione nostra, nil aliud sit, quàm esse *taliter cognitum,* scilicèt per cognitionem inadæquatam, & ideò non attingentem obiectū secundum adæquatum, quod dicit, sed solùm secundum inadæquatum; Deum v.g. solū secundum quod est *Omniscius*, & non secundum quod est *Omnipotens*: vndè Omnipotentia ab omniscientia formaliter distincta dicitur. Concesso igitur antecedenti: nego consequentiam, & paritatem. Ratio est, quià distinctio formalis, nihil ponit in re, nec est necessum concipere positivè aliquid, quod non est in Deo, sed non concipere totum, quod est. Ast verò vt diceretur corpus, aut accidens, opus esset concipere ex parte obiecti positivè rationem corporis, & accidentis. Et hinc licèt admittam, intellectum distingui formaliter ab intellectione; non tamèn intellectum esse actum primum ratione nostrà, & intellectionem actum secundum.

23. Obijcies quartò: infinita sanctitas nullum peccatum, adhuc ratione nostrà, permittit in Deo: ergo nec infinita identitas aliquam distinctionem ratione nostrà. Consequentia probatur. Nàm si distinctio, eo quod sit ratione nostrà, non est positivè imperfecta, peccatum vtique, si sit ratione nostra, non erit positivè imperfectum.

24. Respondeo: quod cum distinctio ratione nostrà non ponat in obiecto aliquid, sed tota se teneat ex parte actùs inadæquatè attingentis obiectum, non arguit aliquam positivam imperfectionem in ipso obiecto, sed si aliqua datur, est imperfectio actùs positivi, & indæquati; vt autem poneretur peccatum ratione nostrà in Deo, hoc deberet in ipso Deo apponi, ac proindè moralis, & positiva imperfectio. Cognitio enim solùm confert objectis esse cognita, esse distincta formaliter, reliqua vel invenit in obiectis, vel fingit.

Obij-

25. Obijcies quintò: quod est idem realitèr, non plurificatur, eo quod terminet diversas actiones, diversavè accidentia inadequata: ergo neque ex eo, quod terminet diversas cognitiones.

26. Respondeo: concedo antecedens; & distinguo consequens: non plurificatur realitèr, concedo: formaliter, nego. Sicut enìm ex terminatione diversarum actionum & accidentium non multiplicatur realitèr entitas terminans; ità nec ex terminatione diversarum cognitionum, sed eadem entitas diceretur bis, ter, quatervè cognita. Ast verò cum nec actiones, nec accidentia sunt præscisiva, non multiplicant formaliter entitatem. Cognitio verò cum ità sit, si inadæquatè attingít obiectum, illud formaliter, & ratione nostra multiplicat.

27. Obijcies sextò: simplicitas est perfectio, ac proindè Deus est realitèr entitativè simplex: ergo perfectior esset, si non solũ realitèr, verũ n& formaliter esset simplicissimus. Sic Omnipotentia, non solũ realitèr, verũ & formalitèr est virtus productiva omniũ posibilium, quià infinita est; sed quęcumque perfectio est infinita: ergo nullà debet, adhuc formaliter, perfectione carere, ac proindè à nulla formaliter etiam perfectione debet distingui: ergo & esse adhuc formaliter simplicissima, omnem distinctionem excludens.

28. Respondeo: simplicitatem realem esse perfectionem, cum excludat omnem realem compositionem, & potentialitatem; non verò simplicitatem virtualem, imò è contra non simplicitas virtualis est perfectio, cum sit æquivalentia rebus realiter distinctis, ratione cuius non simplicitatis, seù multiplicitatis virtualis, & imbecillitatis nostri intellectùs impotentis exhaurire vno haustu, & conceptu totam perfectionem Divinam, attinguitur vna, & non alia, & idèo vna ab alià distinguitur: quod non argueret, vnam perfectionem carere alià, sed solùm concipi sine alià, imperfectione totà se tenẽte ex parte intellectùs cõcipientis. Omnipotẽtia ergo nõ solùm realiter, verũ & formaliter est potẽtia productiva omnium posibilium, quià hæc est essentia metaphysica ipsius Omnipotentiæ, à quà nequit præscindi. Ast verò ipsa Omnipotentia potest concipi vt infinitè perfecta in sua linea, quin concipiatur vt volitio, seù justitia, sed potius ab ipsis præscissa, & distincta.

29. Obijcies septimò: quandò distinguimus ratione nostrà misericordiam à iustitia, vel concipimus misericordiam secundum se, vel concipimus misericordiam divinã? Si primum: ergo misericordia, quæ est in Deo, non distinguitur à justitia, sed alia misericordia abstracta, quę etiam realiter distinguitur. Si secundum, misericordia Divina etiam est justitia, Omnipotentia, & aliæ perfectiones: aliàs iàm talis misericordia non esset æqua-

qualis alijs perfectionibus Divinis. Item nec esset ratione nostrà Deus, nec creatura.

30. Respondeo: cum distinguimus misericordiam à justitia, non loquimur de misericordia vt sic, quæ quidem sic accepta, nec esset positivè æqualis reliquis attributis Divinis, nec esset positivè Deus, aut creatura, sed præscinderet ab vtroque: sed de misericordia Divina, quę vt sic includit formaliter omnem perfectionem posibilem suæ lineæ, non verò aliarum linearum, ac proindè non est formaliter justitia, Omnipotentia, &c. est tamen æqualiter, & ęquivalenter talis, nam hæc virtualitas, & æquivalentia ad alias perfectiones, est perfectio suæ lineę, ac proindè est formaliter æqualis. Sed de hoc latiùs suo loco.

31. Objicies octavò: intellectus nequit immutare naturas rerum: ergo neque distinguere ea, quę ante quamcumque eius operationem indistincta sunt.

31. Confirmatur: inducere pluralitatem, ubi pluralitas non est, est immutare naturas rerum. Inducere distinctionem, ubi distinctio non est, est inducere pluralitatem, ubi non est pluralitas: ergo distinguere attributa Divina, quæ in se nec pluralitatem, nec distinctionem habent, est immutare naturas rerum.

33. Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Distinguere namque formaliter vnum ab alio, solùm est cognoscere obiectum inadæquatè, & conferre illi denominationem extrinsecam *inadæquatè cogniti*. Et cum ipsum obiectum gaudeat virtuali distinctione, vel propter æquivalentiam, vel ob diversa connotata, fit hoc cum fundamento in re. Neque hoc est inducere pluralitatatem intrinsecam, neque distinctionem obiecto, sed præscindi vnum ab alio. Et vt clarè rem concipias: sicut non implicat, quod in aliqua pictura exprimam Divinam providentiam, per aliquod hieroglyphicum, quin exprimam immensitatẽ, nec ideò induco aliquam pluralitatem, aut distinctionem inter ipsas, nec naturam immuto; ita nec implicat, quod per intellectum repræsentem justitiam sine misericordia. Quo manet soluta confirmatio.

34. Objicies nonò: cum intellectus concipit justitiam Divinam, concipit id, quod in Deo est; sed in Deo idem est justitia, ac Omnipotentia: ergo, qui concipit justitiam Divinam, concipit in Deo Omnipotentiam; ac proindè hæc nequit ab illa distingui.

35. Respondeo distinguendo maiorem: concipit id, quod in Deo est adęquatè, nego: inadęquatè, concedo: & distinguo minorem: idem est justitia, ac Omnipotentia realiter actualiter, concedo: realiter virtualiter, nego, & nego consequentiam. Ex hac enim inadæquata cognitione consurgit distinctio

ctio illa, quæ solùm est denominatio quædam extrinseca, & non repugnans obiecto, cui, sicut non repugnat esse cognitum, ità nec esse taliter cognitum, quod est idem, ac distinctum.

36. Obijcies decimò: distinctum nequit realitèr identificari cum non distincto: aliàs de eodem verificaretur: *esse distinctum, & non esse distinctum*; sed justitia ratione nostrà est distincta ab Omnipotentia, & Omnipotentia est nō distincta ab Omnipotentia: ergo vel Omnipotentia non est ratione nostrà distincta à justitia; vel realitèr non identificata cum justitia.

37. Confirmatur: justitia non est ratione nostrà distincta à justitia. Iustitia est ratione nostrà distincta ab Omnipotentia: Omnipotentia, & justitia sunt idem: ergo de eodem verificatur duplex contradictorium; distingui scilicèt, & non distingui.

38. Respondeo: distinguo maiorem: distinctum nequit realitèr identificari cum non distincto. Distinctum realitèr cum non distincto realitèr, concedo: distinctum formaliter cum non distincto realitèr, nego. Et distinguo minorem quoad secundam partem: & Omnipotentia est non distincta ab Omnipotentià tàm realitèr, quàm formaliter, concedo: realitèr tantum, nego: & nego consequentiam. Omnipotentia nec realitèr, nec virtualitèr, nec formaliter distinguitur ab Omnipotentià, vndè in nullo sensu vero potest verificari de ipsà, quod distinguatur, & non distinguatur. Justitia verò licèt sit realitèr idem cum Omnipotentia, non tamen est idem virtualiter, nec formaliter cum ea: vndè absque vlla contradictione potest verificari de ipsa: esse distinctam, & non esse distinctam: esse formaliter distinctam, & realitèr non esse distinctam, sed esse idem. Quo cessat confirmatio: nam distingui, & non distingui justitiam ab Omnipotentia non est contradictio, cum tota propositio, & sensus propositionis mutetur.

39. Obijcies vndecimò: maiorem vim habet identitas, quàm similitudo ad impedienda prædicata opposita; sed vbi datur omnimoda similitudo, eadem prędicata tàm physicè, & realitèr, quàm formaliter, & intentionaliter debent reperiri, & prædicari: ergo idem, vbi datur identitas; sed inter attributa divina identitas reperitur: ergo repugnat, quod de eis dicatur: esse distincta, seù non esse idem, etiam formaliter.

40. Respondeo: concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam, quæ non deducitur: nàm in maiori non apponitur omnimoda similitudo, sed similitudo tantùm, quà cum optimè componitur aliqua dissimilitudo, vt videre est in homine, & bruto, in quibus datur similitudo, & dissimilitudo: ità cum identitate reali componitur distinctio formalis: in minori verò apponitur *omnimoda*. Appone ibi omni-

nimodam identitatem, & dabitur paritas. Nàm sicut cum omnimodâ similitudine, nulla est dissimilitudo, ità cum omnimodâ identitate, nulla est distinctio. Sed negatur, inter attributa divina dari omnimodā idétitatem, cum solùm detur identitas realis, & distinctio virtualis, & formalis: vndè optimè verificatur de attributis: identificari, & distingui.

41. Objicies duodecimò: si attributa distinguerentur formaliter inter se, in divinis daretur ad minus compositio metaphysica; sed in Deo ex prędicatis divinis, repugnat compositio metaphysica: ergo.

42. Sequela maioris controversa est inter DD. eam distinctionem admittentes; ideoque eget examine: an supposita hac distinctione formali debeat admitti compositio metaphysica inter attributa, & perfectiones divinas, sicut & eodem modo, ac admittitur distinctio? Pro quo sit

QVÆSTIO VI.

AN REPVGNET, DETVRVE IN *Deo compositio metaphysica, & per rationem?*

1. PRIMA sententia tenet: talem compositionem repugnare, etiàm data distinctione. Ità Thomistæ omnes: ex nostris Phasol. Amic. Granad. & Arrub. his adde Gibbon. tom. 1. d. 8. dub. 3. num. 5.

2. Secunda sententia, eam metaphysicam compositionem non repugnare, statuit. Ità communiter nostri DD. sequuti Schotistas, Vazquez Egid. Lusit. Alarc. Vecanum, & alios. Item Arriaga tract. de Deo. disp. 2. sect. 8. subsect. 3.

3. Non dari realem compositionem, nec inter Naturam, & attributa, nec inter Naturam, & relationes, nec denique inter perfectiones, & attributa inter se de fide certum est definitum in Concilio Lateranense sub Innocentio III. cap. *firmitèr de summa Trinitate* Et in cap. *Damnamus §. Nos autem.* Ratio est: quià compositio realis est realitèr distinctorum vnio; sed Deus non distinguitur realitèr ab eo, quod est Deus: ergo Deo repugnat compositio realis. Alia vide apud P. Granad. dis. 3. Quæstio ergo vnicè reducitur ad compositionem metaphysicam, & per rationem.

4. Dicendum: *Non repugnat in Deo compositio metaphysica, & per rationem.* Probatur: quià ideò repugnat compositio realis, quià hæc argueret distinctionem realem inter essentiam v. g. & attributa; sed compositio rationis solùm argueret distinctionem rationis inter essentiam, & attributa: ergo inter illa non repugnat compositio rationis. Et huius ratio est: quià adversarij inter quos P. Amic. & Granad. inter essentiam, & attributa concedunt distinctionem rationis: ergo & debent concedere compositionem

nem rationis, quàm immeritò negant. Probatur tamen consequentia: eo modo debet admitti compositio, quo admittitur distinctio; sed isti DD. admittunt inter essentiam, & attributa distinctionem rationis: ergo & debent admittere compositionem rationis. Quià sicut non est imperfectio in Deo, quod intellectus noster per inadęquatos conceptus concipiat vt distincta essentiam, & attributa, quæ à parte rei sunt eadem indivisibilis realitas: ità non est imperfectio in Deo, quod intellectus noster per inadęquatos conceptus concipiat Deum, vt compositum ex essentià, & attributis. Et sicut dum concipitur distinctio rationis, tota imperfectio se tenet ex parte nostri intellectùs limitatè, & inadęquatè concipientis Deum, qui modus concipiendi Deum potiùs arguit summam eius perfectionem; ità etiam, dum concipitur compositio rationis, tota imperfectio se tenet ex parte nostri intellectùs non valentis nisi limitatè, & inadæquatè concipere Deum.

5. Confirmatur: secundum PP. Amicum, & Granad. essentia distinguitur ab attributis, & attributa inter se ratione ratiocinatà: ergo ratione ratiocinatà datur vnum, & aliud. Tùnc sic: vbi dantur vnum, & aliud, dantur multa; sed vbi per rationem dantur multa, & aliàs sunt, & fiunt vnum, potest concipi compositio per rationem: ergo cum essentia divina, & attributa, tùm comparata cum essentià, tùm comparata inter se côcipiantur vt multa per rationem, & sint vnum, possunt concipi vt componentia per rationem.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESPONDETVR.

6. Objicies primò, ad compositionem rationis requiri, vt vnum non includatur in alio: cumque attributa includantur in essentià, & hęc in attributis; indè est, quòd inter illa repugnet compositio rationis.

7. Contra: inclusio vnius in alio per vos non tollit distinctionem rationis: ergo nec tollit compositionem rationis: ergo sicut vos componitis inter essentiam, & attributa vnum, & aliud, & vnum non esse aliud per rationem, non obstante mutuà inclusione vnius in alio; & si ad compositionem rationis, est incommoda mutua inclusio vnius in alio; cur similitèr incommoda non erit ad distinctionem rationis?

8. Objicies secundò, ex distinctione hac inter attributa nō colligi compositionem rationis inter illa, & essentiam: nàm ens distinguitur per rationem à suis differētijs, & tamen cum illis non facit compositionem: ergo nec essentia cum attributis per rationem distinctis.

9. Nullo modo hæc solutio enervat vim argumenti: quia ideò inter ens, & diferentias non datur com-

compositio, quià ea distinctio, quæ datur inter illa, non est mutua, quià licèt ens distinguatur per rationem à differentijs; istæ tamen non ità distinguuntur ab ente. Atqui hæc ratio non militat inter essentiam, & attributa divina, nec inter attributa inter se comparata: ergo non benè desumitur paritas exemplo entis respectu differentiarum. Probatur minor: ipse Granad. tract. 2. disp. 6. num. 5. constanter propugnat, divina attributa mutuò, & ab essentià distingui: ergo stat benè, quod licèt inter ens, & differentias non detur compositio propter deffectum distinctionis mutuę, detur nihilominus intèr essentiam, & attributa, cum inter illa detur mutua distinctio: ergo eo modo, quo datur distinctio rationis, poterit & dari compositio rationis, non dum enìm assignatur discrimen, cur possit dari distinctio, secus verò compositio. Prętereà: falsum est, inter ens, & differentias non dari compositionem, quià vt dixi in metaphysica, facit compositionem non mutuam, & imperfectam, sicut distinctio, quæ datur, est non mutua, & imperfecta: ergo exemplum de ente respectu differentiarum non est ad rem.

10. Assignat iàm P. Granad. discrimen tractatu illo 2. disp. 3. n. 7. Ideò scilicèt repugnare præfatam compositionem inter attributa Divina, quià ad compositionem requiritur distinctio duorum, quorum neutrum sit de essentià alterius, quod non verificatur de attributis inter se, nec de illis comparatis cum essentià, cum ad invicem sint sibi essentialia: ergo stat benè, inter illa dari mutuam distinctionem rationis, non tamèn compositionem rationis, cum deficiat requisitum talis compositionis.

11. Certè non capio, quomodo hic sapiens Theologus, semel admissà distinctione rationis ratiocinatæ inter attributa Divina, neget compositionem rationis inter illa. Impugno solutionem: quod vnicè requiritur per te ad compositionem rationis inter attributa Divina, est, quod neutrum sit de ratione alterius, v.g. quod misericordia non sit de essentià justitiæ, nec justitia de essentià misericordię; sed neutrum attributum ex assignatis est de essentià alterius: ergo potest dari inter illa compositio rationis. Probatur minor: Ideò animalitas, & rationalitas non sunt invicem de essentià alterius, quià mutuò ratione ratiocinatà distinguntur; atqui iuxta P. Granadum inter justitiam, & misericordiam; (& idē est inter essentiam, & attributa) datur mutua distinctio ratione ratiocinatà: ergo neutrum attributū est de essentia alterius: quomodo ergo potest de essentià alicuius esse id, quod ab alio distinguitur? Quarè meritò dixit Arriaga, hoc ità esse clarum, vt explicatis terminis à nemine possit negari.

12. Prætereà, P. Grand. eodem fundamento, quo negat compositionem

positionem rationis inter attributa Divina, negare debet distinctionem rationis. Ideò enim negat compositioné rationis, quià quodlibet attributum est de essentiâ alteriûs, seù quià omnia attributa mutuò formaliter se includunt; sed hoc fundamentum etiam evertit distinctionem rationis, nàm quod formaliter est de essentiâ alicuius, seù quod idem est, & mutuò formaliter includitur in illo, non distinguitur ratione ab illo: ergo P. Granad. negans compositionem rationis inter attributa Divina, debet etiam negare inter illa distinctionem rationis, vel si illam admittit, admittere debet compositionem rationis.

13. Quapropter existimo, Granadum negare compositionem rationis, in eô sensu, in quô negat distinctionem rationis, & talem compositionem cōdere in eo sensu, inquo admittit distictionem rationis; negat ergo compositionem rationis inter attributa Divina, eo quod mutuò includantur, quæ inclusio importat rationem impliciti, hoc est, quod justitia secundum implicitum est misericordia, & sic de reliquis attributis, & è converso; & in hoc sensu negat etiam distinctionem, vt colligitur ex solutionibus, quas adhibet argumentis P. Vazquez cōtendentis refellere mutuam attributorum inter se, & cum essentiâ inclusionem. Quoad explicitum verò cum justitia non sit expresiva misericordiæ, neque è converò; existimo, in hoc sensu non negare compositionem rationis, cum attributa juxta prædictum sensum mutuò se excludant, cum explicitum vnius non sit explicitum alterius, & in hoc sensu admittit mutuam distinctionem, cum hæc non possit cadere inter attributa, & id, quod implicitè important, cum inter id, quod est formalitèr essentiale, & illud, cui est essentiale, non sit assignabilis distinctio cum fundamento in re, & quæcumque assignetur, citra dubium erit ex vi cognitionis fingentis.

14. Obijcit P. Amicus disp. 5. num. 14. si ratione ratiocinatâ daretur compositio inter attributa Divina, esset imperfecta; sed repugnat imperfectio in Deo: ergo compositio rationis illam essentialitèr involvens. Probatur maior: mutua divisio partium intentionalitèr componentium, est imperfectio; sed compositio rationis essentialitèr importat mutuam divisionem partium componentium: ergo talis compositio dicit imperfectionem. Probatur maior: ex vi divisionis mutuæ partium componentium, quælibet pars manet obiectivè distincta ab alterâ; sed pars, quæ manet obiectivè distincta ab alterâ, est imperfecta; ergo talis mutua divisio partium, seù attributorum intensionalitèr componentium, dicit imperfectionem. Probatur minor: quod concipitur per rationem limitatum tantùm ad vnam perfectionem, excludendo per-

fe;

fectionem tàm partis componentis, quàm totius constituti, dicit imperfectioné; sed eò ipso quod vna pars maneat obiectivè distincta ab alterâ, vna pars per rationem cócipitur limitata tantùm ad vnam perfectionem, excludendo perfectionem tàm partis componentis, quàm totius constituti per vtramque partem: ergo, &c.

15. Respondeo negando minorem; ad cuius probationem distinguo maiorem: mutua divisio partium intentionalitèr componentium est imperfectio in obiecto, nego maiorem: est imperfectio in nostrâ cognitione inadæquatè tendente in obiectum ob sui limitationem, concedo maiorem. Imperfectio ergo tota quanta est, se tenet ex parte nostræ cognitionis in modo tendendi per divisionem, sivè compositionem, quod quidem non est ponere, aut concipere imperfectionem in Deo, sed solùm denotat, nostrum intellectú nó concipere totalitèr, & adæquatè perfectioné cóvenieté re ipsâ Deo; ex quo modo tendendi nostri intellectûs nulla accrescit imperfectio ipsi obiecto, licèt denotet, nostram cognitionem esse imperfectam, & in adæquatam, quod potius arguit summam perfectionem in Deo, qui cú sit vnus in se, non potest attingi à nostrâ cognitione ob suam limitatam conditionem, nisi multiplici conceptu, & quantò magis conatur noster intellectus Deú expresè cognoscere, tantò magis multiplicat conceptus propter summam perfectioné obiecti, in quod tendit, & propter imperfectionem, quam ex parte sui modi tendendi habet.

16. Et certè argumentum est contra ipsum Amicum, & ab ipso solvendum, cum admittat distinctionem obiectivam intèr essentiam Divinam, & attributa, & inter attributa inter se comparata. Nam si ideò existimat compositionem rationis dicere imperfectionem repugnantem Deo, quià importat mutuam divisionem partium intentionalitèr componentium, vi cuius manet vna pars obiecti distincta ab alterâ, & sic concipitur limitata tantùm ad vnam perfectionem, excludendo perfectionem tàm alteriùs partis componétis, quàm totius constituti: hoc totum etiam infertur ex eâ distinctione obiectivâ attributorum inter se; & omnium ab essentiâ, nam ex vi distinctionis obiectivæ manet essentia obiectivè distincta ab attributis, & vnum attributum obiectivè distinctum ab alterò: ergo mutua divisio attributorum intentionalitèr obiectivè distinctorum est imperfectio. Consequentia est contra Amicum: verùm rectè ad hominem contra illum infertur. Si tamèn dicat, eam distinctionem non dicere imperfectionem in Deo, licèt vi illius vnum attributum maneat obiectivè distinctum ab aliò; eodem, & meliori iure dicam ego, mutuam divisionem partium intentionalitèr componentium non esse im-

imperfectionem in obiecto.

17. Inculco rursùs, & interrogatum volo Patrem Amicum; an eô ipso, quod vnum attributum obiectivè distinguatur ab aliô, maneat vnum attributum limitatum tantùm ad vnam perfectionem excludendo perfectionem alteriùs attributi obiectivè distincti? Si ità limitatum manet: ergo repugnat distinctio rationis obiectiva intèr attributa Divina, quod est contra Amicum. Si non manet limitatum, vel manendo limitatum, nullam ponit imperfectionem in obiecto: ergo paritèr ex vi mutuæ divisionis partium intentionalitèr componentium, non manebit limitatum, vel si maneat determinatum ad vnam tantùm perfectionem, nullam apponet in obiecto imperfectionem, cum hæc tantùm sit penès nostram cognitionem multiplicãtem conceptus, quantò magis conatur attingere Deum: quod potius, vt dixi, summam arguit perfectionem Dei.

18 Obijcies tertiò: si essentia Dei concipiatur vt quid constitutum, & compositum ex attributis, non erit actus purus, sed potentialis: cum sic concepta, non sit consumãta perfectio, sed potiùs inchoata, vtpotè non dicens formalitèr intra lineam essendi vltimam actualitatem, & perfectionem nempè attributa, quæ vtpotè componentia dicunt prioritatem, & posterioritatem: ergo &c.

19. Respondeo primò: idem argumentum esse solvendum ab Adversarijs admittentibus essentiam Divinam distictam ab attributis: tunc enìm essentia Divina non dicit vltimam actualitatem, & perfectionem intra lineam appetendi, v.g. actualitatem volitionis, & tamèn hoc conceditur ab Adversarijs absque imperfectione in obiecto: ergo pariter potest idipsum contingere ex vi compositionis rationis.

20. Respondeo negando sequelam: quià intellectus tendens in Deum præscisivè, & sic ratione componens, non concipit ex parte obiecti negationem, vel carentiam obiectivam identitatis cum attributis, & sic ex parte obiecti nullam concipit potentialitatem, vel imperfectionem obiectivam, sed dumtaxât ex modo tendendi imperfectè concipit essentiam, ità vt per cognitionem tendentem in essentiam non exprimat attributa, quæ per aliam cognitionem imperfectè concipit, vt componẽtia. Vndè essentia non est inchoata perfectio in se, sed in nostrâ cognitione, eò quod dum exprimit essentiam, non est plena, & vltimata repræsentatio, sed inchoata. Quando verò cognoscit essentiam, & attributa, videtur obiectû componi in nostrâ cognitione, ex quô nulla resultat imperfectio ipsi obiecto, vt satis dictum est.

21. Obijcies quartò: hinc sequi, essentiam Divinam esse per rationem, seù metaphysicè perfectibilem: ergo est imperfecta cum

id, quod supponitur perfectibile, sit imperfectum; cum enim aliquid componitur, dicit vltimò actuari per partes componentes: ergo per illas perficitur, & completur.

22. Respondeo primò: hoc argumentum solvendum esse ab Adversarijs admittentibus ratione distinctam essentiam Divinam ab attributis: & sicut ratione distinctionis externæ non sequitur, essentiam Divinam esse metaphysicè perfectibilem, quià distinctio præscissiva non ponit negationem, nec carentiam obiectivam identitatis intèr essentiam, & attributa Divina: ità etiam ratione compositionis externæ, non sequitur, essentiam Divinam esse metaphysicè perfectibilem, quià compositio externa proveniens ab imperfecto modo tẽdendi nostræ cognitionis, non ponit carentiam identitatis intèr essentiam, & attributa. Et certè omnia argumenta, quæ fieri possunt contra compositionem rationis infringuntur in distinctione rationis.

23. Respondeo secundò; distinguo sequelam: sequeretur, esse perfectibilem extrinsecè ex modo nostro concipiendi, concedo: intrinsecè, & ex parte obiecti, nego. Ex eô ergo, quod nostra cognitio tendat in essentiam, tribuendo illi denominationem extrinsecam *compositæ*, solùm infertur, essentiam Divinam esse perfectibilem in cognitione nostrâ, quatenùs potest à nobis cognosci per cognitionem magis expressivam essentiæ in coniunctione cum attributis: non tamèn infertur, Essentiam Divinam in se, intrinsecè, & obiectivè esse perfectibilem. Et ratio est: quià iste modus cognoscendi, tribuendo Essentiæ denominationem extrinsecam *compositæ*, non arguit, ipsam Essentiam perfici, sed dumtaxàt nostrũ intellectũ perfici per expressiorem repræsentationem Essentiæ Divinæ in ordine ad diversa attributa cognitæ. Hæc solutio colligitur ex D. Thoma quæst. 13. de veritate, art. 1. ad 10. Consonat etiam Doctissimus Lumbier. tract. de attributis. quæst. 6. art. 3. vbi benè probat, compositionem ex genere, & differentiâ non repugnare Deo per adæquatos nostros conceptus, & in num. 236. optimè ait: possibilitatem, aut perfectibilitatem non esse obiecti cogniti, sed potius cognoscentis, & sic non intrinsecè pertinentem ad Deum, sed extrinsecè ex solo modo cognoscendi nostro confusso cum facultate contrahendi. Consule illum, & Arriagam supra laudatum.

24. Obijcies quintò cum P. Amico à num. 20. compositio rationis non se tenet ex parte intellectûs, sed ex parte objecti, secùs verò distinctio: ergo stat benè concipi in Deo distinctionem perfectionum, non autem compositionem rationis. Et ratio est, quià multiplicitas rationum se tenet ex parte nostræ cognitionis, suppositâ in Deo eminentiâ perfectionis; compositio verò rationis, est vnio, & hęc se habet

bet ex parte vnitorum.

25. Respondeo: negando antecedens. Quià sicut cognitio presscissiva inadæquatè cognoscens objectum, confert objecto denominationem extrinsecam inadęquatè cogniti, atque adeò denominans vnum attributum ratione distinctum ab alio ex speciali modo tendendi cognitionis inadæquatæ; ità etiam nostra cognitio confert objecto denominationem extrinsecam compositi per rationem, quià cognitio nostra dicitur componens, copulans &c. quià ex modo tendendi est intentionalis divisio, compositio, copulatio objecti ex speciali modo tendendi. Et ratio, cur cum fundamento, & citra fictionem sit communicabilis objecto compositio rationis à cognitione inadæquatâ, est: quià prædicatum compositionis per rationem, sufficienter salvatur in denominatione reali extrinsecâ intentionali tribuente hanc denominationem extrinsecam ex speciali modo tendendi in objectum, sicut propter hanc rationem admittitur prædicatum *distincti per rationem.*

***

QVÆSTIO VII.

VTRVM ATTRIBVTA DIVINA sint formalitèr æqualia, vel inæqualia inter se?

1. PRIMA sententia tenet, esse formalitèr inæqualia, tàm ipsa, quàm actus, & perfectiones Dei. Ità Arriaga tom. 1. in 1. partem disp. 27. sect. 4. Martinon disp. 3. de Deo sect. 10. Eryce. Recupitus, Gilius, Ripalda tom. 2. de Ente supernaturali disp. 74. n. 71. P. Avendan. tom. 1. problem. sect. 2. problem. 2. §. 2.

2. Secunda sententia tenet: esse omninò æquales omnes perfectiones, actus, & attributa divina. Ità Exim. D. Granad. Ruiz. vterque Lugo apud P. Leonard. disp. 29. de Trinitate. n. 6. Quiros disp. 18. sect. 4. Aldrete disp. 1. de visione sect. 4. num. 21. & alibi; licèt nō conveniant in assignandâ ratione æqualitante divinas perfectiones.

3. Tertia sententia tenet, attributa divina esse æqualia implicitè, & inæqualia explicitè. Ità P. Izquierd. & Magister Genet tom. 1. disp. 3. de attributis §. 3. num. 37. qui re ipsâ à secundâ sententiâ non dissident.

4. Quarta sententia astruit: perfectiones divinas formales, neque esse æquales, neque inæquales. Ità Sapientissimus P. Franciscus de la Mass, in suo aureo, & adamante digno tractatu de Incarnatione, quem

quem PP. Moderni sequuti sunt.

SECTIO I.

IVDICIVM DE HAC VLTIMA OPInione, vbi an ad æqualitatem, & inæqualitatem sufficiat formalis distinctio?

5. Licèt præcipuus quæstionis scopus, non sit hic, nec de eo ex professo agant DD. prælo dati; ad hoc tamen Nostrates manuscribentes præcipuum pondus disputationis inclinant, ideoque de hoc prius agam, vt tandem ad conclusionem deveniam.

6. Iudicat ergo nuper citatus Magister, omnia prædicata divina realiter inter se identificata formaliter positivè, nèq esse æqualia, nec inæqualia re, vel ratione nostrà, idemque generalitèr censet de omnibus prædicatis etiam creatis, quæ realitèr identificantur inter se. Asserit enìm, ad æqualitatem, vel inæqualitatem, requiri necessariò dualitatem realem intrinsecam, & obiectivam, ac proindè distinctionem similitèr realem intrinsecam obiectivam; sed inter prædicata realitèr identificata, similis dualitas, ac distinctio reperiri nequit: ergo neque æqualitas, vel inæqualitas. Item: non sufficere distinctionem formalem quià esse æquale, vel inæquale, est prædicatum primæ intentionis, & ex parte obiecti conveniens Deo, ac proindè independens à nostro modo concipiendi, consequentèrque nequit per intellectum non fingentem conferri.

7. Contra tamèn primò: quià reddit quæstionem de subiecto non supponente, ac proindè frivolam, & indignam gravissimis Thæologis, qui nunc vsque eam seriò pertractant, & sicu indignum esset seria disquisitione, notaque inserietatis inurerentur, qui disputarent: utrùm melius canat paries, vel schamnum? Quis melius loquatur Leo, an Vrsus? Quis è duobus cæcis perspicaciùs videat? Quià in supposito falso, illisque negando fundarentur, nempè schamnum, vel parietem canere, Leonem, vel Vrsum loqui, Cæcumque videre. Ità qui rogarent: vtrùm attributa divina sint formaliter æqualia, vel inæqualia, frivolè, & indignè loquentur, si eis debeat negari suppositum, quod sufficiat distinctio formalis ad æquale, vel inæquale.

8. Si dicas, quæstionem esse de supposito, sicut illæ: *Si potentiæ distinguerentur ab anima, an concurrerent immediatè ad actus vitales? Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, an distingueretur ab ipso?* Et aliæ similes, contra erit primò: ergo sicut qui in his quæstionibus negaret suppositum, nimirùm quod potentiæ distinguantur, vel quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, extra intentum quæstionum responderet: ità qui in hac negat suppositum ipsius: nimirùm quod ad æqualitatem, vel inequalitaté prædictas sufficiat formalis distinctio,

irrectè se habet erga ipsam. Contra secundò: quæstio non est de supposito falso, quod excercij gratiâ supponatur vt verum, sed de supposito, quod à DD. tenetur vt verum. Nàm in quæstionibus de supposito falso, in ipso quæstionis titulo solet apponi vt in asignatis: *Si Spiritus Sanctus non procederet* &c. sed in hac non apponitur suppositum in titulo: *Si distinctio formalis sufficeret ad æqualitatem* &c. sed absolutè inquiritur â DD. an scilicèt attributa divina sint æqualia, vel inæqualia? Ergo signum est, quod ab ipsis supponitur vt certum, talem distinctionem sufficere.

9. Contra tertiò: quià quæstio aliàs de re reducitur ad puras voces, omisso puncto, & intento quæstionis. Nàm punctum de re, & intentum quæstionis est: an perfectiones divinæ, quæ aliàs secundum se, & abstractè consideratæ, exceduntur ad invicem, præscindentivè ab excessu, vel non excessu, contractè sumptæ, & consideratæ, vt divinæ habeant aliquod prædicatum, per quod sint æquales inter se, vel non? Hoc omninò omittitur ab hoc Sapientissimo Magistro, & reducitur tota disputatio ad inquirendum: an ad has voces *æquale*, vel *inæquale* sufficiat, vel non distinctio formalis? Quod est purè de nomine.

10. Contra quartò: quià hoc est extrahere quæstionem à limitibus peculiaribus Theologicis ad talem vniversalitatem, vt possit pertinere ad Logicam, vbi inquiritur; an differentia sit perfectior genere? Ad Philosophiam, vbi disputatur de æqualitate, vel inæqualitate appetitûs materiæ erga formas. Ad metaphysicam, vbi de attributis entis poterat similitèr inquiri; an sint æqualia, vel inæqualia? & vniversalitèr ad omnia prædicata realitèr identificata, & solùm formalitèr distincta, dequibus idem poterat disputari. Ad quid ergo peculiaritèr hìc, nisi ad reddendam de nomine quæstionem aliàs vtilem, & gravem? In re tamèn de nomine

11. Judicio primo: *Ad æqualitatem formalem, & intrinsecam, & obiectivam non requiri distinctionem realem, sed sufficere distinctionem formalem.* Vndè ex hoc capite attributa divina possunt esse intrinsecè formalitèr, & objectivè æqualia. Statim tamèn dubitas: an hæc æqualitas inter prædicata realitèr identificata, v. g. attributa divina, esset dicenda realis, primò intentionalis, intrinseca, obiectiva; & denique independens ab intellectu? Suppono pro nunc (ne alijs implicemur) æquale secundum se, posse reperiri à parte rei, & independentèr ab intellectu præferente, & referente vnum alteri, quod tenui in tractatu de prædicamentis, licèt constituam relationem primi generis in actu intellectus referentis, & comparantis vnum alteri, nullatenùs confundens *simile*, aut *æquale formalitèr* cum *relato formalitèr*. Quod negant sapientissimi Recentes, quibus

buſcum convenio in concluſione abſolutâ, eis tamèn diſſentior in hoc, Ipſi namque confundunt *æquale formalitèr* cum *relato formalitèr*, Proindeque negant formaliter æquale à parte rei.

12. Dubitatio plura continet de nomine, ſed vt me expediam, mentem, & obſervationem laudati Magiſtri num. 71. audiatis. Ante ſolutionem (aït) libet obſervare, DD. qui tenent attributa, ſeù prædicata divina eſſe formalitèr æqualia, & pariter eos, qui negant eſſe æqualia, loqui de intrinſecâ, ſeù entitativâ inæqualitate perfectionis ob maiorem, vel minorem, perfectionem, & exceſſum vnius prædicati præ alio, eo quod v. g. intellectio divina ſit excedens immenſitatem, & ſervatâ proportione, aſſertores æqualitatis loqui de entitativâ, & intrinſecâ æqualitate, eo quod tantæ perfectionis ſit intellectio divina, quantæ eſt immenſitas. In quô ſenſu (ipſe loquitur) potiſsimum ab vtrâque recedo ſententià, licèt aliàs concederem inæqualitatem ratione noſtrà, ità vt denominatio *inæqualis* ratione noſtrà (idem dico de denominatione *æqualis* ſeù denominati me *excedentis*, & *exceſsi*) eſſet extrinſeca, & ſecundæ intentionis, ad modum, quô denominatio extrinſecè præciſivè diſtincti per rationem: nàm in hoc ſenſu nec DD. aſſirmantes æqualitatem, nec negantes eam minimè loquuntur, ſi quidem omnes illi pro ſua aſſertione v. g. ad probandam inæqualitatem deſumunt argumenta ex ipſis prædicatis, & perfectione eorum primò intentionalitèr; paritèr, qui è contra æqualitatem prædicatorum propugnant.

13. Hoc confirmat ex Cardin. de Lugo qui diſputatione 2. ſect. 5. acertimè impugnans inæqualitatem attributorum, ſolùm impugnat inæqualitatem objectivã, ſeù intrinſecam, & num. 94. fatetur in aliquo ſenſu dici poſſe perfectiones divinas inæquales ſecundum modum noſtrum concipiendi. Ità Cardin. qui tandem concludit de quæſtione, & inæqualitate; in hoc ſenſu non multum contendendum eſſe, dummodo perfectiones divinæ, etiàm vt virtualitèr diſtinctæ, habeant æqualitatem ſummam in perfectione intrinſeca.

14. Ex quo ipſe numero 73. concludit, quod licèt à parte rei, & piimò intentionalitèr ex parte objecti, vt contradiſtincti adæquatè à cognitione, atque adeò independentèr à cognitione noſtrà, dentur hæc prædicata *perfectionis, intellectionis divinæ perfectæ, immenſitatis divinæ* &c. hæ verò denominationes *æqualis, & inæqualis perfectionis, minùs perfecti, excedentis, exceſsi* &c. ſunt ad ſummum ſecundæ intentionis, à cognitione extrinſecè denominante, vel potius fingente, atque adeò, quod immeritò confunduntur cum perfectionibus divinis primò intentionalitèr ſumptis. His ſuppoſitis.

15. Judico etiàm: hanc æquali-

litatem divinarum perfectionum posteà probandam, posse dici *primò intentionalem intrinsecam, & obiectivam, & in aliquo sensu independentem ab intellectu, non tamèn omninò independentem ab illo*, vt perperàm infert citatus Magister: nàm id tantùm dicitur prædicatum secundò intentionale, quod aut fingitur ab actu intellectûs, vt videre est in ente rationis, aut provenit ab eo vt â formâ extrinsecè denominante, vt contingit in denominationibus *generis*, *speciei, cogniti, distincti per rationem* &c; sed quod volitio divina sit secundum suam intrinsecam entitatem, tàm perfecta, quàm est intellectio, neque est ens rationis fictum, neque provenit ab intellectu, vt à formâ extrinsecè denominante, à quà tantum provenit distinctio; non tamèn, quod volitio sit tàm perfecta: ergo. Probatur minor: nàm volitionem esse tàm perfectam, ac intellectionem, provenit ab eo, quod vtraque habeat prædicata eiusdem æstimationis, & valoris in existimatione prudentum; sed positâ distinctione formali inter vtramque, quod vtraque habeat prædicata eiusdem valoris, nempè prædicata infinitatis simplicitèr, & divinitatis, neque est quid fictum, neque proveniens ab actu intellectûs vt à formâ, vt per se patet: ergo.

16. Et hinc patet disparitas ab his prædicatis ad prædicata secundò intentionalia, qualia sunt *genus, species, præscisivè distinctum* &c. Nam hæc proveniunt immediatè, à cognitione, vt à formâ denominante: prædicatum verò *æqualis*, licèt dependeat ab intellectu distinguente formalitates, non tamen denominante. Vndè non tàm comparanda est denominatio *æqualis* cum denominatione *generis* cadente supra animal, & *differentiæ* cadente supra rationale, v. g. quàm cum principio sensationis, & principio ratiocinationis, supra quod cadunt. Nàm, sicut vt dentur seorsim principium sensationis, & principium ratiocinationis requiritur actus intellectûs vtrumque dividens formalitèr, & tamèn esse principium sensationis animal, & ratiocinationis rationale, est prædicatum primæ intentionis intrinsecum, & obiectivum; ità licèt, vt intellectio divina dicatur tàm perfecta, quàm volitio, ac proindè æqualis, sit necessarius actus dividens intellectionem à volitione: attamen, quod sint æquè perfecta, est prædicatum primæ intentionis intrinsecum, & obiectivum. Hinc dico, posse hanc denominationem dici aliquo modo independenté ab intellectu; hoc est, immediatè, cum ab ipso non mutuetur perfectio, quæ dicitur æqualis, non tamèn penitùs independens, cum necessaria sit distinctio inter perfectiones, & quod sint duę, vt dicantur æquales, & hæc distinctio vnicè provenit ab intellectu.

17. Vtrùm autem dicenda sit hæc ęqualitas *realis*, nec ne? est purè denomine. Lego, Sapientissimum

mum Neotericum appellare sine scrupulo realem: scio alios hoc renuere. Ego verò dicam; quod si per vocem *realis* intelligitur penitùs independens ab intellectu, neutiquam ità dicenda. Si verò solùm significetur, non esse secundò intentionalem, neque dependentèr ab intellectu immediatè, vel vt fingente, aut extrinsecè denominante, *realis* appellari potest. Hinc sicut ab hoc Magistro cōceduntur intrinsecè, & obiectivè independenter à cognitione fingente, & extrinsecè denominante prędicata hæc, *perfectionis, intellectionis divinæ, perfectæ immensitatis*: ità à me conceduntur hæc *perfectionis æqualis, intellectionis divinæ æquè perfectæ cum immensitate*; cum hac tamèn distinctione: quod illæ denominationes dantur penitùs independenter ab intellectu tàm fingente, & denominante, quàm distinguente; quià nec dicunt, nec supponunt distinctionem: hæc verò licèt dentur independenter ab intellectu tàm fingente, quàm denominante, non tamèn independenter ab intellectu distinguente, quia distinctionem aliquam supponunt necessariò.

18. Iudico secundò: *Quod licèt inter prædicàta realitèr identifita possit reperiri æqualitas primò intentionalis intrinseca obiectiva, & independens immediatè ab intellectu, non tamèn inæqualitas.* Probatur: inæquale, sicut æquale dicit pro fundamento distinctionem: nàm exerceri debet inter duo. Vlteriùs dicit quid positivum (in quo etiàm convenit cum æquali) nempè quantitatem determinatam perfectionis inter vtrùmque extremum. Denique dicit quid negativum, scilicèt carentiam tantæ perfectionis vno in extremo comparatione alterius, quam nullatenùs dicit æquales; sed hæc carentia nequit esse intrinseca, & obiectiva inter terminos realitèr identificatos, aliàs identificarentur forma, & carentia formæ; siquidem illa maioritas termini excedētis, & illa carentia maioris perfectionis termini excessi identificarentur inter se, quod repugnat: ergo.

19. Vndè inæqualitas inter terminos realitèr identificatos solùm erit secundò intentionalis, & immediatè dependens ab intellectu: sicut denominatio *generis præscissivè distincti* &c. quatenus scilicèt præscissâ vi â formalitate habente duos gradus perfectionis ab aliâ habente tres, illa prima dicit carentiam præscissivam illorum trium graduum; hoc est, non concipitur cum illis, quod est opus intellectùs immediatè. Vndè in hac parte convenio cum laudato Magistro, scilicèt ad denominationem *inæqualis intrinsecam obiectivam, & primò intentionalem* non sufficere distinctionem formalem, sed requiri realem. Addo tamèn contra ipsum: inter terminos realitèr identificatos, posse dari inæqualitatem secundò intentionalem, vel si de hac non multum probet (vt ipse testatur) ad minus contra ipsum teneo, hanc inæqua-

qualitatem esse sine vllâ intellectûs fictione, vt supra sectione primâ probavi.

20. Obijcies primò contra hoc: non datur inæqualitas primò intentionalis inter ea, quæ realitèr identificantur: ergo nec æqualitas. Probatur consequentia primò: quià sicut inæqualitas est ad aliud, & requirit dualitatem, ità & æqualitas. Secundò: quià sicut inæqualitas dicit vltra gradus perfectionis in vno extremo carentiam tantæ perfectionis, ac in alio, quâ cum identitas realis inter vtrumque non componitur: ità æqualitas dicit tanteitatem perfectionis in vno, ac in altero extremo, quæ similitèr cum identitate reali videtur incompatibilis. Tertiò: quià sicut inæquale includit negationem maioris perfectionis termini excedentis, quà cum identitas realis non compatitur: ità æquale dicit carentiam maioris perfectionis in termino coæquali &c. ergo.

21. Respondeo: nego consequentiam: ad cuius primam probationem dico, tàm æquale, quàm inæquale esse ad aliud, & dicere dualitatem: æquale tamèn, positâ distinctione formali, non includere in se aliquod prædicatum, quod aliam distinctionem requirat nec realem; vndè potest dari inter realitèr identificata; nec formalem: vndè datur intrinsecè obiectivè, & primò intentionalitèr. Ast verò inæquale, posita distinctione formali, in se includit negationem maioris perfectionis termini excedentis. Vndè requirit distinctionem realem ab ipso, consequenterque est ad aliud realitèr distinctum, & dicit dualitatem realem; & si hæc negatio est præscisiva per hoc tantùm, quod est non concipere in vno extremo illam maiorem perfectionem alteriûs, iam erit talis denominatio secundò intentionalis, & extrinseca.

22. Ad secundam probationem respondetur: tanteitatem perfectionis vnicè dicere, in vno extremo esse duos, in alio etiàm totidem dûos perfectionis gradus, inter quos gradus positivos realitèr identificatos, solùm datur fundamentum, vt ab intellectu comparentur, & referantur, & nullum aliud prædicatum identitati repugnans.

23. Ad tertiam respondetur: certum esse, æquale dicere carentiam maioris perfectionis intrinsecò coæquali, quam etiàm dicit terminus coæqualis; vndè cum vterque dicat obiectivè, & primò intentionaliter eandem carentiam; & realiter identificantur, & sunt intrinsecè æquales. Sic quià Natura divina, & Paternitas dicunt eandem carentiam identitatis cum homine, realiter identificantur inter se: ast verò inter terminos inæquales vnus dicit carentiam maioris perfectionis, alius verò dicit ipsam maiorem perfectionem.

24. Obijcies secundò: ideò in prædicatis realitèr identificatis, admittitur inæqualitas merè præscisiva,

ya, quià versatur inter formalitates præscissas per mentem, & solùm inadæquatè conceptas; sed etiàm equalitas perfectionum divinarum ità se habet: ergo.

25. Respondeo: nego maiorem: nàm formâ itatitabus præscissivis plura prædicata primò intétionalitèr conveniunt, vt animali esse principium censationis, rationali esse principium ratiocinationis. Inde enim solùm admittitur præsciciva inæqualitas, quià deficit constitutivum inæqualitatis primò intentionalis, carentia scilicèt tantæ perfectionis, ac in alio extremo, & solùm dicit carentiam præscisivam, quę est secundò intentionalis. Ad modum, quô animal non est vniversale primò intentionaliter, benè tamèn secundò.

26. Obijcies tertiò: ęqualitas Divinarum perfectionum, solùm est per rationem: ergo nequit esse intrinseca, & primò intentionalis. Probatur antecedens primò: sicut carentia æqualis perfectionis, est constitutivum *inæqualis*, ita & distinctio est constitutivum *æqualis*; sed quià carentia, quæ reperitur in prædicatis realitèr indentificatis est præscisiva, inæqualitas eorum est tantùm per rationem: ergo quià distinctio, quæ in ipsis reperitur, est etiam præscisiva, æqualitas erit per rationem tantùm. Secundò quià eô modo est constitutum, quô est constitutivum; sed constitutivum, scilicèt distinctio, est per rationem: ergo. Tertiò: quià, vt ex titulo quætionis constat, quod inquiritur, est: an perfectiones Divinæ sint formaliter, & metaphysicè æquales, quod idem est, ac per rationem.

27. Respondeo: nego antecedens. Ad primam probationem distinguo maiorem: sicut, & eodem modo, nego sicut, & diverso modo, transeat. Concedo minorem, & nego consequentiam. Diverso modo se habet carentia in denominatione *inæqualis*, ac distinctio in denominatione *æqualis*; nã carentia ibi est constitutivum formale, & immediatum: vndè cum hæc sit solùm pręscisiva, & non intrinseca, & obiectiva, inæqualitas est per ratioñé tantùm. At verò distinctio, vel nõ est constitutivum denominationis *æqualis*, sed fundamentum, vel conditio requisita tantùm ad talem denominationem, vel si est constitutivum, (à quô præscinde, nè quæstio vocibus implicetur, & ideò dixi *transeat*) erit constitutivum remotum, fundamentale, & mediatum, ideòque nullatenùs extrahens denominationem à primò intentionali, & intrinsecâ; cum hæc salvetur in prædicatis, v. g. essentialibus intellectionis, & volitionis, & in Divinitate æqualisantesied tàm prædicata essentialia vtriusque, quã Divinitas ęqualians se habent intrinsecè, & obiectivè, quin preveniant ab intellectû, vt carentia tantæ perfectionis in prædicatis realitèr identificatis: ergo. Et hæc est secundæ probationis solutio; nàm, vel distinctio non est

cons-

constitutivum æqualitatis, vel si est, cum sit constitutivum fundamentale, & quasi remotum, non impedit. quominus à constitutivis formalibus, & immediatis dicatur constitutum primò intentionale.

28. Ad tertium respondetur: titulum quæstionis loqui formaliter, & metaphysicè, quià loquitur supposita distinctione formali inter attributa. Vndè infertur contra laudatum Magistrum: quod si hæc dependentia ab intellectû, arguit hanc æqualitatem, non esse primò, sed secundò intentionalem, cum alitèr, nec loquantur Magistri, nec possint loqui DD. & affirmantes eam secundò intentionalem admittent, & negantes eam secundò intentionalem negabunt. Vndè ipse admittendo æqualitatem secundò intentionalem in hoc sensu non opponitur communi sententiæ, vt sæpè asserit. Insuper: non esse idem aliquod prędicatum competere primò intentionaliter, ac cōpetere omninò independenter ab intellectû, siquidē hæc æqualitas, vel inęqualitas competit juxta omnes, vt ex titulo quæstionis colligitur, prædicatis divinis formaliter metaphysicè, seùquod idem est dependēter ab intellectû, & tamèn, ipso supra adnotante, non omnes dicunt competere primò intentionaliter.

29. Objicitur quartò: inter realiter identificata, nequit dari relatio simplicitèr, quæ est ad aliud: ergo neque æqualitas simpliciter, & primò intentionalis.

30. Respondeo: distinguo antecedens: nequit dari relatio transcendentalis, seù secundum esse, concedo: prædicamentalis, seù secundum dici, nego. Cum enim in meis principijs omnis relatio prædicamentalis primi generis consistat in actu intellectûs comparante, & sic secundum dici, solùm requiret distinctionem secundum dici qualis datur inter realiter identificata. Ni velis dicere: æqualitatem formalem nullam involvere relationem, sed solùm fundamentaliter.

31. Objicies quintò: intellectus secundū se præscindens ab intellectû creato, & Divino, est perfectior, ac proindè inæqualis voluntati secundum se præscisivè sumptæ; sed intellectus, & voluntas realiter identificantur: ergo inter realiter identificata potest reperiri inæqualitas.

32. Respondeo: distinguo maiorem: est perfectior intrinsecè, & primò intentionalitèr, nego: extrinsecè, & secundò intentionalitèr, concedo: neque alitèr potest admitti inæqualitas inter prædicata. Ratio est: quià voluntas secundum se, non dicit carentiam positivam æqualis perfectionis cum intellectû: aliàs non possent identificari realiter inter se.

33. Objicies sextò: substantia vt sic, nec est æqualis, nec inæqualis intrinsecè, & primò intentionaliter accidenti vt sic; sed ideò est, quià hæc correspondentia versatur,

inter conceptus præscissos, & inadæquatè cognitos: ergo cum ità se habeant perfectiones Divinæ, inter ipsas nec æqualitas, nec inæqualitas stabit.

34. Respondeo, negatâ causali minoris, de quâ supra, transeat maior. Dico *transeat*, quià cum substantia vt sic, & accidens vt sic, realitèr distinguantur, aut differant essentialitèr, poterit accidens vt sic dicere primò intentionalitèr negationem æqualis perfectionis cum substantiâ, ac proindè esse inæquale substantiæ intrinsecè, & primò intentionaliter. At quià sæpè, & si conceptus communes sint secundum se inæquales, habent infra se aliquam differentiam ità perfectam, vt posit illa maior perfectio alteriùs rationis compensari, cuius nō dicunt positivam, & intrinsecam negationem, cum possint realiter identificari cum illâ, ac proindè non dicant carentiam intrinsecam, & positivam æqualis perfectionis, sed solùm præscissivam: indè est, quod sicut præscindunt à differentijs inferioribus, præscindant etiam ab æqualitatê, vel inæqualitatê intrinsecâ, & primò intentionali.

35. Ipso argumenti exemplo res clarescet. Licèt substantia vt sic sit perfectior accidentî vt sic: attamen sub accidentî vt sic continetur differentia *supernaturalis*, quà cum potest identificari, & cuius ideò nequit dicere negationem positivam: quæ quidem juxta probabilè Theologiam adeò perfecta est, vt compenset, & adæquet excessum substantiæ. Cum ergo accidens vt sic, non dicat intrinsecè negationem perfectionis huius differentiæ, non dicit negationem æqualis perfectionis cum substantiâ, & consequenter non est intrinsecè, & primò intentionaliter inæqualis ipsi. Cum autem aliàs intrinsecè obiectivè non dicat positivè perfectionem talis differentiæ, quià potest identificari cum alia differentiâ deteriori: v. g. cum differentia *naturalis*, neque est intrinsecè, & primò intentionaliter æqualis, sed sicut præscindit ab vtraque differentiâ, ità præscindit ab æqualitatê, vel inæqualitatê. Vndè illæ solùm rationes communes erunt primò intentionaliter inæquales respectivè ad opposita, quæ per differentias alias intra genera opposita compensari nequeunt, v. g. *vivens* respectu *non viventis*, *intellectivum* respectu *purè sensitivi*, quià intra genus non viventis, & purè sensitivi nulla datur differentia, quæ compenset excessum viventis, & intellectivi: indèque non vivens dicit carentiam positivam æqualis perfectionis cum vivente, non ità substantia respectu accidentis.

(?)

SECTIO II.

ARGVMENTA, QVÆ IMmediate impugnant æqualitatem intrinsecam obiectivam cum solà distinctione formali.

36. OBijcies septimo ex sæpè laudato Magistro: prædicata realiter identificata, v.g. intellectio, & volitio Divina, vel essent positivè æqualia, vel inæqualia primò intentionaliter, & obiectivè, ac proindè independenter à cognitionê tàm fingente, quàm extrinsecè denominante, vel secundò intentionaliter tantùm dependenter à cognitionê, vel fingente talem æqualitatem, vel extrinsecè denomināte æqualia, vel inęqualia talia prædicata idētificata; atqui neutro modo se habere queunt: ergo. Maior est certa; minor probatur quoad primam partē: æqualia, vel inæqualia primò intentionaliter, & independenter à cognitionê sunt primò intentionaliter, & independenter à cognitionê distincta: idem nàmque non est sibi æquale, vel inæquale; sed inter ea, quæ realiter identificantur similis distinctio reperiri nequit: ergo.

37. Minor quoad secundam partem probatur: si hæc denominatio conferatur à cognitionê fingente, nec dubitatur, prædicata identificata posse habere hanc æqualitatem, vel inæqualitatem fictitiam, nec in hoc sensu procedit quæstio. Si conferatur à cognitone solùm extrinsecè denominante contra erit: quià reddere ea prædicata, in quibus re ipsâ nullus datur excessus ex parte obiecti, æqualia, vel inæqualia non est ex genere earum denominationum extrinsecarum, & secundæ intentionis, quas citra fictionem noster cognoscendi modus potest conferre obiectis. Nam, inæquale præsertim dicit excessum activum, vel passivum, scilicèt conceptum excelsi, aut excedentis; sed nequit obiecto conferri sine fictione esse excessum, vel excedens: ergo.

38. Hoc fundamentum adversæ partis, ea parte, quâ loquitur de inæqualitate, nobis favet, nostræque secundæ conclusioni; ea tamen parte, quâ de æqualitate loquitur, illud ità retorqueo in essentiâ, & attributis: nàm prædicata realiter identificata, v.g. asseitas, & voluntas, & (vt extra opinionem loquar) rationale, & risibile, vel sunt essentia, & attributum primò intentionaliter, & obiectivè, ac proindè independenter à cognitionê, tàm fingente, quàm extrinsecè denominante; & si ità, iam distinguerentur realiter, cum nil sit attributum sui ipsius: vel secundò intentionaliter tantùm, dependenter scilicèt à cognitionê fingente; & hoc non, quià extra fictionem essentiæ habent sua attributa: vel à cognitionê extrinsecè denominante, & contra erit: quià reddere ea prædicata

dicata, in quibus à parte rei nullus ordo prioritatis datur, essentiam, & attributum, non est ex genere denominationum earum, quas citra fictionem potest modus noster cognoscendi obiectis conferre.

39. Respondeo directè: Prædicatum æqualitatis non esse adæquatè primò intentionale, nec omninò indepédens ab intellectû, nec minus dependens à cognitioné fingente, sed dependens à cognitionê dividente, & præscindente vnum prædicatum ab alio. Solutionem explico: sicut æqualia quantitativè defininuntur, *quorum quantitas est vna*, vndè dicunt & talem mensuram, & distinctionem; ità æqualia in perfectione definiuntur, *quorum perfectio est vna*, vndè dicunt tales gradus perfectionis, & distinctionem. Omnipotentia, & Immensitas à parte rei, & indepenter ab intellectu habét suos gradus perfectionis, nam illa est virtus productiva omnium possibilium, & hæc virtus infinita repletiva omnis loci, non tamèn sunt æqualia à partê rei, hoc est, omninò independenter ab intellectû, quià licèt habeant vnam, & eandam perfectionem, non tamen sunt duo, vt requiritur pro verificatione ly *quorum* definitionis, quia non sunt distincta, sed idem: ergo, quod illis deficit, vt sint æqualia, est vnicè dualitas, & & distinctio. Hanc enim apponit intellectus dualisans, & distinguens illa, sed intellectus dualisat, & distinguit sine fictione: ergo & sine fictione facit similiter ea prædicata æqualia, cum non conferat eis perfectiones, neque tanteitatem perfectionum, ea parte, quâ dicunt tales, vel tantos gradus perfectionis, sed solùm distinguat, vt posita distinctione tanquam fundamento, statim detur ęqualitas.

40. Obijcies octavò, & simul replicas: perfectiones, quę dicerentur æquales, v. g. Omnipotentia, immensitas, vel hanc denominationem acciperent à cognitione vtramque pręscindéte; & hoc non: quià cognitio præscindens solùm tribuit denominationem inadæquatè *cogniti, præscissi*, seù *distincti*, nec est cur possit conferre denominationem *æquè perfecti*, cum non tribuat perfectionem. Vel eam acciperent à cognitione simul repræsentante vtramque Omnipotentiam scilicèt, & immensitatem; & hoc non ob eandem rationem, cum nec talis cognitio conferat tanteitatem perfectionis: vel denique à cognitione æqualiter apprætiante, & conferente vnum alteri. Et hoc nequit dici, quià talis cognitio appretians eo ipso erit fingens tanteitatem activam, & passivam. Siquidem ex parte objecti non datur talis tanteitas ex deffectu dualitatis.

41. Pro solutione nota modum discurrendi eorum, qui ponunt conceptum relationis in actu intellectûs. Aliqui enim dicunt: ante actum comparantem, & referentem dari æqualitatem, vel inęqualita-

litatem formalem, positâ scilicèt eâdem, vel inæquali perfectione in duobus. Vndè dicunt, ęquale formaliter, & relatum formaliter non converti. Alij verò asserunt, æqualitatem, vel inæqualitatem formalem conferri ab actu comparante, vel referente: iudicant enìm ęquale formaliter, & relatum formaliter confundi. Juxta primum modum discurrendi respondetur, talem denominationem conferri fundamentalitèr ab actu præscindente, & distinguente vnam formalitatem ab aliâ, quibus non confert perfectionem, sed distinctionem, & faciendo objecta distincta, quasi per resultantiam faciunt æqualia, si aliàs in eis supponat tantos gradus perfectionis, cum conferat eis, quod vnicè deficiebat ad æqualitatem, nempè esse distinctas, præscissas, & inadæquatè cognitas.

42. Si stemus secundo modo discurrendi dico: talem denominationem conferri fundamentaliter à cognitione præscindente, & formaliter à cognitione conferente, & referente sine vllâ fictione, cum ipsa non cōferat perfectionem, sed supponat in ipsis formalitatibus objectivis, quam & objecta habent in se. Sicut enìm ea cognitio comparans, & referens hos gradus perfectionis ad illos, eos facit formaliter relatos, ità facit formaliter similes, & æquales.

43. Obijcies nonò ex eodem: in Deo non datur intellectus, aut voluntas, quæ sint actus primus ratione nostrà comparatione intellectionis, & volitionis essentialis: ergò neque perfectiones æquales defectu distinctionis sufficientis. Probatur consequentia: ideò non dantur intellectus, & voluntas per modum actûs primi, quià ratio actûs primi involvit rationem principij, radicis, seù subiecti, quæ cum sit obiecto intrinseca, nequit sine fictione conferri ab intellectu; sed æquale dicìt tanteitatem perfectionis, quæ etiàm est intrinseca objecto: ergo nequit ab intellectu sine fictione conferri.

44. Qui admittunt in Deo actum primum intelligendi, & volendi cum Arriaga, & Leonardo eodem modo discurrunt in conceptu æqualis, dicuntque quod cnm in Deo detur voluntas, quæ est potentia, & volitio, quæ est actus, vnicè deficit ad rationem actûs primi, & secundi distinctio, quâ positâ ab intellectu, statim ponitur respectus, & consequentèr actus primus, & secundus. Pro nunc tamèn respondetur, admisso antecedenti, nego consequentiam, & paritatem. Disparitas stat in eo, quod ratio actûs primi dicit intrinsecè, & obiectivè esse subiectum, vel inhæsivè, vel adhæsivè, esse radicem, vel ad minus esse principium emanationis respectu actûs secundi, quę quidem prædicata ex se imbibunt, & afferunt relationem, & consequenter distinctionem ab actu secundo, quæ conferri nequit sine fictione ab actu intellectûs distinguēte. Ast verò esse

esse æquale intrinsecè, & obiectivè solùm dicit tales, & tales gradus perfectionis, quin illi dicāt aliquam relationem, vel respectum inter se involventem ex se aliquam distinctionem. Nàm si admittatur æquale ante actum reflexum comparantem æquale, non dicit relationem formalem, neque est vnum dicens respectum ad aliud, sed duo habentia tantos gradus perfectionis. Si verò æquale formaliter dicat relationem à parte rei, & obiectivè, non datur, sed fit formaliter tale (sicut vniversale ab actu abstrahente) ab actu comparante, & referente: ergo licèt pro actu primo, & secundo non sufficiat formalis distinctio, sufficit tamèn pro æqualitate.

45. Obijcies decimò: per me (vt in physicis tenui) licèt materia appetat inæqualiter formas appetitu per modum inclinationis, & æqualitèr appetitu permodum indigentiæ, non dantur in eâ appetitus æquales, aut inæquales erga formas vnicè ex defectu distinctionis realis inter appetitus; distinctio namque formalis inter eos pro respicientiâ diversarum formarum negari nequit: ergo ad ęqualitatem requiritur distinctio realis, nec sufficit formalis.

46. Respondeo: ibi me loquutum physicè, & consequenter de æqualitate, vel inęqualitate physica, & reali, penitùsque independente ab intellectu. Nàm in eodem sensu, quò concedo appetitum materiæ, materiamque ipsam esse indivisibilem, & inæqualiter tendere in formas scilicèt physicè, & realiter sine vllâ distinctione, nego in eâ reperiri appetitus æquales, vel inæquales, ex defectu distinctionis. Idemque dico deperfectionibus omnibus identificatis, non esse nempè æquales, vel inæquales realiter, & penitùs independenter ab intellectu; benè tamen formaliter æquales, si formaliter distinguantur. In quô sensu admitto etiàm in materiâ appetitus æquales indigentiæ erga formas.

47. Obijcies vndecimò: si æqualitas esset intrinseca, & objectiva, attingeretur ex parte obiecti ab actu præscindente Intellectionem divinam à volitione: sicut attingitur principium sensationis ab actu præscindente animal à rationale; sed non attingitur: ergo.

48. Respondeo: distinguo maiorem; attingeretur inadęquatè, concedo; adæquatè, nego: aliàs si adæquatè tangeretur æqualitas, talis actus non esset præscisivus. Ratio est: quià ęquale, nil aliud est, quàm duo habentia eandem perfectionem: sicut simile duo habentia eandem qualitatem, ità vt vtrumque se habeat in recto: ergo si cognitio præscindens intellectionem à volitione, attingeret obiectivè æqualitatem vtriusque, vtramque attingeret, & consequenter non præscinderet vnam ab aliâ.

SECTIO III.

PRINCIPALI QVÆSITO RESPONDETUR.

49. Dicendum: *omnia attributa, actus, & perfectiones Dei sunt formaliter æquales inter se, & cum natura divina.* Probatur primò evertendo simul adversæ partis fundamentum. Quoties duæ entitates, vel formalitates itâ se habent, vt ipsis adiungatur forma, vel quasi forma adæquativa perfectionis earum, concreta resultantia èx illis, & tali formâ, omninò æqualia censentur, etiàm si ipsæ inæquales sint; sed intellectui, & voluntati divinis adiungitur divinitas, & infinitas simpliciter, quæ est forma, vel quasi forma adæquativa perfectionis earum: ergo licet alias intellectus secundum se sit perfectior voluntate, concreta resultantia ex ipsis, & divinitate, sivè infinitate simpliciter, *nempè intellectus divinus, voluntas divina* erunt omninò æqualia. Consequentia rectè infertur. Minor constat: quià hìc non loquimur de intellectu, & voluntate vt sic, prout præscindunt â creato, & increato, sed de intellectu, & voluntate divinis, contractisque per divinitatem. Maior indiget probatione.

50. Probatur primò: concreta hæc, *Deus homo, Deus lapis,* sunt æqualis perfectionis inter se, & cum Deo solitariè sumpto; sed nullâ aliâ ratione, nisi quià, etiàm si homo sit perfectior lapide, vtrique adiungitur Deus, quia se habet quasi forma adæquativa perfectionis eorum; vndè concreta resultantia evadunt simpliciter æqualia: ergo. Consequentia est recta: minor est vera, & maior à nemine, quem viderim, negatur. Probatur secũdò: Personæ Divinæ suntphysicè simpliciter æquales in perfectione juxta illud Symboli: *In hac Trinitate, nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales:* vndè Clitobeum quendam contrarium asserentem graviter reprehendunt Theologi, vt videre est apud Nostrum Leonard. licet secundum se perfectiores sint formalitates explicitæ Patris, scilicet *principij innascibilis conferentis esse,* formalitatibus Filij, scilicèt *principiati nascibilis, & accipientis esse,* sed hoc ità se habet, quià in vtrâque Personâ est divinitas quasi forma adæquans eam in perfectione, & absorbens quamcumque inæqualitatem: ergo.

51. Probatur secundò conclusio: maior, vel minor perfectio rerum desumitur à maiori, vel minori prudentum æstimatione, sicut maior, vel minor diversitas essentialis, vel individualis. Nec alia ratio inveniri potest, cur aurum sit perfectius argento, adamans smaragdo, intellectus voluntate, formica sole, nisi prudentum æstimatio, quæ est regula vniversalis tàm in physicis, quàm in moralibus; sed om-

omnes perfectiones divinæ exigunt çqualem æstimationem prudentum; tum, quià omnes exigunt summam, & infinitam æstimationem comprehensivam Dei: tum, quià, cum in singulis detur divinitas, quę summè amatur à Deo, singulæ summam, ac proindè æqualem æstimationem exigunt.

52. Duplici exemplo confirmatur, & convincitur conclusio. Primum sit: si Rex conferret Petro Schedulam Proregnatûs Peruvij scriptam papyro, aliam verò eiusdem Proregnatûs Paulo scriptam tamen laminâ æreâ; quis prudens diceret, Paulum maiori beneficio donatum ob maius pretium laminæ? nemo quidem. Secundum sit: si mihi daretur annulus aureus pretioso adamante incissus involutus vnico folio papyraceo: tibi verò alius æqualis valoris involutus in tribus folijs, quis te censeret maiori munere decoratum, ob maiorem trium foliorum valorem? nemo cordatus. Nullâ aliâ ratione, nisi quià valor ille laminæ respectu Proregnatûs, & trium foliorum respectu annuli, est quasi nihil; illa maioritas absorbetur ratione æstimationis doni adiunctis sed omnis perfectio possibilis comparata cum infinitate Dei, est quasi nihil: ergo nunquam facit in æstimatione morali aliquid maius simpliciter, quàm alia perfectio maior conjuncta cum eâdem infinitate.

53. Probatur tertiò: quoties duo mutuò sibi æquivalent in perfectione, sunt in perfectione æqualia; sed intellectus, & Omnipotentia divina (idem dic de reliquis prædicatis divinis) mutuò sibi æquivalent in perfectione: ergo. Maior est certa, vt ex ipsâ nominis etymologiâ cōstat: nam sibi æquivalere est çquè valere, seù æqualia esse. Probatur minor: intellectus, & Omnipotentia ratione divinitatis adjunctæ sunt infinita simpliciter, summèque perfecta in suâ lineâ, ac proindè quibus nil intra suam lineam perfectius excogitari possit; sed hæc æquivalentia reliquis prædicatis divinis seorsim, & simul sumptis, est perfectio possibilis cuiusque lineæ, & excogitari potest intra cuiusque lineam intellectûs nempè, & Omnipotentiæ, quin talis æquivalentia arguat permistionem, confusionemque linearum: ergo hæc æquivalentia convenit illis: ergo & æqualitas. Minor duas partes continet, licèt redigantur in eandem. Prima: quod ea çquivalentia reliquis prædicatis divinis sit perfectio cuiusque lineæ, & intra quancumque excogitabilis. Probatur: nàm potest quis concipere intellectum continentem omnem perfectionem formaliter lineæ perceptivi, & æquivalenter lineæ Omnipotentiæ, voluntatis immensitatis &c. ergo hæc æquivalentia est perfectio cuiusque lineæ. Vndè cuicumque perfectioni, cui summitas aut divinitas adjungitur, debet concedi. Secunda pars, scilicèt, quod hæc æquivalentia non confundat lineas,

probatur: nàm intellectus ratione illius, nec esset formaliter virtus productiva, neque repletiva loci, (sicut aurum ratione æquivalentiæ ad argentum non esset formaliter argentū) sed esset virtus formaliter infinitè perceptiva obiecti, & valeret tantum, quantum virtus infinitè productiva, & occupativa omnis loci; similiter Omnipotentia esset virtus formaliter infinitè productiva, & valèret tantum, quantum virtus Omniperceptiva, & omnirepletiva; sed hoc est relinquere inconfussas, & impermistas lineas: ergo.

SECTIO IIII.

ARGVMENTIS RESPONDETVR.

54. OBijcies primò: intellectus præcisè sumptus, & secundum se consideratus perfectior est voluntate secundum se: ergo etiàm cum contrahuntur per divinitatem, manebunt inæquales in perfectione. Probatur consequentia (Arriaga loquitur) evidenter: nam si inæqualibus æqualia addas, semper manebunt inæqualia, licèt ea duo æqualia, quæ adduntur sint infinita: si enìm duobus infinitis æqualibus, addas vni sex, alteri verò centum, non dubito, quin duo prædicta infinita futura sint postea inæqualia inter se; sed intellectus, & volūtas sunt inæquales inter se: ergo etiàm si addatur illis divinitas ęqualis, concreta resultantia, scilicèt *intellectus Divinus*, *voluntas Divina* erunt inæquales.

55. Primum antecedens judicat esse falsum, ideoque negandum noster Leonardus, eo quod cum intellectus præscindat à differentijs æqualibus, vel inæqualibus, perquas posit contrahi, ità vt, si contrahatur per differentiam *creati*, sit inæqualis voluntati divinæ: si verò per differentiam *increati* sit æqualis, præscindit secundum se ab æqualitate, vel inæqualitate. Hanc doctrinam impugnat Arriaga supracitatus à num. 70. Ego verò juxta contextum doctrinæ supra datę, renuam concedere inter ea prædicata intrinsecam obiectivam inæqualitatem, cum realiter identificentur inter se, dum contrahuntur ad differentiam *increati*; concederem tamen extrinsecam, & præscisivam inæqualitatem. Pro nunc tamen admisso antecedenti, nego consequentiam.

56. Retorqueoque contra Arriagam suam evidentem probationem; si inæqualibus addas æqualia etiam infinita, quæ remanent, sunt inæqualia; sed *Paternitas*, & *Filiatio*, *nascibilitas*, & *innascibilitas*, *dare*, & *accipere*, *genitum*, & *ingenitum*, quæ sunt expresiones Patris, & Filij, sunt inæquales: ergo etiam si ipsis addatur divinitas, Pater, & Filius manebunt inæquales contra Symbolum, & sanam Theologiam, à quô argumento idem ipse Arriaga difficiliùs se expediet, quàm nos. Nos ergo

ergo possumus negare cum Leonardo nostro primum antecedens, quò penitus rueret difficultas; ipse verò Arriaga illud negare non potest: ergo in ipsum magis, quàm in nos propendet difficultas.

57. Proloquium ergo distinguendum est: si inæqualibus addas æqualia, remanent inæqualia: distinguo, si æquale, quod additur, sit finitum simpliciter, vel infinitum secundum quid, concedo: si sit infinitum simpliciter, quale est vnicè divinitas absorbens totam inęqualitatem, nego. Solutio constat exemplis complexi Dei hominis, & Dei lapidis, Divinarum Personarum, & meritorum Christi Domini ratione personalitatis ea dignificantis æqualium inter se, & denique complexi resultantis ex Deo, & homine æquè perfecti, & æqualis complexo resultanti ex Deo, & Angelo perfectiori secundum se, si fortè, vt potest, uniretur ipsi.

58. Sed dices, has retortiones non valere; quià Deus additus lapidi, cum sit perfectus in omni lineâ continet vitalitatis perfectionem, in quâ Leo excedit lapidem, ac proindè concretum ex Deo, & Leone, non est perfectius concreto ex Deo, & lapide. Similiter Filius Divinus vnitus naturæ humanæ, est infinitus formaliter in lineâ intellectivi, in quâ excedit Angelus hominem, & ideò concretum ex Patre v. g. & naturâ Angelicâ non est perfectius concreto ex Filio, & naturâ humanâ. Ast verò cum Omnipotentia solùm sit infinita simpliciter in linea virtutis productivę, eius infinitudo non continet perfectionem lineæ perceptivi obiecti, in quâ exceditur ab intellectû: ergo non impedit excessum perfectionis intellectionis respectu Omnipotentiæ, & consequenter, nec inæqualitatem earum perfectionum.

59. Contra tamèn; & paritatis efficaciam probo, ostendendo simul non requiri, quod prædicatum compensans alteriùs excessum contineat formaliter perfectionem lineæ termini excedentis, sed sufficere, quod contineat illam ęquivalenter, & hoc non vno tantum, sed tribus exemplis. Primum sit:

60. In complexo resultante ex paternitate, & naturâ Angelicâ, respectu complexi resultantis ex filiatione, & naturâ humanâ. Secundum sit; Personalitas Verbi non est infinita formaliter in lineâ charitatis, & amoris; & tamèn compensat, & reddit æqualem actum temperantiæ Christi Domini, quem dignificat respectu actûs charitatis, & amoris ipsius, quem etiam dignificat. Tertium sit; Aurum non continet formaliter perfectionem argenti, & compensat valorem ipsius: ergo etiamsi infinitudo Omnipotentię (idem dic de reliquis attributis) non contineat formaliter perfectionem intellectûs, cum non sit formaliter vitalis, & perceptiva obiecti, compensabit perfectionem illius, nec requiretur ad com-

pensationem continentia formalis; sed sufficiet virtualis lineæ, seù perfectionis compensatæ. Vndè exempla, & retortiones in suo robore manent.

61. Replicas primò ex P. Izquierdo contra solutionem argumenti: quidquid convenit rei essentialiter, semper, & in quocumque statu convenire debet ei; sed intellectui secundum se sumpto convenit essentialiter inæqualitas respectu voluntatis secundum se sumptæ: ergo semper, & in omni statu convenit ei talis inæqualitas.

62. Respondetur, distinguo maiorem: ei convenire debet, eo modo, quó illi semel competit, concedo: alio modo, quó illi nunquam competit, nego. Intellectus enim secundum se sumptus comparatus cum voluntate secundum se sumptâ semel fuit essentialiter inæqualis, & perfectior, non verò concretivè sumptus cum voluntate concretivè sumptâ. Vndè ità semper est inæqualis, nam adhuc, dum est in concreto, si secundum se sumatur, manet inæqualis. Sicut quià materię primæ fuit semel appetitus ad formam ligni, etiam dum est sub formâ ignis, illam appetit, non tamen ex suppositione, quod habeat aliam, nàm illam nunquam appetijt.

63. Replicas secundò: per me tract. 3. Logicæ. Sect. 8. à num. 146. Vniversale non destruitur per actualem contractionem, sed intra prædicationem remanet præscissio, vi cuius in esse vniversalis constituitur: ergo neque per contractionem prædicati volitivi ad divinitatem destruitur eius vniversalitas: ergo intra contractionem ad divinitatem, manet abstractio, per quam in esse vniversalis constituitur. Tum sic; sed per eandem abstractionem constituitur in esse inæqualis secundum se respectu intellectivi secundum se, cum ad eam denominationem illi solùm deficiat distinctio, quam ponit ipsa abstractio: ergo adhuc intra contractionem, & coniunctionem cum divinitate, manet inæqualis: ergo per eam non æqualisatur.

64. Replicâ sisteret, datâ inæqualitate intrinsecâ, & obiectivâ inter intellectivum, & volitivum secundum se, quæ in nostris principijs debet negari; sed eâ admisâ, & facta retortione communi, respondeo concedendo omnes propositiones, vsque ad penultimam consequentiam, quam ità distinguo: ergo adhuc intra contractionem, & conjunctionem cum divinitate manet inæqualis ipsa secundum se, & prout vniversalis, concedo: concretum, seù coniunctum ex eâ, & divinitate, nego. Solutio intra terminos replicæ patet. Sicut enim licèt intra hanc prędicationem: *Petrus est homo*, non destruatur vniversalitas hominis ratione pluralitatis materialis, & subjectivæ, se tenentis ex parte subjecti, nihilominus concretum resultans ex homine

ne, & petreitate, non est vniversale: ità licèt ratio volitivi adhuc intra contractionem, seù conjunctionem cum divinitate maneat secundum se inæqualis respectu intellectivi, non tamen conjunctum ex ipsâ, & divinitate. Cum autem hìc non loquamur de conceptibus præscissis, aut secundum se sumptis, sed de concretis, nempè volitivo divino, intellectivo Divino, quæ ęqualia esse defendimus; indè est, quod replica non vrgeat, nec deducatur vltima consequentia ipsius, nempè, quod divinitas non æqualiset illum excessũ, quẽ haberent aliàs secundũ se prędicata, quibus ipsa adjungitur.

65. Obijcies secundò: continere formaliter maiorem perfectionem, perfectius est, quàm continere illam virtualiter; sed intellectio continet formaliter perfectionem intellectionis, quæ secundum se est maior perfectio, quàm volitionis, & volitio continet solùm virtualiter perfectionem intellectionis ratione divinitatis adiunctæ: ergo perfectior erit intellectio volitione.

66. Confirmatur: Natura divina per nos continet formaliter omnem perfectionem possibilem omnis lineæ: quodlibet attributum solùm continet formaliter perfectionem suæ lineæ & aliarum solùm virtualiter: ergo perfectior est Natura quolibet attributo.

67. Facta retortione in Patre, qui continet formaliter perfectiores expressiones, quàm Filius, quin sit perfectior, respondeo: distinguo minorem: continere formaliter perfectius est, quàm continere virtualiter, si hæc virtualis continentia oriatur ex perfectione infinitâ simpliciter, cui debetur per identitatem omnis perfectio possibilis, nego: si aliter sit, transeat. Nàm si primo modo sit continentia virtualis, orta scilicèt ab infinitate simpliciter in ęstimatione morali, tantum valet, ac formalis præcontinentia, præcipuè cum excessus ille intellectionis secundum se respectu volitionis absorbeatur, & quasi nihil sit, dum ingreditur divinitas adæquans. Idem dic ad confirmationem. Dixi in distinctione *transeat*; quià sæpè continentia virtualis est perfectior continentiâ formali, vt evenit in continentiâ virtuali caloris in Sole, quæ perfectior est continentiâ formali eiusdem in alio calore.

68. Obijcies tertiò: quilibet actus necessarius Dei perfectior est quolibet actu libero ipsius. ergo & inæqualis. Probatur antecedens: actus necessarius, existit necessariò & indefectibiliter, actus liber defectibiliter, & contingenter; sed actus necessariò, & indefectibiliter existens perfectior est actu defectibiliter existente: ergo.

69. Respondeo: nego antecedens loquendo de actu libero quoad entitatem, in quà est divinus indefectibilis, & non contingens, quidquid sit de actu libero quoad denominationem iuxta varias sententias

compositam, & efformatam. Ad probationem loquendo pro nunc etiam in sententia Exim. Doct. vel Acutiss. Vazquez distinguo maiorem quoad secundam partem: existit defectibiliter, & contingenter penès id, quod identificatur cum Deo, nego: penès id, quod cum Deo non identificatur, concedo. Actus liber essentialiter importat quid creatum, vel constitutivè, vt tenet Vazquius, vel merè connotativè, vt affirmat Suarius: hoc contingenter existit; verùm, sicut concretum ex Deo, & creaturâ est æquale Deo solitariè sumpto ob inclusionem eiusdem perfectionis, ità actus liber, ob inclusionem prædicati divini necessarij, licèt dicat quid creatum, evadit æqualis actui necessario, qui est adæquatè divinus.

70. Objicies quartò: si omnes actus essent æquè perfecti in Deo, non esset moraliter laudabilior ob vnum, quàm ob aliud: libertas enim disjunctiva cum necessitate ad vnum è duobus actibus omninò æqualibus, non est meritoriè laudabilis, vt communis sententia tenet; sed hoc est falsum: Deus namque laudabilior est ob volitionem Incarnationis, & creationis Vniversi, quàm esset ob nolitionem vtriusque, ob voluntatem prædestinativam, quàm reprobativam: ergo.

71. Respondeo: ex argumento solùm sequi, actus Dei non gaudere laudabilitate sufficiente ad meritum; non verò laudabilitate, quæ obliget ad gratiarum actionem: hæc namque non desumitur attentâ naturâ actuum secundùm se, sed penès effectus, quos causant. Et quoties effectus causati vtiliores sunt nobis, laudabiliores judicamus actus, magisque dignos actione gratiarum. Cum enìm vtiliores sint nobis Incarnatio, productio mundi, & voluntas prædestinativa, quàm non Incarnatio, carentia productionis mundi, & voluntas reprobativa; indè est, quod laudabilior sit actus volens, quàm nolens Incarnationem &c. Ratio est: quià licèt aliàs sint æquales in perfectione, & quoad Deũ, quod non attendit gratiarum actio, sunt tamen virtualiter inæquales quoad nos, quod attẽdit gratitudo, cuique correspondet laudabilitas nostra.

72. Objicies quintò: duo plura sunt, & quid maius vnô: ergo perfectior erit Natura Divina, quæ est plures perfectiones, quàm Omnipotentia v.g. quæ est vna tantùm perfectio. Retorqueo: ergo duæ Personæ Divinæ quid perfectius erunt vnâ solâ, cum quid maius duo sint, quàm vnum.

73. Respondeo: distinguo antecedens: duo sunt quid maius vnô numericè, & extensivè, concedo; intensivè, subdistinguo: si vnum cõtineat virtualitèr perfectiones duorum, nego: si non contineat, cõcedo. Sic vnum aureum est intensivè æquale duplici argento; & complexum ex Deo, & creaturâ solùm numericè, & extensivè maius Deo.

Cum

Cum autem Omnipotentia ratione Divinitatis contineat virtualitèr omnium attributtorum perfectiones, indè est, quod solùm extensivè, & secundum quid excedatur à naturâ.

74. Obijcies sextò: in Deo ponenda non est perfectio merè extensiva; aliàs ponerentur in Deo creaturę, quæ cum ipso faciunt quid extensivè maius: ergo perfectiones, quæ à me dicuntur extensivæ, re ipsâ intensivæ sunt.

75. Respondeo: distinguo antecedens: in Deo ponenda non est, & si admista non sit imperfectione, nego; si ità admista sit, concedo: & ideò non ponuntur creaturæ in Deo, quæ imperfectione differentiæ *creati* denudari nequeunt.

76. Obijcies septimò: si in Deo non esset justitia, non esset tam intensivè perfectus, ac nunc est, & similiter de alijs perfectionibus, vt si esset volitivus, & non intellectivus: ergo justitia nō est solùm extensiva, sed intensiva perfectio Dei: ergo dum additur justitia misericordię, additur maior perfectio intensiva; sed misericordia solitariè sumpta est æqualis Omnipotētiæ: ergo concretum ex eâ, & justitiâ erit intensivè perfectius.

77. Respondeo: concedo primum enthymema, & distinguo cōsequens subsumptum: ergo dum additur justitia misericordiæ additur maior perfectio intensiva secundum se, concedo; quæ hìc, & nunc augeat intensivè, nego. Nunquam nego, perfectiones Divinas intensivè perficere Deum, cum certum sit, quod si aliqua deficeret, Deus non esset tam perfectus, imò nec Deus. Ast verò, cum omnes hæ perfectiones contineantur quoad debitum, & possessionem in infinitate simplicitèr superadditâ justitiæ (& sic de reliquis) iàm concretum, vel quasi concretum illud resultans ex ipsâ infinitate, & justitiâ ipsâ idem valet in prudentum æstimatione, ac reliquæ alię perfectiones. Vndè dum reliquæ, aliæ hìc, & nunc superadduntur formaliter, solùm faciunt extensionem, non verò intensionem perfectionis, cum iàm perfectio ipsarum quoad valorem, & æstimationem contenta sit in infinitate formaliter præhabitâ à quacumquê aliâ perfectione divinâ.

78. Et hinc est, quod si Deus esset volitivus, & non intellectivus, concretum ex volitivô, & intellectivô esset perfectius volitivô tantùm, quià tunc volitivum esset capax perfici intensivè, neque esset simpliciter infinitum, neque Divinum: ast nunc, cum sit Divinum Summum, & infinitum, ideòque debeatur ipsi intellectivum, licèt illud non dicat formaliter, nec perficitur intensivè, sed solùm extensivè dicens illud formaliter in concreto ex ipso volitivô, & intellectivô. Exemplo rem explico: si Petrus schedulà regali Peruvij Prorex constitutus re ipsâ non esset Regni Chilensis Prorex, non esset tam

per

perfectè Gubernator, ac est nunc: tamèn si primæ vniversali schedulæ, adderetur alia particularis pro Regno Chilensi, hæc solùm faceret extensionem, eoquòd in primâ iàm contenta erat virtualiter. Ita rem explico.

79. Objicies octavò & simul replicas: si intellectus Divinus, & voluntas realiter distinguerentur, realiter essent inęquales: ergo formaliter distincti, formaliter vtique inęquales evadunt. Probatur consequentia: nam servata proportione, quæ haberent realiter positâ reali distinctione, positâ formali distinctione, formalier habere debét.

80. Respondeo: distinguo antecedens: si realiter distincti conservarent eandem perfectionem, ac nunc, nego: si eam non conservarent, concedo. Cum tamen eam non conservarent, quià non essent prædicata divina, tunc dicerent imperfectionem realis distinctionis, & exclusionis positivę sui ipsarum: neque essent infinita, cum non continerent omnem perfectionem possibilem suæ lineę. Nam perfectio intra lineam voluntatis est identitas realis cum intellectu, quà careret tunc voluntas. Idem dic de intellectu respectu voluntatis; indè est, quod in casu argumenti essent realiter inæquales. Non ità formaliter inæquales, positâ formali distinctione, nàm, cum per formalem distinctionem non desinant esse formaliter divina, & infinita, non desinunt sibi ęquivalere, & continere se virtualiter. Vndè nec desinunt esse æquales.

81. Instabis: ergo si manerent divinę, non obstante reali distinctione, manerent æquales. Respondeo. Concedo totum: sed repugnat, distingui realiter, & manere divinæ.

SECTIO V.

ALIJS ARGVMENTIS FIT SATIS.

82. OBijcies nonò: actus vitalis terminatus ad perfectius objectum, est perfectior actus: ergo actus quô Deus cognoscit Angelum, perfectior erit actu, quô cognoscit formicam. Probatur antecedens: sine respectu, seù ordine ad hoc objectum, nequit concipi actus terminatus ad hoc objectum: ergo sine ordine perfectiori nequit concipi actus terminatus ad objectum perfectius. Ità objicit Arriaga num. 73.

83. Respondeo, admisso antecedenti, quod falsificatur in actu comprehensivo formicæ, qui perfectior esset actu confusso, & abstractivo terminato ad Deum, nego consequentiã, si concretivè summatur. Ad summum enim ex argumento sequitur; actum terminatum ad nobilius objectum secundum se, & abstractè sumptum esse perfectiorem actu terminato ad objectum minus nobile. Ast hæc levis maioritas, vel minoritas adæquatur, & absorvetur per infinitudinem adiunctam vtrique.

84.

84. Obijcies decimò: eò sunt perfectiores creaturæ, quò perfectiorem Dei gradum, seù excellentiam participant: ergo in Deo dantur gradus inęquales in perfectione, aliàs omnes creaturæ essent æquè perfectæ, cum æqualem perfectionem divinam participarent.

85. Respondeo: nego duplex suppositum antecedentis, primum; quod in Deo detur vnus gradus perfectior alio: contrarium enim est, quod defendimus, vndè non debet supponi, sed probari. Secundum; quod maior, vel minor perfectio creaturarum desummenda sit à gradibus perfectionis divinæ, quà divinæ, sed solùm à gradibus perfectionum secundum communem conceptum indiferentem ad divina, & creata, seù secundum se. Quæ est juxta ipsos adversarios etiàm taxatio, & mensura perfectionum divinarum. Ipsi enim dicunt, quod cum divinitas sit æqualis in omnibus prędicatis divinis, tunc aliqua perfectiora dicentur, cum participant prædicatum secundum se perfectius. Sic intellectus divinus perfectior est voluntate divinâ ratione excessûs prædicati intellectûs secundum se respectu voluntatis secundum se. Si ergo perfectiones secundum se sunt mensura maioris, vel minoris perfectionis Dei, quantò magis maioris perfectionis creaturarum. Sed mensura vltima, & à priori est judicium prudentum, tàm pro creatis, quàm pro divinis perfectionibus.

86. Obijcies vndecimò: in Deo dantur prædicata primaria, & secundaria, licèt non respectu Naturæ Divinæ per nos ex omnibus prædicatis absolutis constitutæ, saltem inter ipsa prędicata, v.g. voluntas respectu intellectûs; volitio respectu intellectionis; sed prædicata primaria, sunt perfectiora lęcundarijs: ergo.

87. Respondeo, transeat maior, & distinguo minorem: sunt perfectiora secundarijs, si hæc sint summa, & infinita simpliciter, nego: si ità non sunt, transeat. Cum autem voluntas, & volitio Divinæ sint infinitæ simpliciter, habent, vndè compensent illum excessum activum intellectûs, & intellectionis secundum se ex eô, quod sint conceptus primarij, de quô non curo. Aliter autem se haberent conceptus creati, quià non haberent compensativum.

88. Obijcies duodecimò: quod est formaliter vitale, summè felix, ac beatum, perfectius est eô, quod ita non est; sed intellectus Divinus est formaliter vitalis, summè felix, ac beatus, non ità Omnipotentia, quæ vitalis non est: ergo.

89. Respondeo: distinguo maiorem: eô, quod ità non est tàm formaliter, quàm ęquivalenter, concedo: eô, quod ità non est solùm formaliter, & æquivalenter est tale, nego. Ità esset Omnipotentia ratione infinitudinis sibi adiunctæ, ac proinde æquè perfecta. Omitto pro

pro nunc attributa Divina, non esse formaliter vitalia, quod plures negant.

90. Obijcies decimò tertiò: quoties aliqui conceptus communes sunt secundum se inæquales, etiam differentiæ eorum contractivæ sunt inæquales; sed plures conceptus Divinarum perfectionum communes secundum se sunt inæquales: ergo etiàm differentiæ, & consequenter concreta resultantia. Probatur maior: nam ideò omnes differentiæ substantiæ sunt nobiliores omnibus differentijs accidentis, quià substantia vt sic nobilior est accidenti vt sic.

91. Respondeo: vel nego maiorem absolutè, & similiter causalem probationis, vel eam distinguo: etiàm differentiç sunt inæquales, si differentiæ sint infinitæ simpliciter, nego: nam ità & æquales sunt, & æqualizant rationes communes, si ità non sint, transeat: eò quod plures iudicent perfectiores gratiam justificantem, & dilectionem gratiæ etiàm supernaturalem, quæ sunt intra rationem accidentis, animâ rationali, quæ est intra conceptum substantiæ.

92. Obijcies decimò quartò: ipsæ infinitates, seù infinitudines, sunt inter se inæquales: ergo non æqualizant excessum prædicatorum secundum se. Probatur antecedens: Divinitas contrahens intellectivum, & Divinitas contrahens volitivum contrahunt gradus inæquales, cum perfectius sit intellectivum volitivo: ergo sunt inter se inæquales: nam ab æqualitate, & maiori, vel minori perfectione gradûs contracti, refunditur inęqualitas, maior scilicèt, vel minor perfectio in differentias contrahentes.

93. Respondeo: nego antecedens: ad probationem, nego antecedens, & distinguo subsumptam probationem: ab inæqualitate gradûs contracti refunditur inæqualitas in differentias contrahentes, si hæ sint finitæ, & creatæ, concedo: si sint infinitæ, & Divinę, nego. Ratio disparitatis est, quià differentiæ creatæ, cum non habeant ex se, nec formaliter, nec æquivalenter omnem perfectionem possibilem ex respectu, aut quasi respectu ad conceptum perfectiorem contrahibilem, potest crescere intensivè in perfectione. Vndè à maiori, vel minori perfectione conceptuum contractorum, evadent differentiæ perfectiores, vel minus perfectæ. Cum verò differentiæ contrahentes sint Divinæ, & infinitę, cum ex se habeant æquivalentèr eam perfectionem, quam possent habere ex respectu, vel quasi respectu ad gradum perfectiorem, ex eò formalitèr habito à Divinitatê contractiva, intellectus non accipit aliquam maiorem perfectionẽ respectu divinitatis contractivę voluntatis.

94. Obijcies decimò quintò: sapientia (vt vnum est perfectior volitione vt vnum: ergo sapientia

finita

infinita, est perfectior volitione infinita: nam, sicut se habet vnus gradus sapientię ad vnum gradum amoris, ità duo ad duos, mille ad mille, & infiniti ad infinitos. Explicatur: quià vna libra auri v. g. excedit in perfectione vnam librã argenti, sic & duę duas, mille mille, & infinitum auri infinitum argenti. Ratio est: quià, cum additio graduum sit æqualis, & aliàs hęc additio cadat supra materiam inęqualem, auri scilicèt, & argenti, infinitum excedit infinitum excessu infinito; sed Divinitas addita est æqualis, & entitates sapientię, & amoris inæquales: ergo.

95. Respondetur: concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo sapientia infinita secũdum quid, est perfectior volitione infinita secundum quid, concedo: quià ità cum gradus sint ęquales, & entitativa perfectio sapientiæ superior, nec ex parte volitionis detur aliquod compensativum, tandem inæquales evadunt. Si sapientia, & volitio sint infinitæ simpliciter, nego: nam ex parte volitionis datur infinitudo compensans, absorbens, & æqualizans illum excessum activum conceptûs sapientiæ. Idem dic ad exemplum explicationis: infinitum auri excedere infinitum argenti, quià cum sint infinita secundum quid, non datur compensativum ex parte argenti pro excessu activo auri.

96. Replicas primò: infinitas addita sapientiæ, est intra lineam sapientiæ, & infinitas addita volitioni intra lineam amoris; sed hæc duplex linea est inter se inæqualis: ergo licèt sit vtraque infinitudo simpliciter, remanet inæqualis: aliàs infinitudo immutaret naturam, & essentiam linearum.

97. Respondetur: nego consequẽtiam: nam licèt lineæ secundũ se sint inæquales, cum infinitudo lineæ volitionis sit simpliciter, & summa, non conservat eam inęqualitatem linearum; sed ratione æquivalentiæ, & continentiæ virtualis perfectionis activæ sapientiæ æqualizat conceptum volitionis, nec immutat, sed elevat illum, sicut differentia rationalis non immutat, sed elevat animal ad esse hominem; quod quidem animal secundum se poterat cum irrationale componere speciẽ imperfectiorem bruti.

98. Replicas secundò: omnes gradus sapientiæ distributivè excedunt omnes gradus amoris: ergo collectio omnium graduum possibilium sapientiæ excedit collectionem omnium graduum possibilium amoris; sed sapientia infinita nil aliud est, quam collectio omnium graduum possibilium sapientiæ, & volitio infinita nil aliud, quam collectio omniũ graduum possibilium amoris: ergo sapientia infinita excedit volitionem infinitam.

99. Respondetur: transeat primum consequens, & distinguo secundum: ergo collectio omnium graduum possibilium sapientiæ excedit collectionem omnium gradu-

um posſibile amoris ; ſi collectio includat non ſolùm extenſionem graduum, ſed etiam omnem intétionem posſibilem ; ſeù perfectionem graduum, nego : ſi ſolùm extentionem includat, concedo. Infinitudo ſimpliciter non ſolùm includit extenſionem lineæ, in quâ eſt, ſed etiam omnem intenſionē, ſeù perfectionem posſibilem ſuæ lineę. Vndè volitio Divina non ſolùm includit extenſivam perfectionem volitionis, ſed omnem posſibilem intenſionem. Cum autem intra lineam volitionis ſit æquivalētia ad omnes perfectiones ſapientiæ, vt ſæpè diximus, indè eſt, quod etiam ſi ſinguli gradus amoris excedantur diſtributivè à ſingulis gradibus ſapientiæ, & collectio extenſiva omnium graduum posſibilium, amoris à collectione extenſivâ omnium graduum posſibilium ſapientię; quæ quidem collectiones extenſivè tantùm ſunt infinitæ, ad ſummum ſecundum quid, non tamèn collectio omnium graduum amoris, ſi intenſivè ſumatur, comprehendens proindè amoré Divinum à collectione omnium graduum ſapientiæ; etiam ſi vniverſaliſsimè, & intenſivè etiam ſumatur comprehendens proindè ſapientiam Divinam.

100. Obijcies decimò ſextò: æqualitas vt talis eſt relatio ; ſed nequit dari relatio intrinſeca obiectiva inter prædicata divina realiter identificata; ergo nec æqualitas.

101. Reſpondetur: diſtinguò maiorem : eſt relatio formalis, nego: fundamētalis, concedo. Cum ergo per me ſimile, & æquale formaliter non convertantur cum relato formaliter, deturque proindè ſimile, & ęquale formaliter independenter ab intellectû; non tamèn relatum formaliter, indè eſt, quod ſine vlla relatione, ac proindè ſine vlla diſtinctione reali concedam intèr prædicata Divina formaliter tantùm diſtincta ęqualitaté formalem intrinſecā, & obiectivā, quæ per actum comparantem reddantur formaliter relata; ſed de hoc ſatis, Sectionibus antecedentibus.

102. Obijcies decimò ſeptimò: prædicata relativa ſunt inæqualia: ergo, &c. Antecedens probatur primò: ex illo Chriſti apud Ioanné 14. verſic. 28. *Pater maior me eſt*. Secundò Actor. verſic. 28. vbi dicitur: *Beatius eſt magis dare quàm accipere*; ſed Pater dat eſſe Filio, & Filius accipit eſſe à Patre : ergo. Tertiò: juxta Philoſophum ſpecies ſunt ſicut numeri, ac proindè inæquales; ſed Paternitas, & Filiatio ſunt ſpecies : ergo. Quartò : Paternitas eſt improducta, & omninò à ſe. Filiatio eſt producta, ab alioque perſonalitèr, licèt non eſſentialitèr. Item Paternitas eſt conſtitutiva primi principij ; non ſic Filiatio, & Spiratio; ſed eſſe omninò à ſe, eſſe etiam improductum, & conſtitutivum primi principij eſt perfectius non tali: ergo.

103. Hinc brevitèr præſcripta ſunt

sunt omnia argumenta, quæ opponi solét, & possunt contra æqualitatem relationum: ad quæ etiàm breviter respondetur, licèt sit punctum independens à præsenti nego antecedens: ad primam probationem, & authoritatem Christi Domini apud Ioannem respondeo, Patrem non esse maiorem Filio in perfectione, quæ est Hæresis Arianorum damnata ab Ecclesiâ; sed est maior origine, id est prior, eò sensu, quò in humanis, qui præcedunt origine, maiores dicuntur, juxta illud, quod etiam pueri didicistis: *Maiores natu vereri, est officium adolescentis.* Ad secundam respondetur, Beatius est, dare quàm accipere inter Personas creatas, non verò inter divinas, vbi infinitudo accipientis absorbet, & æqualizat excessum dantis. Ad tertiam respondetur, species esse sicut numeros quoad variationem, seù diversitatem, non tamèn quoad inæqualitatem necessariò, nàm inter diversa potest dari omnimoda æqualitas. Sic inter colores viridem, cæruleum, & violaceum v. g. datur diversitas, & æqualitas. Ad quartam distinguo minorem: esse omninò à se improductum &c. est perfectius non tali, si hoc non tale sit tam formalitèr, quàm æquivalenter non tale, concedo: si sit solùm formalitèr non tale, & æquivalenter tale: nego. Sic Filiatio est æquivalenter omninò à se improd. &c.: ergo & æqualis.

204. Replicas: Paternitas est formaliter improducta, & Filiatio solùm virtualiter: ergo Paternitas est perfectior Filiatione. Probatur consequentia: quoties duo participant eandem perfectionem, & vnum participat eam modo perfectiori, aliud verò modo minus perfecto perfectius est vnum, quàm aliud. Probatur primò à paritate effectûs formalis *Sancti* qui perfectior est in Verbo divino, vbi Sanctitas est perfectiori modo, scilicèt per identitatem, quàm in humanitate vbi est modò minus perfecto, scilicèt per vnionem, licèt sit eadem Sanctitas. Probatur secundò ratione à priori. nàm effectus formalis resultat ex subjecto, formâ, & modô quò forma communicatur subjecto: ergo sicut, quò perfectior est forma, perfectior est effectus formalis, ità quò perfectior est modus habendi formam, perfectior vtique erit talis effectus. Tunc sic; sed perfectiori modò participat Paternitas prædicatum *improducti*, nempè formaliter, quàm Filiatio, nempè virtualiter: ergo Paternitas est perfectior Filiatione.

105. Licèt ex doctrina datâ secundo argumento, hæc replica satìs maneat soluta, quià æquivoco per dificili laborat, & quia æque potest efformari inter prædicata absoluta, eam iterum instaurandam judicavi, vt ex eius solutione clarius eluceat doctrina. Respondetur ergo: distinguo antecedens quoad secundam partem: Filiatio solùm virtualiter, si sensus sit Filiationem participare modo aliquo *rationem im-*

improducti, nego: si sensus sit, Filiationem participare formaliter aliquam perfectionem, quæ æquivalet perfectioni *improducti* repertæ in Paternitate, concedo. Ad probationem transeat assumptum propter eius duplicem probationem, quàm aliqui gravissimi Theologi destruunt asserentes, æquè perfectè sanctificari Verbum per sanctitatem sibi identificatam, ac humanitatem per sanctitatem sibi vnitam, non attendentes diversitati in modo habendi eandem formam in ordine ad effectus formales. Et nego suppositum minoris subsumptæ, quod Filiatio aliquô modô vel perfecto magis, vel minùs perfecto participet prædicatum *improducti* repertum in Patre, quod quidem nullo modô participat. Indeque patet disparitas ad exemplum Sanctitatis participatæ per identiatem à Verbo divino, & participatæ per vnionem ab humanitate, solutioque ad rationem à priori. Cum enìm dicimus, Filiationem divinam esse æquivalenter improductam, voluntatem æquivalenter intellectum &c. non est quià Filiatio participat conceptum improductæ, aut voluntas conceptum intellectûs aliquo modô minùs proprio; sed quià participant formaliter suam infinitudinem simplicitèr, quæ tantum valet, ac ea perfectio *improducti, & intellectûs*: sicut licèt aurum sit, & dicatur æquivalenter argentum, non est quià participet aliquo modô naturam, & perfectionem argenti formaliter, sed quià in sua formali perfectione, & natura auri, tantum valet, ac ipsum argentum, cui æquivalet, quæ doctrina maximè notanda est pro plena quæstionis intelligentia.

SECTIO VLTIMA.

QVID DICENDVM DE PERFEctione extensiva?

106. Dicendum: *prædicata divina posse esse extensivè inæqualia, & defacto ità se habere Naturam divinam respectu cuiusque alterius prædicati divini solitariè sumpti.* Probatur primo, concretum ex duplici perfectione divinâ, intellectu v. g. & voluntate, licèt intensivè non excedat aliquam perfectionem divinam solitariè sumptam, Omnipotentiam v. g. excedit tamen illam extensivè; sed possunt ità ad invicem separari formalitèr, vt intellectus creatus concipiat illum, & voluntatem nullo modô conceptâ Omnipotentiâ: ergo. Probatur maior: complexum illud excedit in numero perfectionum quamlibet perfectionem solitariè sumptam; sed hoc est excedere illam extensivè: ergo. Probatur maior: duæ perfectiones divinæ, licèt non sint plus perfectionis, sunt tamen plures perfectiones, quàm vna; sed concretum illud sunt duæ perfectiones, perfectio verò illa solitariè sumpta, est vna tantum perfectio: ergo. Hinc stat secunda pars conclusionis; quod scilicèt Natura di-

diuina defacto sit perfectior extensivè reliquis prædicatis diuinis solitariè sumptis. Natura Diuina per nos, est complexum continens formaliter omnes perfectiones absolutas, seù intra lineam vnius entis: ergo est perfectior extésivè reliquis solitariè sumptis.

107. Obijcies primò: in Deo non est ponenda perfectio extensiva: ergo concretum illud, vel excedit intensivè, vel extensivè tantum non excedit. Antecedens probatur. nàm ideò in Deo non ponitur perfectio creata, quià solùm addit extensivam perfectionem.

108. Iam supra huic argumento satisfeci distinguédo antecedens: non est ponenda perfectio extensiva, si non sit admista imperfectione, nego, & ità se habet omnis perfectio diuina; si admista sit imperfectione, concedo, & ità se habet omnis perfectio creata, ideòque non collocatur in Deo.

109. Obijcies secundò: si complexum illud, vel Natura diuina excederet extensivè quamlibet perfectionem solitariè sumptam, excederet illam excessu simpliciter infinito; sed hoc repugnat, aliàs iam esset excessus non solùm extensivus, sed intensivus: ergo. Probatur maior primò: talis excessus esset diuinus, cum esset excessus perfectionis diuinæ vt talis: ergo esset infinitus. Secundò: talis excessus non esset finitus, nec præscindens à finito, & infinito, nàm talis est excessus, qualis est perfectio excedens; sed perfectio excedens non esset finita, nec præscindens à finita, & infinita, sed positivè infinita: ergo. Tertiò: ideò excessus Dei respectu creaturæ est infinitus, & excessus vnius creaturæ respectu alterius finitus, quià primus est excessus perfectionis infinitæ, & secundus excessus perfectionis finitæ: ergo qualis fuerit perfectio excedens, erit excessus. Tunc sic: sed perfectio excedens in complexo illo, seù Natura diuina, est infinita: ergo & excessus erit infinitus.

110. Respondeo: distinguo maiorem: excederet illam excessu infinito materialiter, & entitativè tali, concedo: formaliter tali, seù qui in ratione excessûs esset infinitus, nego. Et nego minorem sub distinctione datâ. Excessus ille esset certè entitativè, & materialiter infinitus, cum esset excessus alicuius perfectionis infinitæ; ast non esset formaliter infinitus, nàm in esse excedentis, illa infinitudo se haberet de materiali, & solùm de formali ille numerus binarius, aut ternarius respectu alterius numeri minoris, cum in hoc numero solùm detur excessus, & in reliquis æqualitas. Vndè talis excessus materialiter infinitus, esset formaliter finitus; nàm licèt vnitates constituentes illum numerum binarium, vel ternarium sint infinitæ, hoc materialiter se habet ad rationem numeri, in quâ vnicè est excessus. Hinc patet solutio probationum maioris. Ad primam respondetur, talem excessum

esse perfectionis Divinæ, sed quæ in ratione excedentis non se habet vt formaliter divina, cum solùm excedat ratione numeri, qui quidem in esse talis est finitus. Idem dic ad secundam probationem.

111. Ad tertiam dic: in excessu Dei respectu creaturæ de formali se habere infinitudinem, & in excessu creaturæ respectu alterius, finitudinem. Vndè excessus ille est infinitus, hic verò finitus. Si verò duæ Personæ divinæ comparentur in esse numeri cum vnâ personâ creata, excessus esset finitus formaliter, vel infinitus entitativè, & materialiter, eò quod materialiter se habet infinitudo Personarum constituentium numerum binarium. Ità, & eodem modô in nostro casu, cum illud complexum, & illa perfectio solitariè sumpta in reliquis sint æqualia, & vnicè detur excessus in numero, qui vt talis est finitus, & consequenter excessus in esse talis erit finitus.

112. Objicies tertiò: si complexũ illud duplicis perfectionis divinæ, esset inæquale extensivè alteri perfectioni solitariè sumptę, hæc diceret carentiam illius perfectionis extensivæ, à quà superatur, cum dicat minoritatem in se, & excessum activum in complexo: ergo non posset realitèr identificari cum illa maiori perfectione, aliàs identificarentur forma, & carentia formæ.

113. Confirmatur: per nos repugnat inter predicata realitèr identificata intrinseca, objectiva inæqualitas; sed inæqualitas extensiva esset intrinseca, & objectiva: ergo sicut repugnat inæqualitas intensiva, ità & extensiva.

114. Respondetur: me non defendere inæqualitatem intrinsecam objectivam, adhuc extensivè, ob rationem argumenti, cum intrinsecè objectivè Omnipotentia v. g. non dicat carentiam duplicis illius prædicati intellectûs, & voluntatis, seù dualitatis illorum prædicatorum, quibus cum intrinsecè objectivè est idem, sed solùm formalem, & extrinsecam; fundatam tamen in ipsis prædicatis, quæ re ipsâ dantur ex parte objecti, non tamen re ipsâ distincta, seù, quæ sint duo, aut vnum, sed quę ità redduntur extrinsecè per actum præscindentem: quibus ità præscisis, & constitutis in esse duorum per præcisionem, si comparentur inter se, dicuntur inæqualia, eo modo, quô Natura divina dicitur distincta distinctione includentis ab incluso à quolibet attributo, & complexum illud à quâlibet perfectione solitariè sumptâ, qualiter non sunt inæqualia intensivè.

115. Dices: ergo inter prædicata realitèr identificata, poterit admitti inæqualitas intensiva extrinseca, & formalis. Respondetur: concedo consequentiam: nàm eo modô, quò vnum prædicatum dicit carentiam præscisivam alterius, v. g. animal respectu rationalis, risibile respectu eiusdem rationalis, potest dicere minoritatem præscisi-

vam

vam in se, & maioritatem præcissivam in alio, ac proindè inæqualitatem præscissivam, quatenus scilicèt, concepto risibili, non concipitur rationale, ac proindè caret illa maiori perfectione rationalis, estque inequale respectu illius, non tamen esset intrinsecè objectivè tale. Prædicata verò divina quà talia, nec dicunt intrinsecam inæqualitatem, in quô eodem modò se habent reliqua prædicata realitèr identificata, nèc dicunt eam inequalitatem præscissivam; nàm concepta Omnipotentiâ, concipitur æquivalentèr ea maior perfectio intellctûs, & voluntatis.

QVÆSTIO VIII.

AN DEVS, ET CREATVRA FAciant quid simplicitèr perfectius solo Deo?

1. PRima sententia affirmat. Ità Durandus, Cardin, de Lugo, & Arriag, apud Izquier. quæst. 16. sect. 4. qui, licèt solùm maioritatem extensivam concedant; eam tamen perfectionem simplicitèr talem esse, putant. Quibus adde aliquos &c.

2. Secunda sententia tenet, creaturam posse addere Deo aliquid melius, non quidem absolutè, sed directivè, & cum addito, nempè ad aliquem finem, & in hoc sensu Christum esse *Sanctiorem & meliorem Patre ad hoc*, sed non meliorem absolutè. Ità Lumbier quæst. 7, artic. 3. num. 259.

3. Summè displicèt modus hic discurrendi, primò: quià non solùm potest creatura addere Deo quid melius in hoc sensu, verum creatura sola melior est Deô, nam in ordine ad finem merendi, peccatorum pœnitendi, jeiunandi &c. Deus est incapax, & creatura apta: ergo & vnicè melior. Secundò: etiam melior est Dæmon ipso Deo in ordine ad finem tentandi homines, & promovendi ad peccata, & melior Antichristus Divo Joanne. Imò Deus dicetur malus, cum sit incapax conducēdi adhunc finē. Quis ergo similes loquutiones probabiles accipiet? Tertiò quià melius, cum sit comparativum, supponit bonum: ergo si complexum ex Deo, & Juda in ordine ad venditionem Christi, addit melius, Deus, quid bonū erit ad talem venditionem. Quod, quis dicet? Quartò non est idem, esse aliquid aptum adhunc finem, ac esse melius in sensu, quô in præsenti quæstione sumitur hæc vox *melius*: nàm hìc sumitur pro eodem, ac *perfectius*; vndè licèt Christus in ordine ad merendum, & satisfaciendum pro hominibus, sit aptior solo Deô, non tamen est perfectior in ordine ad talem finem: nàm modus se habendi Christi in ordine ad talem finem, non est perfectior modo se habendi solius Dei ad illum, cum tota perfectio à Deo provenit. Quintò: licèt Christus diceretur *melior* pro eodem, ac *aptior*, non tamen diceretur *Sanctior* Patre. Vndè enim potest converti *aptius* cum

cum *Sancto*? ergo nec *aptior* sumi pro eodem, ac *Sanctior*.

4. Tertia sententia potest esse P. Izquier. citati sequuti P. Vazquez tom. 1. tract. 7. d. 16. quæst. 4. asserentis complexum ex Deo, & creatura esse simpliciter minus perfectum solo Deo. Nàm totum, in quô est aliqua imperfectio, minus perfectum est, quàm totum aliud æquale, in quô nulla est imperfectio; sed Deus solus est æqualis in perfectione complexo resultanti ex ipso, & creaturâ, & aliàs non dicit imperfectioné talis complexi: ergo.

5. Displicet etiàm, quia sicut infinitas Dei absorvet omnem maioritatem, minoritatemvè, aut inæqualitatem conceptuum secundum se, omnesque æquales facit, quià quæcumque perfectio est nihil ante Deum, ità & absorvet etiàm omnem creaturam, cum etiàm sit nihil ante Deum. Insuper complexum ex Deô, & creaturâ est summè, & infinitè æstimabile: ergo Deus non est magis æstimabilis, ac proindè nec perfectior.

6. Quarta sententia probabilior tenet: complexum ex Deô, & creatura non esse simplicitèr perfectius solo Deo; sed ad summum extensivè, & secundum quid. Ità Molina, Fasolus, Derchen. Comptonus. disp. 6. sect. 3. n. 10. Gonet, disp. 4. de attributis §. 3.

7. Conclusio hæc varijs exemplis solet explicari; v. g. finitum additum infinito, indibisibile additum lineæ, gutta addita oceeano, tempus additum æternitatî non faciunt quid simplicitèr maius: ergo nec creatura addita Deo (cum respectu ipsius se habeat quasi nihilum, & vt minùs, quàm hęc omnia) faciet quid maius simpliciter; relictâ tamèn hac, & alijs ponderationibus.

8. Probatur duplici authoritate prima Divi August. tract. 11. in Joannem, vbi: *Si fueris sine Deo miminor eris, si fueris cum Deo; maior Deus non erit; non ex te ille maior, sed tu sine illo minor*: quid clarius? nec potest intelligi de Deo secundũ se, hoc est, quod Deus ex concursu cum creaturâ, non fit maior in se, fit tamen maior in complexo. Nàm in se ex defectu Dei non fit minor creatura, sed in complexo. Vndè sic argumentor: in eodem sensu, in quô fit minor creatura sine Deo, non fit maior Deus sine creaturâ juxta D. August. sed creatura sine Deo fit minor non in se, sed in complexo: ergo Deus non fit maior cum creaturâ etiàm in complexo.

9. Secunda authoritas desumitur ex D. Thom. 1. 2. art. 3. ad 2. quæst. 34. *illud, quod est optimum, nullo addito potest fieri melius*. Tunc sic; sed Deus est optimus, summusque in perfectione: ergo nullo addito potest fieri melius.

10. Probatur ratione: Deus non est minor intensivè concreto; sed nec concretum est intensivè minus Deo: ergo neque crescit, neque decrescit ratione creaturæ, sed æqualiter se habent Deus solus, & concretum. Probatur maior: perfectio

fectio illa formalis, quam addit creatura in concreto, continetur in solo Deo, qui vtpotè ens summum, & perfectum in omni genere entis, continet eminenter omnes perfectiones creaturæ: ergo. Probatur minor: concretum est infinitum simpliciter, cum gaudeat constitutivè aliquâ perfectione Diviná vt tali, quià sicut illud reddit simpliciter Deum, vt constat in Christo, ità illud reddit infinitè simpliciter perfectum; sed quod ità se habet, non est minùs perfectum: constat etiam in Christo; aliàs, nec esset summum, nec infinitum simpliciter: consequentia ergo prima rectè deducitur.

11. Obijcies primò: Christus est melior Patre, sed Christus est complexum ex Deo, & creaturâ. ergo. Probatur maior. Christus plus laudatur; & veneratur à nobis, quàm Pater: ergo in æstimatione prudentum plùs sibi vendicat æstimationem.

12. Respondetur; Christum non esse meliorem Patre in se, sed nobis, & quoad nos: & quià maior benefactor factus est nobis, debemus eum magis laudare, & affectivè venerari quàm Patrem; non laude venerativâ, aut magis apretiativâ respiciente magnitudinem eius in se, sed gratificativá respiciente nostrum beneficium.

13. Obijcies secundò: duo sunt plura, quam vnum, & totum est maius suâ parte; sed Deus, & creatura sunt duo, & totum; ergo maius est solo Deô, qui est vnus, & pars. Respondetur: distinguo maiorem: si vnum, & id, quod se habet vt pars, sit simpliciter infinitū, summumque in perfectione, nego: aliter, concedo. Vndè licèt complexum illud diceret plures perfectiones; non tamèn plus perfectionis. Sic licèt triplex Persona addat plures perfectiones, quàm vna, non tamèn plus perfectionis: quià quælibet habet tantùm perfectionis, vt sit augmenti incapax; ità titulô maiori in casu quæstionis. Hinc constat, complexum illud esse extensivè maius solo Deô: nàm in concreto est eadem perfectio, quæ in solo Deo. Aliundè est perfectio creata formaliter, quæ non est formaliter in solo Deo: ergo in concreto datur maior numerus perfectionum, atque adeò est maius extensivè.

14. Obijcies tertiò pro tertiâ sententiâ: in solo Deo, & in concreto est eadem perfectio Dei intensivè æqualis; aliàs in concreto relucerent plures imperfectiones, quas Deus solus non importat, cum reluceant in eô imperfectiones creaturæ vt talis: ergo tale concretum est minùs perfectum solo Deô. Consequentia probatur primò: quia quod perfectum est sine imperfectione, intensivè perfectius est eô, quod est perfectum cum imperfectione. Secundò: quià melius est non esse imperfectum, quàm ità esse. Tunc sic: sed Deus solus est perfectus sine imperfectione; complexum

plexum verò illud est perfectius cũ imperfectione: ergo, &c.

15. Confirmatur: perfectio sine imperfectione maior est perfectione admistâ imperfectione; sed Deus solus est perfectio sine imperfectione, complexum verò resultans ex Deo, & creaturâ, est perfectio admista imperfectione: ergo, &c.

16. Respondetur: distinguo antecedens quoad secundam partem: in concreto relucent plures imperfectiones officientes perfectioni ipsius, nego: non officientes illi, concedo, & nego consequentiam. Ad primam probationem, distinguo propositionem: quod perfectum est sine imperfectione, perfectius est intensivè eò, quod est perfectum cũ imperfectione, si hoc sit simpliciter infinitè perfectum, nego: si ità non sit, transeat. Perfectio huius concreti est simpliciter infinita, cũ sit ipse Deus. Aliàs; imperfectiones illius provenientes à conceptu creaturæ ibi incluso, nequeunt officere, seù inficere perfectionem illius, quia imperfectio per coniunctioné nostri intellectûs illam supponentis, cum nil ponat in re, non inficit perfectioné infinitam comparis. Neque coniunctio per vnionem physicam inficit Verbum Divinum vnitum humanitati: aliàs vi illius hoc non maneret Deus, & confunderetur Natura Divina, & humana. Solùm enim imperfectio per identitatem officit, & inficit perfectionem, ideòque inficiuntur perfectiones creatæ, quià per identitatem dicunt imperfectiones: ergo si neque per aggregationem, neque per vnionem inficitur perfectio simpliciter infinita partis, vel quasi partis, nec minuitur: & consequenter æqualiter se habet, quin vi imperfectionis adiunctæ aliquam inæqualitatem accipiat.

17. Ad secundam probationem distinguo similiter propositionem: melius est non esse imperfectum, quam ità esse, si imperfectum sit simul infinitè simpliciter perfectum, nego: si ità non sit, transeat. Ad confirmationem similiter distinguo maiorem: perfectio sine imperfectione maior est perfectione admistâ imperfectione, perfectione simpliciter infinitâ tali, nego: nõ tali, transeat. Nam cum talis mistio non sit per identitatem, sed solùm per aggregationem, vi illius non minuitur perfectio, sed remanet æqualis. Illa ergo imperfectio admista absorbetur, sicut perfectio illa maior conceptuum secundum se ratione infinitudinis. Ratio pro omnibus est: quia sicut illa coniunctio non extrahit lapidem, vel hominem à ratione hominis, vel lapidis, neque Deum extrahit à ratione Dei, & infiniti simpliciter. Constat hoc in Christo: ergo si remanet concretum infinitum simpliciter, æquale remanet, cum infinitum simpliciter vt tale, nequeat esse minus alio.

18. Obijcies quartò, & simul replicas: perfectius est id, quod est

est à se, & necessarium in existendo, eò quod est ab alio, & contingens; sed Deus solus est à se, & necessarius in existendo; concretum verò est ab alio, & in existendo contingens: ergo.

19. Respondetur: distinguo antecedens: perfectius est, eô quod est ab alio, & contingens, si sit ab alio & contingens adæquatè, & secũdum omnes suas partes, concedo: si ità non sit, sed secundum vnam ab alio, & contingens, & secundum aliam à se, & necessarium, nego. Et distinguo minorem quoad secundam partem: concretum verò est ab alio, & contingens adæquatè, & secundum omnes suas partes, nego: inadæquatè, & secundum vnam tantùm partem, concedo. Ità enim est complexum, quod cum remaneat absolutè Deus, & infinitum simpliciter, ratione alterius partis imperfectæ nullatenus inficientis aliam compartem, manet simpliciter æquale.

20. Replicas primò quod est adæquatè necessarium, & à se, perfectius est, eò quod est solùm inadæquatè tale; sed per me Deus solus est, adæquatè necessarius, & à se; complexum verò inadæquatè tantum: ergo.

21. Respondetur: nego antecedens, quod debet probari, cum contrarium dicamus. Nam sicut id, quod est inadæquatè tantum necessarium, & à se, non desinit esse Deus, & simpliciter infinitum, ità nec desinit esse æquale.

22. Replicabis secundò; & simul instas: id, quod est adæquatè spirituale, & immortale, perfectius est, eò quod solùm est inadæquatè tale; sed Deus solus est adæquatè spiritualis, & immortalis; complexum verò inadæquatè tantum: ergo. Maior probatur primò à paritate Angeli, qui ideò perfectior est homine, quià est adæquatè spiritualis, & immortalis; homo verò inadæquatè talis.

23. Probatur secundò: quod est absolutè immortale, est perfectius eò, quod est absolutè mortale; sed licèt vna pars cõplexi ex Deo & Aquilá v.g. sit immortalis, sufficit, quod alia sit mortalis, vt complexum dicatur absolutè mortale: patet hoc in homine corruptibili absolutè denominato ab vnione: ergo.

24. Ante responsionem nota, ex his argumentis, & instantijs inferri, Christum Dominum non esse æquè intensivè perfectum, ac Deum, & consequenter minui eius perfectionem per vnionem ad humanitatem, nec remanere simpliciter infinitum, ac per consequens nec Deum.

25. Respondetur: maiorem esse absolutè falsam: homo enim inadæquatè solùm spiritualis, & immortalis, est perfectior vbicatione Angelicá adæquatè spirituali, & intellectu Angelico adæquatè immortali, si hic distinguatur à substantiá intellectivá illius, sitque proindè accidens superadditum: ideò

enim Angelus est perfectior homine, quia non compensat, nec habet vnde compenset perfectionem naturæ Angelicæ, quô sistit prima maioris probatio. Et hæc est solutio secundæ, cuius maiorem ità distinguo: id quod est absolutè immortale, perfectius est eô, quod est absolutè mortale, si sit adæquatè mortale, vel immortale immortalitate simpliciter finitâ, transeat; si sit absolutè mortale, & simul immortale, immortalitate simpliciter infinita (idē dic de spiritualitate comparatione rei materialis) nego. Nam cū ratione huius immortalitatis adjunctæ summè, & simpliciter infinitæ, continentisque proindè virtualiter omnem perfectionem possibilem rei adæquatè immortalis, & spiritualis, habeat vndè compenset illum excessum, evadet absolutè mortale æquale absolutè immortali.

26. Obijcies quintò: si complexum ex Deo, & creaturâ esset æquale soli Deo, esset æquè bonum, & sanctum, ac solus Deus; sed non est ità: ergo. Probatur minor: quod magis opponitur, & repugnat peccato, magis bonum & sanctum est, quâm aliud ità non oppositum; sed Deus solus (cum vndèquaque sit incapax peccati) magis opponitur, & repugnat peccato, quàm aliud, si ly *aliud* sit capax ex aliquâ parte sui; vt est complexum ex parte hominis: ergo.

27. Respondetur: concessâ maiori negando minorem, ad cuius probationem concessâ item maiori, distinguo minorem quoad secundam partem: si ly *aliud* sit capax peccati ex parte suî aliquâ, & ex aliâ incapax incapacitate simpliciter infinitè perfectâ, nego: aliâ incapacitate non infinitè perfectâ, concedo. Solutio constat ex dictis. Sicut enim complexum illud ex vnâ parte, nempè ex parte hominis est capax peccati, cum tamen ex alia parte, nempè Dei, gaudeat incapacitate simpliciter infinitè perfectâ, ab hac æqualizatur complexum, & illa imperfectio ex parte creaturæ absorbetur.

28. Replicas: *malum ex quocumque defectu*; sed illâ capacitas peccati ex parte hominis, est quicumque defectus: ergo tale complexum ratione illius, ad minus non evadet æquè bonum.

29. Nota, consequentiam inferendam debere esse hanc: ergo illud complexum esset malum absolutè, quam in Christo esse falsam, clarè dignoscitur. Proloquium ità limita: malum ex quocumque defectu, quando defectus non adjungitur bono simpliciter infinito, vi cuius, quicumque defectus absorbetur, vt evenit in casu conclusionis.

30. Obijcies sextò: si tale complexum esset æquè bonum, esset æquè amabile, visumque intuitivè æquè necessitaret ad amorem, ac ipse Deus solitariè visus; sed non necessitat: ergo.

31. Respondetur: nego sequelam quoad amorem necessarium: nam

tiam cum resultet vnum motivum per identitatem ex vtrâque bonitate creatâ, & increatâ, inficitur hæc ab illâ in ordine ad necessitandam voluntatem ratione imperfectionis creatæ retardantis, & retrahentis; sicut juxta communiorem sententiam duplex præmissa de Fide non inducit conclusionem de Fide, sed Theologicam: quià scilicèt ex motivo vtriusque præmissę resultat per identitatem conclusionis motivum, quod actum Fidei non inducit, licèt includat aliud, quod solitariè, & seorsim sumptum actum Fidei specificat. Ità licèt Deus solus intuitivè visus rapiat voluntatem, & specificet amorem necessarium, si tamen illi admisceatur imperfectio bonitatis createę, inficitur, nec rapit voluntatem, nec necessitat.

QVÆSTIO IX.

DE INCLVSIONE DIVINARVM perfectionum.

1. QVIà res est æquivocis exposita vtpotè vocibus *includens, inclusum, exclusum, & excludens* immista, nè eis laboremus, suppono: hîc à DD. id appellari inclusum in alio, quod ita ingreditur illius essentiam vt sine illo, nec possit concipi, aut definiri, vt animal in homine. Vndè si duo ità se habent, vt nequeant ad invicem mente separari, mutuò se includere dicuntur, & è contra. Suppono etiàm claritatis gratiâ præscissiones objectivas. Sub quæstionis titulo triplex disputatio continetur: prima de Naturâ circa attributa, secunda de attributis inter se, tertia de Naturâ erga relationes. De quibus per singulas sectiones.

SECTIO I.

VTRVM NATVRA DIVINA Includatur in attributis, & è contra.

2. PRIMA sententia tenet, & essentiam includi in attributis, & attributa in essentiâ. Ità Aureolus, Suarez, Granad. Amicus, & alij apud Leonard. disp. 3. de attributis. Sect. 1.

3. Secunda sententia negat tàm mutuam, quàm non mutuam inclusionem. Ità ipse Leonard. sect. 1. & 4. & apud ipsum. num. 5. Vazquez, Fonsec. Salas, &c.

4. Tertia sententia adstruit inclusionem non mutuam attributorum in essentiâ, non tamen essentię in attributis, Ita Izquierdo, & Quir. disp. 18. Hanc amplector, ideòque

5. Dico primò: *omnia attributa includuntur formaliter in Naturâ.*

6 Probatur primò: quià (vt iàm defendimus quæstione tertia.) Natura Divina essentialiter constituitur omni perfectione possibili absolutâ; sed omnia attributa Divina sunt perfectiones absolutæ: ergo constituitur illis. Tunc sic; sed omne

ne constitutivum includitur formaliter in constituto, vt ex ipso quæstionis vestibulo constat: ergo. Probatur secundò: Natura Divina est formaliter id, quô aliquid melius esse, & excogitari non potest: ergo includit formaliter omne perfectum, quod excogitari potest, & quolibet excogitato de ipsâ formaliter dicitur: ergo & formaliter includitur in ipsâ.

7. Dico secundò: *Natura non includitur formaliter in attributis seorsim, & divisivè sumptis.* Probatur 1. authoritate D. Basilij contra Eunomium, ante medium ità: *quonam pacto non deridendam si creandi virtutem substantiam esse dicat, si providentiam rursus substantiam, eo modò præscientiam, &c.* Sed si includeretur Natura in virtute creandi, seu Omnipotentiâ, Providentia diceretur esse substantiam, &c. Sicut ideò prædicatur animal de homine, quià includitur in ipso: ergo.

8. Probatur secundò: vel includitur natura in quolibet attributo, ità vt transcendat omnem formalitatem ipsius Omnipotentię, v. g. vt aliqui tenent, vel includitur in illâ tamquam in specie resultante ex ipsâ Omnipotentiâ, & conceptu *increati*, vt alij tenent; sed neutro modò includitur: ergo. Non primo modô: quià Ex. D. cuius est hæc sententia, tenet, dari conceptus omnes simpliciter præscissos ad Deum & creaturas: si tamèn Natura Divina transcéderet omnes formalitates intellectûs Divini, quæ formalitas eâ denudaretur ad præscissionem simpliciter, & confusione cū intellectû creato? Non secundo modô: quià iàm sequeretur, quodlibet attributum includere omnia alia attributa, (quod à nobis posteà negabitur) cum omnia includantur in Naturâ per nos; & quodlibet esset totus Deus, cum includat Divinitatem formaliter, quod licèt concedat Ex. D. tenore Doctrinæ ductus, ex eâ sequitur, Spiritum Sanctum procedere vt Deum formaliter, cum illi communicetur formaliter volitio Divina, quæ formaliter est Deus, quod negat ipse: nam ex eô sequeretur, esse Filium, eô quod in eius principijs, procedere vt Deum est, secundam Personam esse Filium.

9. Probatur tertiò ratione à priori: nec Natura Divina ingreditur in definitionem cuiusque attributi, nec concepto quolibet attributô, concipitur essentia nec Natura prædicatur de quolibet, nec quodlibet complectitur perfectiones formaliter omnium linearum sed suę propriæ lineæ: ergo nullum includit formaliter Natura.

10. Argumenta, quæ faciunt contra primam conclusionem, iàm soluta manent, dum egerimus de vltimô constitutivo Dei, vnicam tamèn Cyrilli authoritatem, cui maximè fidit Leonardus noster Sect. 2. num. 4. apponam. Authoritas ità se habet: *quæ circa substantiam conspiciuntur ita, vt non ipsa substantia*

stantia sint, & quamvis nil accidat substantiæ Dei, non tamèn cognoscimus non mutuam, quasi accidentia dicere, & mente accidentium modo concipere, & multa in essentiâ Dei quasi accidentia conspici. Ex quâ sic argumentatur citatus D. juxta Cyrillum non omnia, quę sunt in Deo, signant substantiam Dei; sed quod includitur essentialiter in Naturâ Dei, & illam constituit, signat substantiam Dei: ergo non quid quid est in Deo, ac proindè non omnia attributa Dei includuntur in Naturâ.

11. Respondetur: opponendo authoritati Cyrilli Augustini authoritatem, qui libro de cognitione veræ vitæ, cap. 3. hæc habet: *cùm ratio adstruat nil Deo accidentale, sed totum, quod prædicatur de Deo esse essentiale.* Vndè, ne SS. PP. opponantur, dicendum: D. Cyrillum loquì vel de prædicatis relativis, de quibus potiùs videtur verificari illa clausula, *quæ circa substantiam conspiciuntur*, quæ certè conspiciuntur vt accidentia, nec includuntur in Naturâ, vel non loqui de substãtiâ adæquatâ Dei, cum hæc resultet ex omnibus. Nec S. D. ait, hæc esse accidentia, sed à nobis concipi instar accidentium, eo modô, quô appellantur attributa non strictè, & rigorosè, *sed quasi essent.* Nota illa verba vltima; & *multa in essentiâ Dei quasi accidentia conspici:* ergo si in essentia Dei conspiciuntur, in ipsâ sunt, & includuntur.

12. Obijcies secundò contra secundam conclusionem cum Ex. D. Argumentum, quô vsus est D. Bernardus contra Gilbertum: si sapientia, & essentia ità distinguerentur, vt non se includerent, vel sapientia est æqualis Naturæ, vel maior Deô, vel minor? Si primum: cum ex eo includat totam perfectionem Naturæ, iam illam includet. Secundum dici nequit, vt per se patet. Si tertium: ergo iam erit creatura.

13. Respondetur: hoc argumentum optimè efformari contra Gilbertum, & malè contra nos. Ille nanque statuebat distinctionem realem actualem inter essentiam, & Sapientiam, quâ positâ, argumentum benè valet, cum non possit recurrere Gilbertus ad effugium catholicum. Nam, qui nobiscum dicunt, sapientiam esse ęqualem essentiæ, & qui cum Arriaga, & Schoto tenent, esse inęqualem, sæpè recurrunt ad identitatem realem cum Naturâ divinâ: illi pro accipiendâ ex hac parte æqualitate, hi ne minoritas sapientiæ perfectionis eam deducat in creaturam. Vndè sapientia sine inclusione formali Naturæ est tàm perfecta, ac Natura ratione infinitudinis sibi adjunctę, vt suo loco vidimus. Qui verò asserunt, esse minorem, dicunt non esse creaturam, quià exigit identificari cum Naturâ divinâ.

14. Obijcies tertiò: singula attributa divina sunt simpliciter infinita; sed de ratione simpliciter infiniti est, includere formaliter cla-

omnem perfectionem possibilem,& consequenter Naturam, quę in conceptu omnis perfecti consistit: ergo singula includunt Naturam.

15. Respondetur: nego maiorem, si per simpliciter infinitum intelligas continere formaliter perfectiones cuiuscumque lineæ: si verò non ità intelligas, sed solùm continere formaliter omnem perfectionem possibilem suæ lineæ, & aliarum æquivalenter, nego minorem. In hoc sensu singula sunt formaliter infinita in suâ lineâ, justitia v. g. in lineâ justitię, & sic de reliquis sine vllâ confusi ne. Continere formaliter omnes lineas, est proprium solius Naturæ.

16. Replicas: ergo erunt infita secundum quid, & consequenter simpliciter finita, & ens creatum.

17. Respondetur: nego consequèntiam. Nàm inter esse simpliciter, & in omnì lineâ infinitum, & esse infinitum secundum quid, mediat esse identicè infinitum simpliciter per exigentiam identitatis cum Naturâ divinâ; finitum verò simpliciter dicit carentiam identitatis cum Naturâ divinâ.

18. Obijcies quartò ex P. Torres: sicut se habet ens ad omnes res, ità se habet Natura divina ad omnes perfectiones divinas; sed ens in omnibus rebus includitur: ergo & Natura divina in omnibus perfectionibus.

19. Respondetur: nego maiorem (admissâ transcendentiâ entis, quam metaphysicus nego) nàm ens est conceptus vniversalissimus nihilo immediatè oppositus. Vndè inter esse ens formaliter non est medium; at verò Natura divina est conceptus quidam specialis entis realis, vndè licèt aliquid non sit formaliter Deus, non est formaliter creatura, cum possit esse perfectio Dei. Si verò non admittatur transcendentia entis, potius exemplo confirmatur doctrina, cum sufficiat, vt perseitas non sit nihil formaliter, quod sit aliquid entis, licèt illud formaliter non includat.

20. Obijcies quintò: prædicata creaturæ includunt conceptus *creati*, *finiti*, & *limitati* & *ab alietatis*: ergo omnia prædicata Dei includunt conceptum *divini*, *infiniti*, *illimitati*, & *aseitatis*, sed hoc est includere divinitatem &c. ergo. Probatur simul antecedens, & consequentia ens dividitur, vt in differentias essentiales immediatas, in creatum,& in increatum, in finitum, & illimitatum, in ens à se, & ens ab alio: ergo quæcumque entis contractio includit essentialiter vnam, vel alteram differentiam; sed in quocumque prædicato divino, vel increato est ens contractum: ergo.

21. Respondetur: antecedens (si demas rationem *finiti*, de quô postea) esse falsum, si intelligatur de inclusione essentiali, nàm licèt prædicata creaturæ exigant adjectivè, & per modum attributi rationem creati, seù abalietatem, non

tamen substantivè, intrinsecè, & per constitutionem. Vndè si per impossibile homo, æquus &c. essent increati, seù ab alio non provenirent, si & ille esset animal rationale, & hic animal ginnibile, salvaretur tota hominìs, & æqui essentia: producibilitas enìm ab extrinseco non est essentia, sed attributum rei creatæ. Dixi, si demas rationem *finiti*, nàm cum hìc sit numerus prędicatorum essentialium, & numerus pertineat ad eandem lineam cum prædicatis, quorum est numerus, potest dici includi essentialiter in rebus creatis, sicut & ratio *infiniti* in divinis. Sed admisso antecedenti, concedo consequentiam; & nego sublumptam minorem: nàm ea omnia prædicata sunt quasi communia pro omnibus prædicatis, quę in suâ particulari lineâ habent illimitationem, aseitatem, & denominationem *divini adjectivè*, non verò *substantivè*, hoc est, divinitatem, quæ includit omnem lineam. Probatio enthimematis tangit divisionem entis, in qua (vt metaphysicus dixi) assignari nequit regula vniversalis; sępè enìm ità, vel aliter immediatè dividitur.

22. Obijcies sextò: si attributa non includerent essentialiter essentiam divinam, daretur inter ipsa metaphysica compositio; sed in Deo quęcumque compositio repugnat: ergo. Probatur minor: Deus est summè simplex; sed summa simplicitas repugnat cuicumque compositioni: ergo. Probatur minor: summa simplicitas est, quâ maior excogitari nequit; sed maior excogitari posset, si admitteret compositionem metaphysicam, nàm maior esset, si esset adhuc metaphysicè expers compositionis, vt est ens: ergo.

23. Respondetur: nego minorem. Ad probationem nego etiàm minorem; ad cuius probationem distinguo maiorem: summa simplicitas est, quâ maior excogitari nequit, servando ordines rerum, concedo: eos confundendo, nego. Eos certè confunderes, si in Deo poneres eam simplicitatem metaphysicam. Item summa simplicitas non desumitur, à conceptibus metaphysicis, sicut nec à virtualibus, sic salvâ summâ simplicitate Dei, Natura, & personalitates virtualiter distinguntur rigorosè, sed à physicâ, & reali. Immò sæpè carere metaphysicá compositione arguit imperfectionem, vt videre est in perseitate, non admissâ transcendentiâ, ad minus non arguit perfectionem.

24. Obijcies septimò: attributum divinum concipi nequit sine essentià, connectitur enìm convertibiliter cum illâ: ergo in illâ includitur formaliter.

25. Respondetur: vel nego antecedens, vel distinguo: concipi nequit sine essentiâ vt constitutivo sui, nego: patet ex definitione cuiusque, vbi essentia non ingreditur: vt sine termino extrinsecæ relationis in obliquo, & de connotato, concedo. Nàm hic modus attin-

tingendi non officit prǫscissioni, & exclusioni formali.

26. Objicies octavò: si attributa non includerent divinitatem, seù infinitatem simpliciter, & in omni genere, non haberent per quod distinguerentur formaliter à perfectionibus creatis, quibuscum aliâs conveniunt: ergo. Probatur antecedens: nàm etiàm perfectiones creatæ sæpè induunt rationem infiniti, vel maximi, vnaquęque in suo genere.

27. Respondetur: nego antecedens. Ad probationem dic: rationem, per quàm prædicata divina distinguntur à creatis, exclussa ab eis divinitate, est primò; perfectio summa possibilis in sua linea; v. g. in linea sapientiæ, justitiæ, quam summitatem non attingit sapientia creata &c. cum sint infra Deum. Secundò: est perfectio affectionis Naturæ divinæ exigens identificari realiter cum ipsâ, & consequenter cum omni perfectione possibili, quam summitatem nunquam attingit creatura aliqua.

SECTIO II.

VTRVM ATTRIBVTA DIVINA mutuo se includant.

28. Prima sententia vniversaliter affirmat. Ità Ex. D. cap. 13. & 14. num.8. Amicus. d. 3. de Essentia Dei num. 124. Alijque apud ipsum. num. 125.

29. Secunda Vniversaliter negat. Ità noster Leonardus lib. 5. num. 52. Vazquez Aureol. Gilius, & Alij apud Amicum.

30. Suppono primò: hic non loqui de aseitate, infinitudine, Sanctitate, alijsque prędicatis communibus, vel transcendentibus omnia prædicata divina, vel saltem in quibus est peculiaris difficultas, & dissidium inter DD. an ob singularitatem eorum transcendant vel non, reliqua divina prædicata, & quæ ideò propriè non dicuntur attributa, sed velmodi attributorum, vel prædicata communia, sed de attributis particularibus, *Omnipotentia* scilicèt, *justitia* &c.

31. Suppono secundò: nec loqui de aliquibus attributis, quæ juxta omnes, & extra controversiam sunt composita, vel quasi composita ex alijs duobus vt se habet veracitas, quę absq; dubio includit intellectum, & voluntatem divinam, cũ definiatur per intellectum, qui non possit fallere & voluntatem, quæ nequeat falli. Nàm in his, quis dubitet, includi formaliter alia? Vndè licèt Quiros affirmet, aliqua attributa se formalitèr includere, vt veracitas intellectum, & voluntatem; Omnipotentia aseitatẽ &c. alia verò non. Quid novum?

32. Suppono tertiò: nec loqui de prædicatis secundùm se metaphysicè, & abstractè sumptis, provt denudentur omni perfectione divina, & remanent communia creatis: v. g. de justitia vt sic, misericordia

vt sic &c. Nàm ità sumpta, vel quæstio reducetur ad aliam; *an scilicèt possit dari aliquod prædicatum vnivocè commune Deo, & creaturis?* Quod esset illam extrahere à proprijs terminis, vel si supponatur hæc communicas, quæstio erit frivola, & indubitabilis. Vndè debemus loqui de intellectû, voluntate, justitia &c. divinis, rogareque: an formaliter loquendo, voluntas divina includat intellectum aut intellectus voluntatem divinam, & sic de reliquis?

33. Dico: *attributa Divina non se includunt formaliter.* Probatur primò ratione a priori: quoties duę formalitates ità se habent, vt vnâ metaphysicè adæquatè conceptâ, alia non concipiatur, & è contra, nullatenùs se includunt formaliter, sed potius se excludunt; sed intellectus, & voluntas Divina v. g ità se habent: ergo. Maior est certa. Hinc est, quod admirativum non includat risibile, nec risibile admirativum, animal non includat rationale, nec rugibile sensibile. Probatur minor: Nec ratione *intellectùs* includit intellectus Divinus voluntatem, vt per se patet, nec ratione *Divini*, nam per conceptum *Divini* solùm additur intellectui esse summè infinitum, & maximum possibilium, intra rationem tamèn intellectivi, sed esse summum, & infinitum intra rationem, & in linea *intellectivi* non includit voluntatem, aliudvè Divinum attributum: ergo.

34. Probatur secundò ab inconvenienti: si attributa Divina mutuò formaliter se includerent, hæ, & similes propositiones in sensu formali essent veræ: *Deus intellectu vult: Iustitia miseretur: Misericordia punit*; sed hę propositiones in sensu formali à Theologis censentur falsæ: ergo. Sequela, quæ vnicè eget probatione, probatur: quoties aliquod prædicatum includitur essentialiter in aliquo subiecto, quidquid dicitur de prædicato incluso, dicitur de subiecto includente; sic de homine dicitur sentire, quià includit animal, de quô tale prædicatum affirmatur: de substantiâ esse nō repugnantem existere, quià includit similiter ens, de quo id ità prædicatur; sed de voluntate prędicatur velle, de misericordia misereri, de justitia punire: ergo si voluntas includeretur in intellectû, misericordia in justitia, & justitia in misericordia, de intellectû rectè diceretur velle, de justitia misereri, & de misericordia punire: ergo.

35. Obijcies primò, & simul respōdebis huic probationi: quoties fit trāsitus à sensû identico ad formalem probatio nulla est; sed in hac probatione fit similis transitus: ergo. Minor probatur: ex inclusione volūtatis Divinæ in intellectû solū sequitur, esse verum dicere, intellectus est voluntas, vbi verbum substantivum *est*, habet sensum identicum, non verò esset verum dicere intellectus vult vbi verbum adjectivum *vult*, habet sensum formalem: ergo

go licèt verum sit, intellectum esse voluntatem, non tamèn verum intellectum velle.

36. Simili discurrendi modo nulla maneret firma probatio Theologica, aut Philosophica. Sit prima hæc probatio: *Filius est Spirator: ergo spirat*, firma est apud Theologos Latinos contra Græcos, probato vnicè antecedenti ex Concilio Florentino. Poterant tamèn hi concedere antecedens, & negare consequentiam dicentes: ibi fieri transitum à verbo substantivo *est* ad verbum adiectivum *spirat*. Sit secunda (quæ etiam est firma probatio contra aliquos Hæreticos in Concilio Florentino Sect. 22. negantes Spiritum Sanctum sua bona producere) *Deus producit bona Spiritùs Sancti; sed Spiritus Sanctus est Deus: ergo producit sua bona*. Poterant ob similem transitum concessâ maiori, & minori negare consequentiam. Id ipsum ad hanc metaphysicam probationem, *substantia est ens: ergo non repugnat existere*, poterant respondere.

37. Respondetur directè: quod quando fit similis transitus, non valet deductio. Sic non valet: *Paternitas in Divinis est communicatio: ergo communicatur. Natura Divina est productio: ergo producitur*. Hoc tamèn erit, quando verbum *est*, sumitur in sensu identico, & materiali, non tamèn ità erit, si sumatur formaliter, vt sæpè sumitur: hic tamèn, eô ipso quod includatur voluntas in intellectû v. g. dum dicitur, *intellectus est voluntas*, ly *est* non sumitur identicè, sed formaliter, ac proindè rectè deducitur in sensu formali: *ergo intellectus vult*. Admodum, quô valet, *homo est principium sensationis: ergo homo sentit*. Insuper si ly *est* in hac & similibus propositionibus, *intellectus est voluntas*, solùm conceditur ab Adversarijs in sensu identico, & materiali, non verò in sensu formali: ergo hæc propositio erit falsa: *intellectus est formaliter voluntas*, & consequenter hæc: *intellectus Divinus includit formaliter voluntatem*, & solùm erit vera hæc: *intellectus Divinus realiter est voluntas*, quod & à nobis defensatur, & nil ampliùs.

38. Obijcies secundò: repugnat, attributa Dei esse formaliter corporea, creata, & accidentalia: ergo sunt formaliter spiritualia, increata, & substantialia: ergo hæc prædicata transcendunt illa.

39. Respondetur: transeat totú: nega tamèn hęc prædicata esse specialia attributa Dei, cú sint attributa communia, seù modi attributorú, nec de his loquimur in præsenti, vt supra notatum manet. Attamèn licèt prædicatum *increati*, seù infiniti transcendat ea attributa, videntur tamèn præscindere ab spiritualitate, & substantialitate, si demas immensitatem, quæ spiritualitaté includit.

(?)

SECTIO III.

AN NATVRA INCLVDAtur in relationibus.

40. PRIMA sententia tenet mutuam inclusionem naturæ in relationibus, & relationum in Natura. Ità Bañez, Aureol. quos sequuntur Valent. Izquier. disp. 2. q. 6.

41. Secunda affirmat, Naturam includi in relationibus, non verò relationes in Natura. Ità Belar. Granad. Ruiz, & alij.

Tertia vniversaliter negat tàm mutuam, quàm non mutuam inclusionem. Ità Schotistæ cum suo Doctore, Vazq. Arriaga, Compton, & communiter Recentes.

42. Dico primò contra primam sententiam: *non datur mutua inclusio inter personalitatem, & Naturam.*

43. Probatur: si daretur hæc mutua formalis obiectiva inclusio, quidquid diceretur de Natura, diceretur de relationibus, & è contra; sed non est ità: ergo. Maior est certa: sic quià inter hominem, & animal rationale datur hæc mutua inclusio; quidquid dicitur de homine, dicitur de animali rationali, & è contra. Probatur minor primò: de Natura dicitur communicari, & de relationibus negatur. Secundò: de Filiatione dicitur produci, & de Natura dicitur non produci. Tertiò: de Filiatione dicitur vniri immediatè humanitati & de Natura dicitur vniri mediatè. Quartò: de relationibus dicitur esse tres, & negatur esse vnam, & de Natura affirmatur oppositū. Quintò: de relationibus inter se dicitur opponi, & negatur de Natura opponi relativè cum relationibus. Hinc

44. Dico secundò contra secundam sententiam: *nèc datur inclusio non mutua inter Naturam, & personalitates, sed potiùs mutua exclusio.* Probatur: ideò perseitas non includitur formaliter in ente, (idem dic de inalietate) quià salvatur metaphysicè in accidente sine perseitate, & in substantia sine inalietate; sed tota Natura Divina salvatur in Filio sine Paternitate, & in Patre sine Filiatione. Item Pater communicat totam essentiam Filio, ex capite *damnamus*, quin communicet Paternitatem: ergo Paternitas, & Filiatio non includuntur formaliter in Natura, nec Natura in Paternitate, & Filiatione. Nàm Paternitas quâ talis est incommunicabilis, & Filiatio quâ talis est producta: ergo quidquid est de conceptu obiectivo Paternitatis erit incommunicabile, & de conceptu obiectivo Filiationis erit productum; sed Natura Divina non est incommunicabilis, nec proproducta: ergo.

45. Probatur deniquè vtraque conclusio: ea, inter quæ relucet mutua virtualis rigorosa distinctio, nec mutuò, nec non muntuò se formaliter includunt; sed inter

naturá, & Paternitaté similis distinctio relucet: ergo, Cóſequentia recta est. Minor latè probabitur trac. noſtro de Trin. Maior est certa. Nàm distinctio rigoroſa virtualis maior, & fortior distinctio est, quàm distinctio virtualis lata, vt per ſe patet, cū ſit pro verificandâ phyſicâ, & reali contradictione; ſed pro negāda tàm mutuâ, quàm non mutuâ incluſione, ſufficit mutua virtualis lata obiectiva distinctio, vt patet inter admirativum, & riſibile, justitiam, & miſericordiam, Divinam: ergo.

46. Obijcies primò & ſimul reſpondebis huic probationi: ex ea ſequi, Naturam, & relationes nec phyſicè ſe includere, cum distinctio virtualis ſit phyſica, & ſufficiens pro verificatione contradictionis phyſicæ. Vndè relationes non erunt de eſſentiâ phyſicâ Naturæ.

47. Reſpondetur, punctum eſſe de nomine. Dummodò non neges, inter Naturam, & relationes dari realem identitatem, dic, quod volueris. Izquierdo, Quir. & alij dicunt, relationes non eſſe de eſſentiâ phyſicâ Naturæ Divinæ, eò quod Filius est phyſicè perfectè, & adæquatè Deus, & tamèn non includit alias relationes: ergo hæ non ſunt de eſſentiâ phyſicâ Dei. Ex. D. & alij è contrà tenent ſ eſſe de eſſentiâ phyſicâ Naturæ Divinæ, eò quod phyſicè, & realiter identificentur cum eâ. Vndè vt Filius ſit perfectè, & adæquatè Deus, ſufficit, quod identificetur immediatè cum Natura, & mediatè cum alijs relationibus, neque ex eô, quod ſint de eſſentiâ phyſicâ (quod est idem, ac realiter identificari cum Natura Divina) ſequitur, quod ſint de eſſentia metaphyſica ipſius, vt patet in omnibus formalitatibus realiter identificatis, & distinctis formaliter ſeù excluſsis.

48. Obijcies ſecundò: Pater includit formaliter Naturam: ergo & Paternitas; nàm in divinis abſtracta dicunt quidquid concreta.

49. Reſpondetur, concesſo antecedenti, nego conſequentiam. Licèt abſtracta realiter loquendo dicant quidquid dicunt concreta in divinis, in quo ſenſu loquuntur SS. PP. non tamen formaliter, & metaphyſicè, niſi ſint abſtracta metaphyſica, qualiter non ſe habent relationes, quæ potius comparandæ ſunt differentijs contrahentibus, quàm abſtractis.

50. Obijcies tertiò: Perſonalitates formaliter includunt eſſentiam; non relativam, aliàs ſicut dantur tres relationes, darentur etiàm tres eſſentiæ relativæ: ergo communem, quæ est ipſâ Natura Divina.

52. Punctum etiàm de nomine est. P. Ruiz, & alij inconveniens non judicant concedere tres eſſentias addito *relativas*, nâm hæc pluralitas non multiplicat eſſentiam abſolutam, quæ vnica est. Alij cum Leonad. non admittunt tres eſſentias, nàm hæc vox pro Natura accipitur in divinis, ſed tres quidditates. Tu dic quod volueris, dummodò non dicas, dari tres Naturas divinas,

ſed

sed affirmes vnam tantùm.

52. Obijcies quartò: hæc propositio, *Divinitas est Deus*, in nullo sensu catholico negari potest juxta Concilium Remense contra Gilbertum Porretanum: ergo nec hęc, *Divinitas est Paternitas*: ergo inter ipsas nec formalis exclusio datur: abstracta enim nequeunt ad invicem prædicari, nisi formaliter identificentur.

53. Respondetur: concedo primum antecedens; admitto primam consequentiam, & nego secundam. Nam ad eam affirmationem, quæ realis est, sufficit identitas realis cum exclusione formali, ob quam dicitur animalitas est rationalitas, quin animal, & rationale se formaliter includant. Nec in alio sensu, quàm reali, loquitur Concilium: impugnat etenim Gilbertum ponentem inter Naturam, & relationes divinas realem distinctionem.

54. Obijcies quintò: aliqua, quæ prædicantur de Naturâ, dicuntur etiàm formaliter de relationibus: ergo quià in his includitur Natura formaliter. Probatur antecedens: de Natura vt quid proprium prędicatur esse immensam, æternam, Sanctam, à se &c; sed hæc omnia formaliter, dicuntur de divinis relationibus: ergo.

55. Respondetur: vel nego esse Naturæ propria ea prædicata, eò scilicet, quod concedas cum P. Arriaga immensitatem, æternitatem relativas, propriasque personalitatum, aut esse prædicata transcendentalia, tam Naturam, quàm relationes, vel si concedas esse proprias Naturæ, dic, eas prædicationes esse solùm identicas, & materiales. Vndè non infertur, relationes includere formaliter Naturam, sed cum eâ tantùm realiter identificari.

56. Obijcies vltimò: per nos Essentia Divina adhuc formaliter includit omnem perfectionem possibilem, cum per omnem perfectionem possibilem vltimò, & adæquatè constituatur: ergo etiàm includit formaliter personalitates, quæ aliquam perfectionem dicunt.

57. Respondetur: iam huic argumento, dum egi de vltimo Dei constitutivo, respondi. Admisso contra Schotistas, relationes divinas dicere aliquam perfectionem, hanc habere formaliter, non esse possibile Naturæ divinæ. Vndè eam non dicere, sed solùm realiter, & identicè.

TRACTATVS III.

DE

VISIONE DEI.

IN PRÆSENTI TRACTATU AGERE DE ſupernaturalitate in communi, de conſtitutivo, & diſtinctivo ipſius à naturalitate, communis Doctorum vſus prævaluit. Res eſt pro vniversà Theologià admodùm vtilis, & neceſſaria: & vt eorum veſtigijs inſiſtam; ſit

QVÆSTIO I.

IN QVO SIT CONCEPTVS ENTIS ſupernaturalis.

1. QVÆSTIO maximè his temporibus à Theologis habita, ab Antiquis ferè ignota, ſed tota de nomine. Scopus eſt, quærere ſignificatum harum vocum: *Naturale*, & *Supernaturale*. Ideò non tam ratione, quàm authoritate agendum eſt, vt ſcilicèt talem demus huic voci *Supernaturale* ſignificationem, quæ omnia ea, quæ ſupernaturalia dicũtur, vnicè comprehendat. Sed ante Doctorum placita pernoſcamus,

SECTIO I.

VARIA DOCTORVM PLACITA.

2. PRIMA ſententia tenet, ens ſupernaturale eſſe, quod eſt ſupra omnes vires activas creaturæ, quamvis contineatur intra vires paſsivas naturales, hoc eſt, quod nullatenus poteſt ab vlla creatura produci, ſed fit per creationem à ſolo Deo. Ità Subtil. Doctor in 4. diſt. 1. quæſt 5. quem ſequuntur communiter Schotiſtæ. Ità Fab. Aureolus, & Briſen. apud Ripald. diſp. 5. ſect. 1.

3. Diſplicet primò: quia anima ra-

rationalis, & materia prima sunt supra vires activas creaturæ, vnicèque à Deô per creationem producuntur, & præcipuè materia prima, quæ nec vt subiectum adhæsionis respicit subjectum creatum: ergo erunt entia supernaturalia. Secundò: visio beatifica, actus charitatis, Fidei, & spei continentur intra vires activas agentis creati. Nàm visio efficienter producitur à lumine gloriæ, ipso affirmante Schoto in 4. dist. 49. quæst. 11. & actus charitatis, Fidei, & spei ab habitibus. Solutiones Fabri, & Brison. impugnatas vide apud P. Leonard.

4. Secunda sententia constituit rationem entis supernaturalis in connexione mediatâ, vel immediatâ, physicâ, vel intentionali cum Deo: physicâ, vt vnio hypostatica, intentionali, vt visio beatifica, amor Dei &c. Ad mediatam vnionem spectant effectus vnionis immediatæ, vt habitus, dotes gloriosæ, actus vè, qui ad talem vnionem spectant. Itâ P. Herice. d. 48. C. 3.

5. Displicet primò: omnis namque creatura dicit connexionem immediatam cum Omnipotentia; & cognitione divinâ; sed Omnipotentia, & cognitio sunt vniones per identitatem cum Deo; ergo dicunt connexionem mediatam tàm physicam, quàm intentionalem cum Deo; non sunt omnes supernaturales: ergo. Secundò: juxta ipsum Heric. d. 43. n. 18. non repugnat, quod Deus ponat in corporibus, Beatorum v. g. aliquam lucem, & colorem supernaturalem. Elevet tunc potentiam visivam equi ad faciendam visionem materialem supernaturalem circa talem colorem. En color, & visio supernaturales nullatenus connexi, nec physicè, nec intentionaliter, nec mediatè, nec immediatè cum Deo, cum non sint effectus vnionis hypostaticę, nec conducant vllò modô ad visionem Beatificam. Tertiò: potest dari amor amicitiæ inDeum, & quidem super omnia juxta ipsum Herice. d. 38. cap. 5. merè naturalis, sed hic esset immediata intentionalis vnio cum Deo, vt est in se. Solutiones Herice vide impugnatas apud Arriag. d. 5. de visione â num. 25.

6. Tertia sententia tenet: ens supernaturale esse illud, quod secundum suam essentiam est participatio divinæ essentiæ, & perfectionum ipsius, provt sunt in se. Ità Abel. 1. p. q. 26. quem sequitur Lumbier. 1. p. de visione. num. 335.

7. Displicet primò ob eius obscuritatem, & difficultatem perceptu. Vix enim percipitur, quæ, quanta, & qualis participatio sufficiat, aut necessaria sit pro supernaturalitate. Nam hæc participatio, vel est per identitatem, & ità solùm Personę Divinæ erunt supernaturales, vel per vnionem physicam, & ità Humanitas Christi erit supernaturalis, & hęc dumtaxat; vel per possessionem intentionalem, & ità tantùm visio beatifica, &

amor supernaturales erunt. Vel per imitationem, & similitudinem, & hoc non, quià plura entia naturalia plus imitantur, & assimilantur Deo, quàm supernaturalia. Quis enìm dubitet, magis imitari Deum Angelum, quàm gratiam, intellectum, quàm habitus supernaturales, voluntatem vitalem, quàm characterem mortuum, actum intuitivum naturalem, quàm actum Fidei supernaturalem? Secundò: quià vel hæc participatio divinæ Essentiæ, provt est in se, est cum totali perfectione, & sic non erit possibile aliquod ens supernaturale. Nàm modus essendi Naturæ divinæ est illuminatus, à se, & purissimus, qualem nulla creatura habere potest. Vel si non debet esse ità perfecta, sic iam erit possibilis substantia supernaturalis. Quæ enìm repugnantia datur in eo, quod Deus aliquam substantiam producat, quę participet peculiarem modum essendi Dei, licèt non cum tota ea perfectione, quà est in Deo? Vide P. Leonard. Tract. de visione à n. 22.

8. Quarta sententia constituit. Ens supernaturale per connexionem cum Deo vt Trino, & naturale per connexionem cum Deo vt vno. Ità Zumel 1. 2. q. 110. d. 5.

9. Displicet primò; quià actus, quô aliquis ex Fide credit Deũ esse vnum est supernaturalis, & non connectitur cum Deo vt Trino. Vel si sufficiat connexio mediata ratione vnitatis, actus, quô quis naturaliter attingit vnitatem Dei, erit supernaturalis. Secundò: actus, quô Hæreticus credit mysterium Trinitatis per vos, est naturalis, vel saltem actus, quô quis illud negaret, & connectitur cum Deo vt Trino. Tertiò: actus supernaturales justitiæ, & misericordiæ non habet plus cõnexionis cũ Trinitate, quàm actus naturales eiusdem virtutis. Insuper character Sacramentalis, resurrectio mortuorum, penetratio duorum corporum, lux materialis supernaturalis possibilis, & alia huiusmodi quam connexionem specialem ad Deum vt Trinum, & non ad Deum vt vnum dicunt? Vide Arriag. vbi supra à num. 14.

10. 5. Quinta sententia statuit ens supernaturale per hoc, quod respiciat Deum in se ipso. Ità Salas. t. 1, in 1, 2. q. 2. tract. 2. d. 3. conc. 2.

11. Displicet primò: quià Fides supernaturalis, cum non sit intuitiva, sed Deum abstractivè cognoscat, non respicit illum in se ipso. Et, si quià versatur circa Deum, est super naturalis, in primis actus etiam naturales, quibus Deus abstractivè cognoscitur, erunt supernaturales, & virtutes morales infusæ, cum circa Deum prout à Theologicis secernuntur, non versentur, erunt naturales. Secundò: character Sacramentalis, præsentia Sacramentalis corporis Christi, lux supernaturalis possibilis, color item supernaturalis, & alia sexenta non respiciunt Deum in se ipso. Tertiò possibilis erit substantia supernaturalis,

ralis,

ralis, quæ enim erit repugnantia in eo, quod Deus producat aliquam substantiam, quæ Deum in se respiciat? Si dicas, substantiam non respicere Deum immediatè, quià illum medijs cognitionibus respicit, vltraquam non repugnat substātia intellectiva cum suis actibus, realiter identificata, iam lumen gloriæ, habitus supernaturales &c. supernaturales non erunt: cum solùm attingant, vel respiciant Deum medijs actibus, quos producunt.

12. Sexta sententia distinguit in ente supernaturali duplicem cōceptum, absolutum, quem primarium vocat, & respectivum, quem secundarium appellat: hunc explicat in ordine ad Naturam, quam superat: illum ponit in connexione cum gratia sanctificante. Hanc ergo connexionem, ait, esse quidditativam, vel physicam, vel intentionalem, immediatam, aut mediatam, antecedentem, aut consequentem. Connexionem quidditativam vocat, quâ res gratiæ sanctificanti connectitur existenti, aut posibili quoad physicam entitatem ipsius, non verò quoad denominationem solùm contingentem. Connexionem physicam appellat, quę rei competit secundum ipsius physicam entitatem, qualis datur inter causam, & effectum, actionem, & terminum, proprietatem, & radicem, dispositionem, & formam, & alia huiusmodi, quæ independenter ab vlla cognitione aliquid habent ad gratiam. Connexionem intētionalem dicit eam, quâ res secundum esse intentionale speciei, aut cognitionis quidditativæ ità gratiam sanctificantem respiciunt vt species, & cognitio quidditativa earum soli gratiæ sanctificanti debita, & connaturalis sit. Ea item connectuntur immediatè, quæ ordine transcendentali immediatè gratiam respiciunt, illa verò mediatè quæ media connexione in materià cum alijs rebus à gratiæ existentia, futuritione, aut posibilitate dependent. Rursus connexio antecedens eis convenit, quę nexu antecedenti gratiam præcedunt, consequens verò eis, quæ illam subsequuntur. Ità, & fere eisdem verbis Sapientisimus P. M. Joannes Marti. de Ripalda Tract. 1. de Ente supernat. lib. 1. d. 4. S. 3. num. 21. pro se citans Scho. Gran. & Ægid. quà Fide, alij viderint. Hanc sequitur Gib. d. 13. de Ente supernat. dub. 1. num. 18.

13. Displicet primò: quià non explicat quamobrem gratia sit vnica regula vndè desumenda sit rerum supernaturalitas? Imò nec quare sit supernaturalis ipsa gratia? Nàm si hoc rogetur, respondet ipse Ripalda: quià gratia connectitur secum ipsâ logicè. En iàm deficit conceptus communis pro omni supernaturalitate: nàm connexio physica cum gratia, quæ est propria connexio, & connexio logica, quæ impropria nullatenùs conveniunt. Insuper: ineptè quis definit et rem corpoream per depen-

pendentiam à materiâ si rogatus; cur materia sit corporea ? responderet : quià connectitur secum ipsa: Nàm dum non assignatur prædicatum aliquod in materiâ, per quod secerneretur à re spirituali, æquè obscurus manet conceptus corporeitatis: ergo similiter. Rursus pluribus erroribus daretur ansa. Ponamus, quod quis diceret, accidens esse substantiam, quià connectitur cum substantia, & hanc ità esse, quià connectitur secum ipsâ: omné creaturã esse Divinam, quià connectitur cum Deô, & hunc esse Deum, quià connectitur secum ipso, & sic de alijs. Quo, rogo, argumentò, hic revinceretur falsitatis, nisi quià non assignat conceptum vllum particularem rei definitæ; per quem distinguatur ab omni aliò, quô similiter revinci potest Ripald.

14. Secundò rogo : vel Deus est ens supernaturale, vel non? Si primum: ergo omnis creatura est ens supernaturale. Patet consequentia : per vos ad esse ens supernaturale, sufficit mediata connexio cum gratia, ratione scilicèt immediatæ connexionis cum aliquo supernaturali immediatè connexo cum gratia ipsa; sed Deus est ens supernaturale immediatè connexum cum gratia, & cum Deô immediatè connectitur omnis creatura : ergo. Si secundum : Ergo malè definis ens supernaturale : nàm cui debetur cognitio intuitiva gratiæ evidens, est per vos ens supernaturale, cum connectatur intentionaliter quiddità tivè cum eâ; sed Deô debetur intuitiva evidens cognitio gratiæ, & nihilominus non est supernaturale, sed naturale : ergo.

15. Tertiò: visio materialis supernaturalis equi v.g. circa lucē supernaturalem, quam ipse Ripalda possibilem concedit disp. 4. Sect. 2. nu. 17. nullo modô connectitur cum gratiâ sanctificante, quià equus est incapax gratiæ sanctificantis vt talis : ergo per talem connexionem nequit in esse supernaturalis constitui. Nec enervas difficultatem dicendo cum Ripalda Sect. 4. num. 39. eam visionem, & alia huiusmodi connecti cum gratia sanctificante substantiali, eò quod illa materia equina potest substantialiter vniri alicui personalitati Divinæ, cui naturæ ità vnitæ deberentur eà visio, & aliâ accidentia materialia. Non, inquam, enervas. Primò : quià ea visio nequit connecti cum visione illa substãtiali, nàm iuxta ipsum Ripald. terminus connexus, est terminus debitus fundamento connexionis; sed vnio hypostatica nequit esse vlli accidenti debita : ergo. Insuper illa vnio nullatenùs esset gratia sanctificans; non respectu naturæ equinæ : nàm hæc est incapax sanctificationis; non respectu naturę rationalis: nàm ea vnio, cum sit modus propriæ naturæ est incapax vnire alia extrema, ac proindè naturã rationalem : ergo. Vide P. Leonard. latè hanc sententiam impugnantem nu. 88.

SE-

SECTIO II.

NOSTRA SENTENTIA *proponitur, & probatur.*

16. DICENDVM: ens supernaturale intrinsecè, & entitativè (de quô loquimur) esse: *quod est supra omnem naturam tàm creatam, quàm creabilem: ac proindè, quod est indebitum omni naturæ, exceditque vires tàm ipsius, quàm rei naturalis, accidentium scilicèt substantiæ connaturalium, secundùm suam specificam rationem.* Hanc sententiam tenet, & satis communem inter Authores, vocat P. Arriaga disp. 3. de visione num. 27. P. Leonard. dist. 4. de visione num. 193. Granad. controver. 5. de Gratia tract. 4. dist. 8. Sect. 2. P. Sparza. lib. 4. de Gratia actuali, quæst. 6. & alij. Item Mastrius pro ea citans suum Subtilem, & alios Schotistas d. 6. de vis. quæst. 2. art. 1.

Prima huius definitionis probatio desumenda est ab authoritate: nàm in rê de nomine, qualis est præsens, cum sit circa significationem harum vocum: *supernaturale*: *naturale*, ea sententia probabilior censeri debet, quæ fuerit communior. Ad prudentes enim, vocum significationes præfinire spectat; sed inter omnes de ente supernaturali opiniones, hæc est, tum inter D D. præclo datos, tum præcipuè inter manuscribentes communior, & plausibilior: ergo.

17. Secunda desumi debet ab ipsâ vocis etymologia. Significatum namque formale vocum, ni aliàs stet Doctorum placitum, est id ipsum, quod voces exprimunt: sed quod hæc vox *supernaturale* exprimit, est, esse supra naturam, ac proindè esse indebitum ipsi, eiusque vires superare, & excedere: sicut hæc, *supercomprehensio* excedere comprehensionem, hæc, *supereminere*, excedere eminentes, & sic de alijs: ergo.

18. Tertia ab eô, quod illi conveniant omnes regulæ rectæ definitionis, aut explicationis. Nàm in primis clarioribus terminis explicat intentum. Insuper, nullo vocum ambage, vt reliquæ explicationes. Denique convenit omni enti supernaturali, & nulli naturali. Omne namque ens supernaturale superat naturam, eius vires excedit, ac proindè est indebitum ipsi, nullum enim naturale hos conceptus participat, vt singulatim discurrenti patebit: ergo.

19. Quarta denique ab eius explicatione. Dicitur *superare omnem naturam creatam, & creabilem,* non titulô perfectionis necessariò, sed titulô *indebiti, & improportionati.* Dicitur *superare omnem Naturam*, non Philosophicè, sed Theologicè sumptam. Dicitur superare non solum *creatam*, in quô omnes conveniunt, sed etiam *creabilem*, quià non est præscisivum, sed omnem

nem Naturam, quę propriè fuerit talis, superat, & evincit. De hoc tamen sectione sequenti. Dicitur *Secundùm suam rationem specificam*: quià licèt gradus intensi qualitatum caloris v. g. non sit debitus Naturæ, quià tamen gradus remissi debentur, qui eiusdem speciei sunt cum intensis, eò quod magis, & minus non varient species, non sunt supernaturales. Sed quià præcipua huius rei intelligentia dependet à significatione Naturæ Theologicè sumptæ, sit

SECTIO III.

QVID SIGNIFICETVR NOMINE NAturæ, supra quam debet esse ens supernaturale?

20. PRIMO per Naturam, supra quam est ens supernaturale, significari collectionem substantiarum nunc existentium illi connaturalium, tenet P. Coninc apud Ripalda d. 3. num. 2. Eum tamen excussat P. Leonard. num. 169. Sed contra primò: quià de facto non existunt plures substantiæ eiusdem speciei cum existentibus, & nihilominus est ens supernaturale supra illas. Aliàs essent distinctæ speciei. Secundò: quià ideò ens supernaturale est supra substantias de facto existentes, quia hæ sunt propriè Natura; sed etiam substantiæ possibiles sunt propriè Natura: ergo. Tertiò: quià malè audiret Theologus, qui diceret, gratiam, visionem beatificam, habitus supernaturales &c. esse debitos omnibus substantijs possibilibus: ergo non solùm supra substantias existentes, sed etiàm supra possibiles est ens supernaturale: ergo nomine Naturæ, supra quam est, etiam veniunt substantiæ non existentes.

21. Secundò: per Naturam significari collectionem omnium creaturarum, quæ in primâ rerum molitione fuerunt productę, & quę ex illis virtute naturali processere. Ità P. Alarc. tract. 1. de Visi. sed malè: quià ex eo sequeretur, Angelos possibiles, animas rationales, aliaque entia, quę vnicè à Deo produci queunt, & defacto in primâ rerum molitione non fuerunt producta, esse entia supernaturalia. Cum nec ibi producta sint, nec à causis ibi productis virtute naturali produci queant. Si tamen amplius se explicet Alarcon. cap. 3. dicens, per causas in primâ mundi molitione productas, intelligi omnes causas de facto creatas, & insuper omnes possibiles eiusdem ordinis cum ibi creatis: vndè cum Angeli, & animæ rationales possibiles, & si perfectiores, sint eiusdem ordinis cum ibi productis, indè est, quod sint Naturæ, sicut illæ. Si tamen id dicat Alarc. ergo per Naturam, supra quam est ens supernaturale, intelligit omnem substantiam tàm creatam, quàm creabilem. Nàm omnis substantia ibi producta fuit vel spiritualis, vt Angelus, vel corporea

porea, vt materia prima; sed omnis substantia creabilis continetur inter hunc duplicem ordinem; nàm est vel spiritualis, vel corporea: ergo.

22. Tertiò: P. Ripald. dupliciter naturam explicat. Primò: d. 3. Sect. 2. vbi asserit: per naturam theologicè sumptam intelligi collectionem omnium substantiarum nunc existentium, & possibilium, quæ existentibus annexæ sunt, & illas existentibus annexas dicit, quæ intra vires, vel physicas, vel intentionales existentium continentur. Secundò: d. 3. Sect. 4. per naturā philosophicè acceptam intelligit collectionem omnium substantiarum, & accidentium tàm possibilium, quàm existentium, quæ nullo modò connectuntur cum gratiâ sanctificante.

23. Sed malè primum: quià ex eô sequeretur, non solùm esse impossibilem substantiam supernaturalem, verùm & ens supernaturale, nàm visio Beatifica, lumen gloriæ, & alia cognosci queunt ab Angelo v.g. qui est ens naturale, seù natura: ergo continētur intra vires intentionales Angeli, seù naturę. Quià nil aliud est contineri intra vires intentionales Angeli, nisi posse cognosci ab Angelo juxta ipsum Ripald. disp. 4. Si tamen dicas: ea supernaturalia accidentia non contineri intra vires intentionales Angeli, quià licèt ab eô cognoscantur, egent tamen speciali concursu ad talem cognitionem; iàm hoc incidit in sententiam postea defendendam, includentem scilicèt intra naturam omnem substantiam tàm creatam, quàm creabilem. Omnis namque eget eó speciali concursu ad cognoscenda intuitivè obiecta supernaturalia.

24. Malè secundum: quia vt sæpè dixi, & admittit Ripalda, potest Deus ponere aliquem colorem, vel lucem materialem supernaturalem in aliquo corpore, & elevare equum ad eliciendam visionem similiter materialem supernaturalem illius, vbi tàm color, quàm visio nullatenùs connectuntur cum gratiâ iustificante, & tamèn non sunt natura, cum sint entia supernaturalia.

25. P. Arriaga disp. 3. de visione num. 4. ait: se hîc eodem modô, ac in metaphysica, naturam definire ità: *est primum distinctivum, primaque radix eorum, quæ in aliquo ente totali sunt.* Et notat, quod vt in hac definitione Deus includatur, qui etiàm natura est, ly *radix* debet intelligi, vel positivè, vel negativè, id est, vt ipsa in aliâ priori non radicetur. Sed fateor, me non capere quomodo in natura theologicè accepta includat Deum, & num. 27. huius disputationis, dicat, ens supernaturale esse, quod excedit vires tàm naturæ, quàm rei naturalis. Sic enim argumentor: ergo quodlibet ens supernaturale excedit vires Dei. Patet consequentia: quodlibet ens supernaturale excedit vires naturæ

turæ sed Deus est natura: ergo.

26. Pater Leonard. disp. 4. de vis. nu. 191. & apud ipsum ibi Granad. Arrub. Tanner. & Fasol. ità Naturam Theologicam definit: *est principium primum, id est, causa alicuius motûs in se ipso excludens totum ordinem subsistentiæ.*

27. Displicet primò: nàm per ly *primum principium motûs in se* nõ excluditur accidés à ratione Naturæ. Est enim hoc primum principiũ motûs in se, suæ nempè vbicationis, & aliarũ proprietatum. Si neges hoc: quià scilicèt, supponit subiectũ substantiale, cui inhæret, cõtra erit: ergo neque forma substantialis, prçcipuè materialis, erit primũ principium, cum supponat similiter materiam, cui inhæret. Si dicas, formam non supponere aliam formam, sed materiam, vndè in sua linea est primum principium, cum aliàs in ejus particulares motus, materia non influat. Ego dicam, quod licèt accidens supponat subiectum substantiale, non tamèn supponit aliud accidens, vndè in sua linea est primum principium, cum aliàs nec subiectum substantiale influat in suos particulares motus. Secundo: quià per ly *principium motûs in se ipso*, non satis excluditur Deus à ratione Naturæ Theologicç. Nàm licèt nequeat esse principium motûs intrinseci in se ipso, cum nequeat intrinsecè moveri, est tamèn principium motûs extrinseci in se ipso, cum extrinsecè moveatur: per creationem nempè huius mundi, cuius principiũ, & causa est, transit à non creante in creantem, à non Domino in Dominum. Quod est esse principium, seù causam alicuius motûs in se ipso.

28. Vndè vt his difficultatibus occurratur, hanc definitionem aliquantum invertendam esse judico, & ità proponendam. Natura theologicè sumpta est: *principium substantiale motûs sibi intrinseci excludens totum ordinem subsistentiæ.* Ità re ipsâ Doctores nuper citati. Per ly *principium substantiale* excluduntur accidentia à ratione Naturę, vt hîc accipitur. Per ly *motûs sibi intrinseci*, excluditur Deus, nàm licèt sit principium motûs in alijs sibi extrinseci, non tamen motûs sibi intrinseci, cum sit immutabilis. Per ly *excludens totum ordinem subsistentiæ*, denotatur in conceptum Naturæ Theologicæ, non ingredi subsistentiam, cum de Fide constet, Verbum Divinum assumpsisse integram naturam humanam; subsistentiam tamèn non assumpsisse.

29. Quod ità debeat accipi Natura Theologica, probatur primò, numerando multiplicem Naturæ acceptionem. Primò dicitur *Natura Naturans*, id est, producens Naturam, & ità vnicè est Deus. Secundò dicitur: *Natura rei*, hoc est, principium, radix, seù quasi radix suarum operationum; & ità etiam includitur Natura Divina, quç juxta communiorem acceptionem, quasi radix suorum attributorum concipitur

tur: ingrediuntur etiam accidentia, quæ proprias operationes habent. Tertiò dicitur Natura *vniversitas rerum omnium*, in quam ingredi Deum, & accidentia, certum est. Quartò: essentia cuiusque rei dicitur etiam Natura ipsius. Vndè Essentiam Divinam Naturam appellamus. Quintò: sumitur Natura pro causis omnibus creatis, tàm principalibus, quàm instrumentalibus: & hîc includuntur accidentia. Hàc divisione suppositâ, sic argumentor: Natura Theologica debet esse supra quam sit ens supernaturale; sed ens supernaturale, nec est supra Deum, nec supra accidens vt tale, vt apud omnes certum est: ergo Natura Theologica ità debet accipi, vt nec includat Deum, nec accidens. Tunc sic: sed in primâ, secundâ, tertiâ,& quartâ hâc acceptione includitur Deus, & in secundâ, tertiâ, quartâ, & quintâ includitur accidens vt tale: ergo in nullâ ex his acceptionibus debet accipi Natura Theologica; sed præter has, non est assignabilis alia, nisi ea, quæ à nobis proponitur: reliquæ enìm, quæ à DD. assignantur, iam impugnatæ manent: ergo.

30. Roboratur hoc: Angelus creatus, & possibilis, homo, & alia entia corporea substantialia, sunt Natura, supra quam est ens supernaturale; sed non datur aliud prædicatum, in quo hæc omnia conveniant, & per quod distinguantur à reliquis alijs, quæ Natura non sunt, nisi hoc, quod est esse principium substâtiale motûs sibi intrinseci: insuper hæc prædicata cōveniunt omni substâtiæ creatæ,& creabili: ergo.

31. Rogas primò, explicato ente supernaturali per respectum ad Naturam, qualis debeat esse hæc respicientia? Aliqui iudicant, ens supernaturale respicere Naturam, vt subjectum, & causam materialem sui, eam perficiendo: falsò tamen. Nàm ens supernaturale, vel est extrinsecum, vt Deus clarè visus respectu Naturæ rationalis; & hoc à Natura non educi, est evidens: vel intrinsecum, vt Verbum Divinum respectu Humanitatis, cui vnitur, & actio, quà creantur accidentia Eucharistica in ipsis recepta; & tamen, nec Verbum educitur ex humanitate, nec actio Eucharistica respicit accidentia vt subjectum materiale. Ens ergo supernaturale intrinsecū,dicit respectum ad Naturā, vt ad aliquid, cui est intrinsecum, vel mediatè, vel immediatè. Immediatè, si in ipsa recipiatur, mediatè si recipiatur in aliquo ente ipsi Naturæ debito.

32. Rogas secundò: an Deus dicendus sit ens naturale, vel supernaturale? P. Ripalda dubitativè respondet, licèt maximè inclinet in eam partem, quæ Deum ens supernaturale absolutè appellat. Iudico cum nostro Leonardo, Deum esse formaliter, intrinsecè, & etiam eminenter, & extrinsecè supernaturale, & tantùm eminenter, & extrinsecè ens naturale. Est formaliter, & intrinsecè supernaturale,

quià est indebitus omni Naturę, & supra omnes eius vires quoad vnionem intrinsecam cum ipsâ, vt patet in Verbo Divino. Est extrinsecè supernaturalis, quià vt objectum intuitivè videndum etiam indebitum; vt patet in visione Beatâ. Est eminenter supernaturalis, quià cōtinet in sua virtute omnia entia supernaturalia. Est extrinsecè, & eminenter ens naturale, quià vt abstractè & confusè cognitus,& vt causa efficiens vniversalis debetur Naturæ. Et cum contineat omnia entia naturalia, dicitur ens naturale eminenter.

SECTIO IIII.

ARGVMENTA OPPOSITA enervantur.

33. Obijcies primò pro sententia Schoti: habitus supernaturales creantur; sed ideò creantur, quia sunt supernaturales: ergo in eo, quod terminet creationem, consistit ratio entis supernaturalis. Probatur maior: si non crearentur, possent produci, & saltem intendi ab actibus supernaturalibus ipsis intensioribus; hoc non, juxta communem Theologiam: ergo.

34. Respondetur; transeat maior: & nego causalem minoris. Nàm Angelus, anima rationalis, materia prima, & alia quàm plura creantur, & tamen non sunt entia supernaturalia. Vndè consequentia est fallax. Ratio, quarè habitus supernaturales, nec producantur, nec intendantur ab actibus supernaturalibus, alibì quærenda: plures invenies apud Ex. Doct. lib. 8. de Gratia. cap. 4.

35. Obijcies secundò pro sententia P. Herice: Concilium Tridentinum sess. 6. & Arausic. secundum definiunt, *hominem non posse credere, sperare, diligere prout oportet sine speciali gratia Dei.* In quibus verbis ly, *Prout oportet,* significat ordinem supernaturalem. Nàm homo sine tali gratiâ potest sperare &c, sed non prout oportet; sed totum, quod significat ly *prout oportet*, ordinatur ad conjunctionem cum Deo, vel mediatè, vel immediatè: ergo ordo supernaturalis per coniunctionem, vel per ordinem ad coniunctionem cum Deo debet definiri.

36. Ex authoritate potiùs nostra, quàm Patris Herice sententia comprobatur. Nàm si per ly *prout oportet* significatur tota, & adæquata essentia entis supernaturalis: cum hoc sit definitum contra Hæreticos Pelagianos, & Semipelagianos asserentes, actus *prout oportet* non esse indebitos, neque supra Naturam, vt Concilium ipsis opponatur, debet contrarium definire, scilicèt, actus prout oportet esse indebitos, & supra Naturam: ergo cum hoc significetur per ly *prout oportet*, in quo per vos continetur essentia entis supernaturalis, in esse supra vires, & indebitum, hæc consistet.

Res-

Respondetur tamen: Concilium vnicè definire, actus prout opottet, seù supernaturales, inesse non posse nobis naturalitèr, quin curet, an consistat, vel non supernaturalitas in ea coniunctione: vel asigna verbum, in quó hoc denotetur. Ni velis dicere, ibi loquutum fuisse Concilium de ente supernaturali vt sic, nec de ente supernaturali adæquatè sumpto, cum posibilia sint plura entia supernaturalia, vt lux corporea, & visio materialis ad quam elevaretur equus circa illam, quæ nec sint, nec conducant ad actus prout oportet.

37. Obijcies tertiò pro eadem: ens supernaturale perfectius est omni ente naturali: ergo nec à subjecto, in quô est, quod est ens naturale, nec à Natura ipsâ desumit suam perfectionem. A Natura enìm nequit desumi aliqua perfectic, quà aliquid reddatur perfectius ipsâ Natura: ergo nequit definiri in ordine ad Naturam, sed in ordine ad Deum, & conjunctionem cum ipso.

38. Respondetur: nego antecedens. Plura enìm entia naturalia dantur perfectiora pluribus entibus supernaturalibus. Vt patet in intellectu, qui ratione vitæ, quâ gaudet, perfectior est habitibus, charactere, alijsque entibus supernaturalibus. Vndè ens supernaturale, & naturale se habent tanquam excedens, & excessum. Admisso tamen antecedenti, concedo consequentiam. Neque enìm ens supernaturale à Naturâ desumit suam perfectionem, sed à propriâ entitate. Nego tamen, ex eo inferri, non posse definiri in ordine ad Naturam, eam superando, & excedendo. Nàm à termino excesûs non desumitur perfectio; denominatur tamen perfectio in excedente. Sic forma est perfectior materiá, vndè ab ea perfectionem non desumit. Omnipotentia perfectior creaturâ, Immensitas locô occupando. Sanctitas peccatô expellendo; & tamen definiuntur forma in ordine ad materiam, Omnipotentia in ordine ad creaturas, Immensitas in ordine ad locum, & Sanctitas in ordine ad peccatum.

39. Obijcies quartò pro sententia Albeldæ cum Lumb. iam citato. n. 339. illud D. Petri epist. 2. cap. 1. vbi supernaturalia vocat *maxima, & pretiosa dona, per quæ efficimur divinæ consortes Naturæ*: ergo in ista participatione, & consortio cum Deo vt Deo consistit supernaturalitas. Insuper: per supernaturalia vt talia efficimur de stirpe Dei, & quasi eius consanguinei, immò, & efficimur Filij Dei, vt juxta Evangelia non solùm nominemur, sed simus. Hoc enìm stat in eo, quod inhærenter participemus per specialissimam participationem naturam ipsius, & proprietatates, & quæ sunt proprissima Dei vt Dei.

40. Hac eâdem D. Petri authoritate, & his loquutionibus fundãtur variæ, & opposi æ sententię, imò & omnes possunt fundari, cum vel in

sono, vel saltem per deductionẽ omnibus videantur favere. Respondetur tamen: ibi loqui D. Petrum, easque loquutiones debere intelligi, non de ente supernaturali vt sic, sed de aliquo, vel aliquibus entibus supernaturalibus specificè, nempè gratiâ sanctificante, habitibus, vel actibus supernaturalibus. Nàm rogo: quomodo illà luce materiali supernaturali possibili, illâvè visione materiali equinâ, circa illam efficiemur divinæ consortes Naturæ, Filij Dei, participes eius Naturæ &c? ergo.

41. Obijcies quintò pro sententia P. Ripalda tùm authoritatem iam allatam D. Petri, tùm aliam D. Thomæ, tùm denique Conciliorum, & Patrum, in quibus excellentia actuum Fidei, & Charitatis, aliorumque donorum supernaturalium, ex eo, quod ad justificationem, & dispositivè ad gratiam conducant, infertur: ergo per connexionem cum gratia, debet ens supernaturale definiri.

42. Respondetur eodem modô, ac ad argumentum antecedens. D. Petrum, Thomam, Patres, & Concilia, solùm loqui de ente supernaturali speciali, & specifico, non communi, & generico. Cum dentur plura entia supernaturalia, quæ nullam dicant connexionem cum gratia, vt patet in luce materiali corporea. Et licèt pro eo, quòd in verbis D. Petri contineantur omnia entia supernaturalia afferat Ripald. Cornel. Justinum, & Lorinum ea ità intelligentes. Alij doctissimi Interpretes ea nobiscum de ente supernaturali inadæquato intelligunt. Præpterquamquod hos interpretes falsò citari à Ripald. iudicat Noster Leonardo præcipuè Justinum, qui expresse contrarium tenet. Et sicut per particulam illam *prout oportet* diximus contra P. Herice solùm significari à Concilio species particularis entis supernaturalis; ità per has voces: *Gratia justificans: conducentia ad vitam æternam: Gratia baptismatis: Gratia, quà sumus Christiani,* eadem inadæquatio significatur.

43. Obijcies sextò pro eâdem: esse supernaturale, & esse gratiosum in idem recidunt: item ordo naturalis, & ordo gratiæ: ergo supernaturalis definiri debet in ordine ad gratiam. Probatur antecedens: quodlibet donum supernaturale, eo ipso quod supernaturale sit, est gratiosum, pertinet ad gratiam Dei, & gratiosè tribuitur Naturæ, cum illi sit indebitum: ergo.

44. Respondetur: distinguo antecedens: esse supernaturale, & esse gratiosum in idem recidunt, hoc est, prout gratiosum convertitur cum indebito, & ex liberalitate collato, transeat. prout convertitur cum gratia justificante, nego. Gratia enim æquivocè sumitur. Primò pro ea qualitate justificante, quæ pro famosiori compellatur *Gratia*. Secundò pro dono, quod est supra Naturam indebito, & gratis collato. In hoc secundo sensu verum

rum, est omne ens supernaturale esse gratiosum. In primo verò falsum: quia, vt sæpè dixi, non omne ens supernaturale est connexum cum gratia iustificante.

45. Obijcies septimò: nullum datur ens supernaturale, quod aliquomodo cum gratia non connectatur; nullumque ens naturale, quod cum gratia connectatur: ergo, in connexione cum gratia consistit ratio entis supernaturalis. Cũ ea conveniat omni enti supernaturali, & nulli naturali.

46. Respondetur: admissâ pronunc doctrinâ probationis, quę absolutè est falsa. Nàm soli homini, & nulli ab homine convenit conceptus volitivi, admirativi, & risibilis, & ex eis non constituitur metaphysicè homo. Soli Deo, & nulli præter Deum, convenit Omnipotentia, Immensitas &c. & tamen in probabili sententiâ, in eis non consistit Essentia divina, nec partialiter. Admissâ inquam, nego primum antecedens quoad vtramque partem, quoad primam: ob sępè repetita exempla lucis materialis corporeæ supernaturalis, & visionis materialis circa illam nullatenus connexam cum gratiâ. Vide dicta in impugnatione huius sentẽtiæ. Quoad secundam: quià vt dixi lib. 2. Physicorum sect. 8. subsec. 3. potentia obedientialis animæ cum ipsâ animâ realiter identificatur, ac proindè ens naturale substantialiter, & entitativè connectitur cum ipsâ gratia, quam recipit, & producere potest, elevata tamen, & similiter cum omnibus actibus supernaturalibus tàm intellectûs, quàm voluntatis: & ex hac apertè etiàm connectitur cum ipsâ gratiâ.

SECTIO. V.

REPLICÆ DE CONNEXIONE potentiæ obedientialis cum termino supernaturali pertinguntur.

47. Licèt hoc punctum satis pertractatum habeo in Philosophia loco iàm citato, quià maximè vtile, & necessarium pro pluribus, satisque difficile in omnibus; hìc vestræ consulens vtilitati illud prælibare non recussem.

48. Replicas primò: ordo supernaturalis est supra ordinem Naturæ: ergo Natura non connectitur cum rebus pertinentibus ad ordinem supernaturalem, adhuc potentiæ obedientialis ratione, cum vi huius non extrahatur ab ordine Naturæ.

49. Respondetur: concedo antecedens, & nego consequentiam. Nàm licèt ordo supernaturalis sit supra vires Naturæ, Naturæ quoad possessionem indebitus, ab ipsaque nullatenùs exactus, hoc non officit, quominus ità se habeat comparatione Naturæ vt reddito impossibili aliquo effectu supernaturali, v. g. visione Beatificâ, non reddatur impossibilis intelle-

ctus, vndè nec officiet quominus sit terminus connexionis Naturæ.

50. Replicas secundò: omnis connexio essentialis est exigentia, & fundat debitum termini connexionis; sed omnis terminus exactus est debitus: ergo omnis terminus connexionis est debitus. Tum sic; sed terminus supernaturalis est indebitus Naturæ: ergo nequit esse terminus connexionis Naturæ aliquis terminus supernaturalis. Probatur maior: nil magis exactum, & debitum alicui entitati, quàm id, sine quô talis entitas esse, nec existere potest; sed sine termino connexionis essentialis nec esse, nec existere potest connexio essentialis, & fundamentum ipsius, v. g. intellectus sine visione Beatifica: ergo.

51. Confirmatur: essentia exigit suas proprietates, hæque sunt illi debitæ; sed nullâ aliâ ratione, nisi quià sunt termini connexionis essentiæ, & sine illis essentia esse, neque existere potest: ergo. Ità Ripalda dist. n. 32. Sect. 3. num. 11.

52 Retorqueo: aqua connectitur essentialiter cum calore, lapis cum motu circulari, & sursum; sed neque aqua exigit calorem, illique debetur, neque lapis motum circularem, & sursum, illique debentur: ergo.

53. Respondetur: nego maiorem: ad eius probationem distinguo maiorem; nil magis exactum, & debitum alicui entitati, quàm id, sine quô talis entitas neque esse, nec existere potest: sine quo esse, neque existere possit sine eius actuali existentia, & possessione, concedo: si possit, & esse, & existere sine eius actuali existentia, & possessione contenta cum termini possibilitate, nego. Solutionem explico, pro quô suppono, connexionem, & exigentiam non converti; latiùs enim patet connexio, quàm exigentia. Exigentia est respectus ad terminum, cuius actualis existentia, & possessio debetur fundamento relato, & ità est, quandò fundamentum neque esse, neque existere potest sine actuali existentia, & possessione termini saltem connaturaliter. Sic est connexio materiæ primæ cum forma, & essentiæ cum proprietatibus, quià neque materia sine actuali possessione formæ, neque essentia sine actuali inexistentia proprietatum esse, & existere queunt, saltem naturaliter. Vndè & forma exigitur à materia, & proprietates exiguntur ab essentiâ, & consequenter, & forma debetur materiæ, & proprietates essentiæ. Pura connexio est respectus ad terminum, cuius actualis existentia, & possessio non debetur fundamento. Et hoc est cum fundamentum æquè contentum est naturaliter cum actuali possessione termini, quàm cum eius actuali carentia, dummodo sit possibilis. Et ita se habent capacitas aquæ ad calorem, lapidis ad motum sursum, &

cir-

circularem, & vniuersaliter omnis capacitas ad motum violentum, & neutrum, qui connectitur cum terminis, quin illos exigat. Aliàs tales motus non essent violenti, & neutri, cum essent iuxta Naturæ exigentiam.

54. Hinc est: quod, vt benè notat Arriaga hîc disp. 3. Sect. 5. connectio diversi modè comparatur ad terminos. Nam alium terminorum respicit, vt proportionatum, & conformem naturæ ipsiusque principij, quô pacto se habet motus in centrum respectu lapidis. Alium respicit, vt contrarium Naturæ & eiusdem exigentiæ repugnantem, cuius modi est motus sursum respectu lapidis, & calor respectu aquæ. Alium nec exigit, nec resistit, diciturque præternaturalis, vt motus circularis, & per planum in lapide, qui etiam motus medius, & neuter dicitur. Alium denique respicit, vt supra exigentiam, & principia ipsius: ità respicit lapis, & aqua gratiam, intellectus visionem Beatificam, &c. Ex his autem terminis, qui in ratione termini connexionis cõveniunt, primus dũtaxàt est exactus, & Naturæ debitus, reliqui non debiti, vltimus indebitus. Nulla enim fit, vt ità dicam, Naturæ injuria, si id, quod nullo modô exigit, sed potius est supra, vel contra, aut præter ipsius principia, ipsi denegetur: vt in re morali nulla mihi irrogatur injuria, neque vllo pacto debetur id, ad quod nullum jus habeo. Quid verò Naturæ proportionatum sit, ipsaque ideò exigat, ex rerum essentijs posteriori cognitis vel intrinsecè per effectus, vel extrinsecè per authoritatem colligendum est.

55. Hoc autem supposito, cognoscitur quomodo potentia obedientialis, cum sit entitativè naturalis, connectatur cum termino supernaturali, quin illum exigat, neque fundet debitum, aut jus erga illum. Vndè patet confirmationis solutio. Non enim ideò præcisè sunt proprietates debitę essentijs, quia sunt termini connexionis earum, sed quià sunt termini connexionis per modum exigentiæ. Et ideò exiguntur quià sine earum actuali existentia, & possessione, nequeunt essentiæ existere, saltèm naturaliter.

56. Replicas tertiò: ergo saltem possibilitas termini supernaturalis, non erit supernaturalis. Probatur consequentia: licèt non omnis terminus connexionis sit debitus quoad actualem existentiam, est tamen debitus quoad possibilitatem; sed quod est Naturæ debitum, supernaturale non est: ergo.

57. Confirmatur: si gratia esset debita animæ quoad eius existentiam, & possessionem, talis existentia non esset supernaturalis: ergo eo, quod est debita quoad eius possibilitatem, talis possibilitas non erit supernaturalis.

58. Respondetur: nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: est tamen debitus

quoad possibilitatem debitô connaturalitatis, & quoad existentiam necessariò, nego: debitô puræ connexionis, vel connaturalitatis, concedo. Et distinguo minorem; quod est Naturę debitum, supernaturale non est, si sit debitum quoad actualem existentiam, & possessionem, concedo: si sit tantum debitum quoad possibilitatem, nego. Solutionem explico. Indebitum, quod convertitur cum supernaturali, est indebitum, quod superat vires Naturæ create, & creabilis; sed etiam si aliquid sit debitum, quoad possibilitatem, dummodo non sit debitum quoad existentiam, potest superare, & sæpè superat totas vires Naturæ creatæ, & creabilis: ergo quod officit supernaturalitati, non est debitum quoad possibilitatem, sed vnicè debitum, quoad existentiam. Hinc claret confirmationis solutio, ad quam concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio est: quià si gratia deberetur quoad existentiam, nec superaret vires Naturæ, esset terminus exactus ab ipsâ, ipsique absolutè debita titulô connaturalitatis. Ast verò etiam si debeatur quoad possibilitatem, non conceduntur Naturæ vires ad illam, non est terminus exactus à Natura, neque ipsi absolutè debita titulô connaturalitatis; sed titulo meræ connexionis, qui non fundat jus in re, neque ad rem, vndè nec debitum absolutè, sed tantum ità se habere fundamentum, erga terminum, vt si terminus redderetur impossibilis, ipsum quoque fundamentum, redderetur impossibile.

59. Replicabis quartò, & instabis contra proximè dicta: possibile, & existens sunt idem; sed terminus supernaturalis debetur quoad possibilitatem: ergo & quoad existentiam.

60. Respondetur distinguo maiorem: sunt idem eodem modo, & in eodem sensu considerata cōcedo; diverso modo considerata, nego. Et distinguitur minor: debetur quoad possibilitatem, sumptam in vi verbi substantivi, cōcedo: sumptam in vi verbi adjectivi, nego. Et distinguo consequens: ergo & quoad existentiam, sumptam in eodem sensu verbi substantivi, concedo: sumptam in vi verbi adjectivi, nego. Possibilitas, & existentia in vi verbi adjectivi, est exercitium, & actualis possessio rei, quæ quidem connexioni, vt connexio est non debetur. Possibilitas, & existentia in vi verbi substantivi, est mera non repugnantia rei, præscindens ab statu puræ possibilitatis, & actualitatis, quæ quidem, & si debeatur titulo connexionis Naturæ, non officit definitioni communi entis supernaturalis, cum non concedantur Naturę vires ad illud, sed potiùs penitus denegentur, cum Concilijs contra Pelagianos, & Semipelagianos. Vbi notare debes, quod sicut scientia simplicis intelligentiæ, & visionis non distinguntur ratione termini (cum vtriusque terminus sit idem realiter, scientiæ scilicet sim-

simplicis intelligentiæ possibile sumptum in vi verbi substantivi, & scientiæ visionis idem possibile sumptũ in vi verbi adjectivi, seù vt actu existens) sed solùm ex diverso modo tendendi in idem objectum: ità exigentia, & pura connexio non distinguuntur ex parte termini (cum terminus exigentiæ sit res quoad existentiam in vi verbi adjectivi, & terminus puræ cõnexionis res quoad possibilitatem, & existentiam in vi verbi sustantivi) sed solùm ex diverso modo tendendi in idem objectum.

61. Replicabîs quintò: si anima v. g. non connecteretur determinatè cum existentia gratiæ, æquè contéta esset cum existentia, & possessione, ac cum carentia illius, & consequenter æquè connecteretur cum possessione, ac cum carentia; sed nequit cum carentia gratiæ connecti: ergo. Probatur minor primò: carentia gratiæ est nihil: ergo nequit esse terminus connexionis. Secundò: potentia obedientialis solùm connectitur cum termino supra vires Naturæ; sed carentia gratiæ ità non est, vt per se patet: ergo. Tertiò: terminus connexionis potentiæ obedientialis, intellectûs v. g est visio beata possibilis; sed nequit dari carentia gratiæ possibilis: ergo non connectitur cum termino, vel cum carentia termini.

62. Ex replica solùm sequitur, animam nõ esse determinatè cõnexam cum existentia, aut carentia existentiæ gratiæ, cum sivè existat, sivè non existat, æquè contenta maneat, ex quô non infertur, eam non connecti determinatè cum possibilitate ipsius. Sic aliqui DD. dicunt, Omnipotentiam connecti indeterminatè, vel cum existentia, vel cum carentia existentiæ creaturarum ob eandem rationem, licèt cum possibilitate ipsarum determinatè connectatur. Insuper nota, illationem maioris peccare: nàm ex eo quod æquè contenta sit anima cum possessione, ac cum carentia gratiæ non infertur, connecti æquè cum eis, sed non exigere pro statu connaturali, nec possessionem, nec carentiam possessionis gratiæ. Ex tertij tamen gratiâ, distinguo sequelam maioris: æquè connecteretur cum possessione, ac cum carentia gratiæ, æquè, & eodem modo, nego: æquè, & diverso modo, concedo: & distinguo minorem: nequit cum carentia gratiæ connecti, vt cum termino virtutis productivæ, concedo: vt cum termino statûs connaturalis, nego. Hoc est, carentia gratiæ non est terminus virtutis productivæ animæ, cũ sit nihil (& hæc est primæ probationis solutio) est tamen terminus connaturalis ipsius, nàm cum anima non exigat gratiam, & si ea careat, existit connaturaliter, nec patitur violentiam, vndè illi gratia non debetur. Sicut enim Deus juxta ipsos adversarios (vno Izquierdo dempto) connectitur cum possibilibus, & impossibilibus; cum illis vt cum terminis virtutis productivæ; cum his, vt cum terminis re-

repugnantiæ, etiam si impossibile sit nihil. Cur anima, etiam si carentia gratiæ sit nihil, cum ea non connectetur? Vndè ad primam probationem concedo antecedens, & nego consequentiam.

63. Ad secundam distinguo maiorem: potentia obedientialis solùm connectitur cum termino supra vires Naturæ, vt potentia obedientialis est reduplicativè, cõcedo: specificativè, nego. Nam reduplicativè, iam dicit, vel connotat elevationem, quæ non est in ordine ad terminum contentum intra vires, sed supra; at specificativè, cum sit naturalis connectitur etiam cum termino intra vires contento. Sic potentia obedientialis ignis ad creandum alium ignem connectitur, & cum creatione, quæ est extrinseca, & cum igne, qui est intra vires naturales ignis. Ad tertiã distinguo maiorẽ: est visio beata possibilis in vi verbi substantivi, concedo: in vi verbi adjectivi, nego. Et distinguo minorem: nequit dari carentia gratiæ possibilis in vi verbi substantivi, concedo: nequit enìm dari, carentia non repugnantiæ inter prædicata non repugnantia; possibilis in vi verbi adjectivi, nego: potest enìm dari carentia visionis actualis, cum quà carentia, vel cum existentia talis visionis cõnectitur indeterminatè intellectus, non verò cum carentia visionis possibilis substantivè: tùm quià talis carentia est impossibilis: tùm quià connectitur determinatè cum possibilitate substantiva visionis.

64. Replicas sextò: materia prima in statu naturali, æquè contenta manet cùm carentia formæ rationalis v.g. ac cum possessione talis formæ; sed nihilominus eam saltem indeterminatè exigit, quià connectitur cum ipsâ: ergo & si potentia obedientialis æquè contenta sit cum gratia, ac cum carentia gratiæ, eam tamen saltem indeterminatè exiget, si cum ea connectitur.

65. Respondetur: distinguo maiorem: æquè contenta manet si aliâ formâ sit informata, concedo: si nõ sit alia formâ informata, nego. Et distinguo minorem: sed eam saltem indeterminatè exigit, quià connectitur cum ipsâ, quià connectitur præcisè, nego: quià connectitur itâ, vt sine illa, vel alia loco ipsius nequeat naturaliter existere, concedo. Explico: materia prima, nequit naturalitèr existere omni formâ expoliata, & cum carentiâ actuali omnium formarum: vndè licèt in particulari nullam exigat determinatè, omnes tamen indeterminatè exigit. At verò potentia obedientialis potest sine actuali possessione totius termini supernaturalis existere, carensque omni termino actuali supernaturali. Vndè nec aliquem adhuc indeterminatè exigit.

66. Replicabis septimò: potentia obedientialis, tàm nequit esse sine gratia, ac carentia gratiæ, quàm materia sine omni forma: ergo sicut ob hoc materia exigit indeterminatè aliquam formam, ità po-

potentia obedientialis exigit indeterminatè vel gratiam, vel carentiam gratiæ.

67. Respondetur distinguendo antecedens: tàm nequit esse sine gratiâ, aut carentiâ gratiæ, ità vt proveniat hæc impotentia ab exigentiâ potentiæ obedientialis, sicut provenit ab exigentiâ materiæ impotentia essendi sine hac, vel illâ formâ, nego: ità vt proveniat à repugnâtiâ terminorũ tàtùm, cõcedo. Certum est, potentiam obedientialem à parte rei, non posse esse sine existentia gratiæ, vel sine carentia talis existentiæ; at verò hoc non provenit ab exigentia ipsius, quæ æquè contenta est cum vno, vel alterò extremo, respicitque tantùm determinatè possibilitatem substantivam ex se præscindentem ab statû purè possibilitatis, & carentiâ existentię, & ab statû actualitatis, & existentia; sed à repugnantia, & oppositione terminorũ, eo scilicèt, quod à parte rei, res vel existit, vel nõ existit, eo modo, quô aer à parte rei vel est cũ luce, vel cum tenebris, quin inferatur, hoc provenire ab exigentia aeris nec determinata, nec indeterminata. Atverò materiam non posse esse sine omni formâ ab oppositione terminorum non provenit, sed ab exigentiá, & naturali eius inclinatione, vndè aliquam exigit indeterminatè.

68. Replicabis octavò: si potentia naturalis connecteretur cum termino supernaturali, (natura v.g. humana cum vnione hypostatica) Angelus comprehendés humanitatem, & omnis eius potentias naturales, cognoscet naturaliter mysterium Incarnationis. Nàm cognitâ intuitivè connexione, cognoscitur saltem abstractivè evidenter terminus connexionis: ergo si vnio esset terminus connexionis humanitatis, hâc comprehensâ, evidenter cognosceretur vnio, vtpotè eius terminus.

69. Respondetur: nego, Angelos perfectè comprehendere posse naturaliter humanitatem ob inconveniens replicæ, & alia. Ità communiter Theologi, Hurt. Ruiz, Alarcon, Vazq. & Arriag. d. 11. de Angelis num. 38. solùm enim latè comprehenderet quoad prædicata connotativa terminorum intra vires Naturæ contentorum.

SECTIO VI.

ARGVMENTIS, QVÆ DIrectè conclusioni opponuntur, respondetur.

70. OBjicies primò: neque omne *indebitum* est supernaturale, neque omne naturale est *debitum*: ergo per rationem debiti, & indebiti, non rectè explicatur supernaturalitas. Probatur antecedens quoad primam partem primò: bona idoles, præclarum ingenium, nobilitas, divitiæ, principatus, & similia, nulli hominum debentur, sed ea Deus gratiosè largitur; sed hæc omnia sunt naturalia, vt

vt per se patet: ergo. Probatur secundò: accidentia, & proprietates Angeli non debentur homini, & tamèn, si ipsi conferantur, non propterea conferretur donum supernaturale. Et eadem ratio est de collectione proprietatum superioris Angeli respectu inferiorum. Nec non de substantia perfectiori omnibus substantijs de facto existentibus, si induceretur in hunc vniversum. Probatur antecedens primum quoad secundam partem: Deus antequam quidquam crearet, nihil cuiquam debebat, nec debere poterat, quandò nullus erat, cui aliquid deberetur: ergo neque post rerum creationem aliquid debere, ac proindè aliquid esse debitum, dicendum est. Cum dominium Dei per rerum, & post rerum creationem non sit diminutum.

71. Argumentum, si valet, vrget vnicè P. Spars. iâm citatum ponentem conceptus *supernaturalis, & naturalis* in ratione *debiti, vel indebiti*. Et licèt artic. 7. dicat, indebitum simpliciter esse, quod vltra limites naturæ constituitur; nihilominus tamen confundit indebitum cum supernaturali. Tu verò dic, quod licèt omne supernaturale sit Naturæ indebitum, non tamen omne Naturæ indebitum est supernaturale: indebitum enìm latius patet. Sic licèt bona indoles, ingenium, divitiæ, principatus &c. sint indebita, non sunt tamen supernaturalia, sed naturalia. Supernaturale enìm est, quod superat omnes Naturæ vires; hæc omnia vires Naturæ non superant, licèt illi gratis concedantur. Vndè etiam è contra: non omne naturale est debitum, sed quod à Natura exigitur pro complemento, aut naturali statu. Ni velis distinguere inter *debitum, & non debitum*, dicereque, hæc omnia non esse debita Naturæ, cum Natura ea non exigat, non tamen esse indebita, nàm indebitum vltra addit vires Naturæ superare.

72. Hæc tamèn doctrina non est, quià argumentum ad hoc vrgeat. Iudico enìm, bonam indolem, ingenium, divitias, principatum, &c. esse debitas Naturæ, cum sint effectus naturales, vel corporum cælestium, vel accidentium, vel voluntatis hominum. Principatus enìm proveniunt à voluntatibus hominum convenientibus in conferendam Principi potestatem; divitiæ à Sole, Lunâ, & Astris naturaliter producuntur; hominesque propriâ, & naturali industriâ cooperante, vel permittente Deo, eis potiuntur. Ingenium, & bona indoles oriuntur à melioribus animæ dispositionibus, quę naturales sunt: item à corporum cælestium influxu. Ni velis dicere cum Sparsa, hæc omnia deberi non cuivis homini determinatè, sed vagè, & indeterminatè alicui. Vndè non sortiuntur rationem indebiti absolutè.

73. Ad secundam probationem dico; quod licèt accidentia,

&

& proprietas Angeli non debeantur homini, nec collectio propietatum Angeli superioris Angelis inferioribus, nec substantia perfectior existentibus debeatur vniverso. At illæ debentur Angelo, hæc collectio debetur etiam Angelo superiori, cuius est, & perfectio huius substantiæ ipsimet substantiæ est connaturalis. Cum autem Angelus, & hæc substantia sint Natura, non sortiuntur rationem *indebiti* omni Naturæ. Et solùm erunt supernaturalia quoad modum, eo quod, licèt sint indebita hìc, & nunc respectu huius, vel alteriûs Naturæ, non tamen absolutè, & respectu totius Naturæ. Eo modo, quô est supernaturalis positio duplicis corporis in eodem loco, aut vnius in duplici loco.

74. Ad tertiam dico: Non esse contra perfectum Dei dominium debere aliquid, & teneri ad aliquid ex suppositione propriæ voluntatis liberè aliquid determinantis. Sic ex suppositione, quod producat Petrum, tenetur eum non destruere in eodem instanti, quò illum producit. Ex suppositione, quod velit materiam producere, debet producere formam, quâ compleatur, &c.

75. Objicies secundò: memoria, & species gratiæ, & actuum supernaturalium est naturalis; sed sunt supra vires Naturæ: ergo. Probatur minor: dependent necessariò ab eô quod extiterint gratia, & actus supernaturales; sed existentia gratiæ, & actuum supernaturalium est supra vires Naturæ: ergo.

76. Aliqui respondent: memoriam, & species de actibus, & objectis supernaturalibus esse supernaturales. Communiter rejiciuntur: tum, quià, cum hæc memoria, & species dentur in Damnatis, iam in ipsis darentur actus supernaturales, & consequenter vel habitus pro eorum connaturali efficientia, vel specialis concursus Dei loco eorum concurrens; vnum tamen, & alterum dissonat. Tùm quià, iam actus pravi, vt odium de existentia gratiæ, & actus, quô quis nollet mysteria supernaturalia Fidei credere, essent supernaturales, cum depédeant ab existentiâ rerum supernaturalium, & repugnat actus malus cum supernaturalitate.

77. P. Arriaga num. 37. aits nec præsuppositivè esse supernaturales, eo scilicèt, quod judicet, nec vt à principio, nec vt à termino existente pendere à re supernaturali. Actus enim nostri etiam intuitivi non pendent necessariò ab existentia objecti, vndè etiam si illa objecta non extitissent, si tamen ex aliquo falso discursu naturali, vel aliunde fuisset homini excitata species, potuisset habere talem memoriã, & cognitionem, ac proinde species de illis, & tamen tunc, non supponeretur existentia rei supernaturalis. Relictis tamen his solutionibus,

78. Respondetur: memoriam

& ſpecies illas eſſe entitativè naturales, & solùm præſuppoſitivè ſupernaturales eo modo, quô actus Damnatorum; actus mali, & juxta communiorem ſententiam, actus, quô Hæreticus crederet alia myſteria ſupernaturalia, quibus non diſſentiretur. Natura enim rationalis petit vt ſibi debitam memoriam, cognitionem, & ſpecies reflexivas actuum, quos habuit, ſivè naturales, ſivè ſupernaturales ſint. Alioquin, poſſet evenire, quod quis amaret Deum intenſiſsimè, vel cognoſceret dari aliquod objectum, & interrogatus, an amaret, vel cognoſceret, non poſſet naturaliter reſpondere, quid ageret, ſeù egiſſet? Dependentia enim à re ſupernaturali non arguit, actum dependentem eſſe ſupernaturalem, præcipuè ſi dependentia ſit vt ab objecto, aut puro termino. Sic juxta probabiliorem ſententiam, actus naturalis poteſt tendere in objectum ſupernaturale, tam, vt in objectum materiale, quàm vt in objectum formale motivum. Dependentia enim, quæ arguit ſupernaturalitatem, eſt dependentia à principio ſupernaturali elevante, & confortante Naturæ vires ad productionem rei, qualiter ſe habent habitus ſupernaturales infuſi reſpectu actuum ſupernaturalium Fidei v. g. Charitatis &c.

79. Replicabis primò: ergo viſio Beatifica non erit formalitèr, ſed ſolùm præſuppoſitivè ſupernaturalis. Probatur conſequentia: ideô memoria actûs ſupernaturalis non eſt entitativè, ſed ſolùm præſuppoſitivè ſupernaturalis, quià ſuppoſito actu, debetur intellectui; ſed ſuppoſito lumine, debetur intellectui viſio beatifica: ergo [illegible]

80. Reſpondetur: nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo maiorē: ideò &c. quià ſuppoſito actu, debetur intellectui, & quià actus non eſt principium elevans, & confortans intellectum ad memoriæ productionem, concedo; præcisè, quià debetur, tranſeat. Et diſtinguo minorem: ſed ſuppoſito lumine, debetur intellectui viſio, ità, vt lumen ſit elevans, & confortans ipſum intellectum ad viſionem, concedo: aliter, nego. Certum eſt, requiri præſuppoſitionem actus ſupernaturalis ad eius memoriam. (Nì Arriagæ ſententiam teneas) & quod ſuppoſito tali actu, debeatur talis memoria. Aſt actus ſe habet vt conferens vires intellectui pro illo actu memoriæ habendo, ſed vnicè vt quod terminativè, & objectivè requiſitum. Vndè ratio debiti non tàm fundatur in ipſo actu præſuppoſito, quàm in ipsâ Natura intellectûs habentis jus in memoriam, & reflexionem propriorum actuum. Aſt lumen gloriæ requiritur vt principium elevans, & confortans intellectum pro viſione, vndè non tàm intellectus, quàm lumē fundat jus debiti in viſionem.

81. Replicabis ſecundò: actus hi ſupernaturales ſe habent vt principia ſpecierum ſui, ad minus ad cogni[illegible] nitio-

nitiones reflexas sui efficienter objectivè concurrunt: ergo eodem modo, ac se habet lumen respectu visionis, se habent illi.

82. Respondetur: transeat antecedens: quod negat Arriaga, num. 33. dicens: eas species, & cognitiones reflexas non produci ab actibus, sed infundi à Deo vt ab Authore Naturæ, & nego consequentiam. Licèt enim valeat hæc consequentia: *Effectus est supernaturalis: ergo habet aliquam causam supernaturalem*; non tamen valet hæc: *causa est supernaturalis ergo effectus est supernaturalis*. Ratio est: quia licèt effectus nequeat superare perfectionem causæ, causa potest superare perfectionem effectus. Potest ergo à re aliqua supernaturali produci efficiéter aliquid, quod non sit supernaturale. Tales ergo sunt species, memoria, & cognitiones reflexæ actuum supernaturalium, licèt à principio supernaturali procedant, nàm hoc se habet vt merum comprincipium. At verò lumen se habet vt confortans, & elevans, quod manifestè arguit supernaturalitatem visionis.

84. Obijcies tertiò: conclusio deducta ex duplici præmissa supernaturali per nos, potest esse naturalis. ergo talis conclusio exigeret eas præmissas. ergo non essent supra exigentiam, ac proindè, nec indebitæ Naturæ.

84. Respondetur. cōcedo anteced. & distinguo consequens. ergo talis conclusio exigit eas præmissas determinatè, nego: indeterminatè, eas scilicèt, vel alias naturales, ex quibus æquè poterat deduci, concedo. Cum autem eas præmissas supernaturales, determinatè non exigat, inde est, quod nec ipsa conclusio sit supernaturalis, nec ipsæ præmissę ipsi debitæ, licèt accidentalitèr ipsis pręcedentibus ob eminentiam, quam habent pro vtraquę conclusione inferenda, sivè naturali, sivè supernaturali, hic, & nunc eliciatur naturalis.

85. Obijcies quartò: peccata sunt contra Naturam rationalem, ac proindè indebita ipsi. ergo sunt supra Naturam: non sunt supernaturalia: ergo esse supra Naturam, non est entis supernaturalis essentia.

86. Respondetur, peccata esse contra Naturam rationalem, hoc est, ipsi moralitèr disconvenientia, non enim contra Naturam sensitivam, nec Physicè contra rationalem, ac proinde ipsi debita, quà liberè vltimò dispositę; nàm ita actus liberi, & consequentèr peccata ipsi debentur; aliàs dispositiones etiam sunt ipsi debitæ: ergo à primò ad vltimum sunt debita peccata. Vel ad minus non sunt indebita.

87. Obijcies quintò: auxilia necessaria ad superandam gravem tentationem, aut ad actum heroicum, & per difficilem virtutis acquisitę eliciendum, sunt naturalia quoad substantiam, & entitatem; sed sunt supra exigentiam, ac proindè indebita toti Naturæ, vt docent

 com-

communiter Theologi: ergo esse supra exigentiam, & quid indebitum, non est esse supernaturale.

88. Respondetur: quod licèt talia auxilia sint non debita illi individuo, cui conferuntur, sunt tamen debita agentibus naturalibus, quibus excitantur, & speciebus impressis, quibus fiunt. Item dici queunt debita quoad substantiam in aliqua serie rerum, licèt sint indebita in singulis occasionibus, & longo tempore: vndè non sunt entitativè supernaturalia.

SECTIO VII.

ARGVMENTA, QVÆ PRÆcipuè fiunt contra definitionem Naturæ.

89. OBijcies primò: qui invenerunt hanc vocem *supernaturale*, non attendunt ad Naturam creabilem, sed creatam tantùm: ergo non requiritur, quod ens supernaturale sit supra omnem Naturam, non solùm creatam, sed creabilem. Non enim nominis significatum extra, vel supra inventorum intentum elevandum est. Probatur antecedens: Sancti Patres, qui hanc vocem invenere, eâ tantùm vtuntur contra Pelagianos, vt scilicèt affirment indigentiam gratię ad promerendam vitam æternam, sed solùm Natura creata tàm angelica, quàm humana, & non creabilis versatur in promerenda vita æterna: ergo.

90. Respondetur distinguendo antecedens: non attendunt ad Naturam creabilem explicitè, transeat: implicitè, & virtualitèr, nego. Ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem: Natura creata tantùm versatur in promerenda beatitudine: versatur de facto, & actu secundo, concedo: versatur in actu primo, nego. Certum est, SS. Patres hac voce vti contra Pelagianos, vt probent, Naturam non habere vires ad eliciendos actus meritorios vitæ æternæ; sed non solùm Angeli, & homines existentes, & qui de facto versantur in promerenda beatitudine participant conceptum Naturæ, sed etiam Angeli, & homines possibiles, qui eam possunt promereri: ergo licèt non loquantur de Natura possibili expressè, cum in ea detur eadem ratio, de omni, eos loqui, censendum est. Aliàs posset quis sine temeritatis nota affirmare, possibilem esse aliquem hominem, vel Angelum, qui sine speciali gratia Dei posset, non solùm vincere gravissimam tentationem, verùm & sperare, diligere, credere, & pœnitère prout oportet; quod absurdum est. Insuper: licèt SS. PP. non attenderent explicitè in impositione talis nominis ad Naturam creabilem, cum tamen in hac eadem ratio reperiatur, quæ est intentio, & attentio implicita, ad hanc etiàm extendenda est talis vox. Sic primi inventores harum vocum *ens, substantia, intellectivum* &c. solùm attenderunt explicitè ad res creatas

tas

tas: ast, quià posteâ in Deo inventę sunt eædem perfectiones, ad Deum etiàm extensę sunt.

91. Objicies secundò: hic modus explicandi Naturam, ità vt comprehendat Naturam tàm creatam, quàm creabilem est manifesta principij petitio: ergo est ineptus. Probatur antecedens: hôc modô explicandi manifestè convincitur, ens supernaturale debere esse supra omnem naturam creatam, & creabilem, quod est idem, ac esse impossibilem substantiam supernaturalem: nàm cum supponatur esse Naturam, nequit esse supra se; Sed quod inquiritur, est, an sit possibilis talis substantia? ergo.

92. Respondetur: quod licèt ex nostrâ Naturæ intelligentiâ manifestè inferatur, esse impossibilem substantiam supernaturalem, non datur petitio principij. Ratio est: quià in præsenti non inquiritur: an sit possibilis, vel non talis substantia? Sed in quò consistat ens supernaturale? Suppositâ autem, & probatâ nostrâ definitione, posteâ ex illa probabitur, impossibilem esse substantiam supernaturalem, absque vlla petitione principij. Sicut, si aliquis intenderet probare, equū non esse hominem, non peteret principium, si priùs stabiliret essentiam hominis per *animal rationale*, licèt eâ stabilitâ, evidéter inferatur intentum, scilicèt equum non esse hominé; eò quod illam hominis definitionem non voluntariè, sed ratione ductus statuit. Sed nos definitionem Naturæ non voluntariè, sed ratione ducti statuimus: ergo.

93. Objicies tertiò satis infensè cum Ripalda: hôc nostrô modô explicandi Naturam ridicula redditur gravissima quęstio de possibilitate substantiæ supernaturalis. Suppositâ namque hâc definitione, idem erit inquirere: an sit possibilis substantia supernaturalis? Ac, an sit possibilis substantia, quæ sit supra omnem substantiā, ac proindè supra se ipsam? Quod est ridiculum. Quis enim hoc potest affirmare? Insuper hæc definitio solùm intentione negandi possibilitatem entis supernaturalis, sine vlla ratione inventa est.

94. Respondetur: quod, licèt nostrâ intelligentiâ Naturæ suppositâ, evidenter inferatur, non esse possibilem substantiam supernaturalem, non tamen redditur ridicula quæstio; quæ tamen ità redderetur, si absque vllo fundamento, & ratione, authoritativè stabiliretur definitio ex quâ hoc inferretur. Cōtrarium enim in nostra definitione convincitur. Nec nos eā vnicè intentione negandi possibilitaté substantiæ supernaturalis statuimus, sed ratione, & authoritate. Et licèt aliqui DD. antiqui, hoc vnicè intenderent, vitandi ergò censuram, quâ talis opinio tunc temporis inurebatur, nunc autem, cum à gravissimis Theologis omni notâ liberâ maneat, ratione debet fulciri.

SECTIO VIII.

ALIQVA NECESSARIO scienda brevi calamo perstringuntur.

95. ROGABIS primò: an supernaturale sit supra vires activas, & effectivas Naturæ? P. Arriaga Sect. 6. à num. 41. tenet: non debere esse supra vires activas, sed sufficere, quod sit supra passivas. Vndè possibilem concedit naturam, cui connaturalis, & debita sit effectio effectuum supernaturalium, v.g. virtus effectiva miraculorum, quæ supernaturalia essent, eò vnicè, quòd non debeantur Naturæ, vt subiecto. Hoc tenet præcipuè primò: quia iudicat, Deum esse Naturam, & Deo licèt sint indebita, vt subiecto miracula, & effectus supernaturales, sunt tamen debita, vt causæ effectivæ. Secundò: quia causa efficiens, vt talis non est Natura, omnia nanque accidentia sunt causę efficientes, & non sunt Naturæ: ergo eò, quod supernaturale sit supra Naturam, non infertur, esse supra causam efficientem, vt talem.

96. Tenendum tamen cum communi: *supernaturale debere esse supra vires activas, & effectivas Naturæ*, & consequenter esse impossibilem Naturam, cui debita sit virtus effectiva miraculorum, & effectuum supernaturalium. Aliàs Angelus, & materia prima erunt substantiæ supernaturales, cum nulli Naturæ debeantur, vt subiecto. Non Deo, vt per se patet: non vlli enti creato, cum in nullo recipi queant. Et si debeantur Deo, qui Natura est, solùm debentur, vt causæ efficienti, quod debitum supernaturalitati non officit. Hinc ad primum Arriagæ fundamentum, respondetur, Deum non esse Naturam in sensu huius quæstionis, vt sæpè probavi, quapropter, etii debeantur Deo vt causæ efficienti omnia supernaturalia, non debentur naturę. Ad primum respondetur, me non defendere, supernaturale esse supra causam efficienté, vt sic (in quo stat Arriagæ æquivocum) cum non sint supra plura accidentia. Sic visio Beata non est supra virtutem effectivam luminis gloriæ &c. sed supra vires effectivas Naturæ vt talis, qualia non sunt lumen, & accidentia. Hoc est, Naturam vt talem non posse proprijs viribus relictam effectus supernaturales producere. Admodum, quò, nec dicimus, supernaturale esse supra accidentia vt talia, sed supra accidentia naturalia.

97. Rogabis secundò: an supernaturale sit etiam supra vires passivas Naturæ? Subtilis D. cum suis, quibus ex nostris vnicè adhæret Coninc. 2. 2. d. 4. num. 17. tenet, supernaturale non debere esse supra vires passivas Naturę: vndè tenet virtutem passivam donorum supernaturalium esse omninò naturalem. Fundantur primò: omnis poten-

tentia passiva, aut inclinat in accidens sibi inhærens, aut illi repugnat, aut caret inclinatione. Hæc enim est juxta Aristotelem adæquata potentiæ passivæ divisio. Ex his autem nulla est supernaturalis. Nàm prima, quæ inclinat, est naturalis. Secunda, quæ repugnat, est violenta. Tertia est neutra: ergo. Secundò: visio beatifica est præcipuum ens supernaturale; sed non est supra virtutem passivam intellectûs; cum hic in illam vtpotè summam ipsius perfectionem inclinet: ergo. Tertiò: virtus passiva est identificata Naturà: ergo est naturalis. Quartò: si accidentia supernaturalia excederent virtutem passivam, iam accidentia essent perfectiora formis substantialibus, quæ talem virtutem non excedunt. Quintò: authoritate August. c. 5. de prædest. Sanctorum vbi: *posse habere Fidem Naturæ, est hominum, habere autem gratiæ est Fidelium*: ergo potestas habēdi Fidem est naturalis, alias si esset supernaturalis non contraponeretur ab August. actui secundo habendi Fidem, qui supernaturalis est.

98. Dicendum: *supernaturale excedere etiam vires passivas Naturæ*. Vndè virtus passiva, & receptiva non est dicenda naturalis. Primò quià in modo loquendi standum est maiori, & frequentiori Theologorum consuetudini. Maior autem, & frequentior virtutem patientem dona spiritualia nullatenus vocat naturalem. Secundò: quia si habitus Charitatis &c. esset, & diceretur naturalis voluntati, actus Charitatis non essent supra vires activas ipsius, cum non sint supra vires activas habitûs, qui per vos est naturalis. Tertiò: quià eôdem modô diceretur homo naturaliter justus, Deus &c. cum gratia, & vnio hypostatica sint naturalia virtuti passivæ humanitatis.

99. Ad primum Schori fundamentum dico: potentiam vltra dividi in potentiam obedientialem passivam, quæ nec est naturalis, nec violenta, nec neutra. Hæc autem ab Aristotele cognita non fuit, distinguiturque ab illis; nam illi non reducuntur ad actum actione supernaturali, qualitèr ipsa. Ad secundùm posteà. Ad tertiū dico, quod licèt capacitas susceptiva, seù potentia obedientialis animæ sit identificata Naturâ, cum tamen connotativè dicat auxilium supernaturale, & nisi actione supernaturali in actum non exeat, non est dicenda naturalis. Ad quartū postea dicam, naturale, & supernaturale se habere sicut excedens, & excessum. Et iam dixi, plures entitates naturales, vt vitales esse perfectiores pluribus supernaturalibus; neque ex eô quod contineantur naturales in virtute naturali, & non supernaturales, sequitur, esse perfectiores non contentos, quàm contentos. Ad quintū dico: Augustinum non solùm de potentia passiva, sed etiam de virtute activa loqui; ergo, si hæc ea verba de potesta-

testate naturali intelligere, poterit intellectus naturaliter, seù naturali vi credere, quod Pelagianismum est. Vndè, quod ait Agustin. tantùm est, non posse homines naturaliter credere, sed esse proprium naturæ hominis posse credere, hoc est, naturam Humanam posse elevari ad credendum, non tamen naturam bruti. Hoc tamen concedit cum respectu, & dependentiâ elevationis.

100. Rogabis tertiò: an supernaturale sit supra evidentiam immediatam, & quidditativam Naturæ? Hoc est: an intellectus possit naturaliter evidenter cognoscere immediatè, & quidditativè aliquid supernaturale? Affirmant Schotus cum suis apud P. Ripalda d. 10. de ente supernat. num. 4. Fundantur primò: soliûs Dei est, *qui* (teste Paulo) *lucem habitat inaccessibilem*, non posse à Natura immediatè quidditativè cognosci: ergo supernaturalia poterunt ità cognosci. Secundò: supernaturalia sunt supra vires activas, & passivas physicè; sed posse immediatè intuitivè cognosci, nihil facit ad hoc, vt sint, vel non sint supra vires physicas: ergo. Tertiò: plura naturalia, quæ terminant cognitionem immediatam intuitivam, sunt excellentiora pluribus supernaturalibus, vt Angelus, anima rationalis &c. respectu habituum, Characteris Sacramentalis &c: ergo si excellentius ens potest cognosci, & poterit minùs perfectum. Quartò: si calor ponatur in aquâ, aut in igne frigus, videt Angelus eorum accidentium inhærentiam, quæ supernaturalis est. Item videt quantitatem Eucharisticam creatam, se quoque esse beatum & Sanctum &c: ergo.

101. Tenendum cum ferè quinquaginta DD. citatis à Ripalda n. 2. *non posse quid supernaturale cadere sub cognitionem naturalem intuitivam immediatam*. Primò: ob authoritatem Paul. 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei.* id est, supernaturalia, juxta Interpretum explicationem. Idem tenent Chrisost. Prosper, Hieron. Theod. & alij Sancti PP. citati ab eôdem Ripalda à num. 5. Secundò: Angeli absque revelatione non assequuntur mysteria gratiæ: ergo nequit Natura supernaturalia cognitione evidenti immediatâ pertingere. Antecedens est constans Sanctorum Patrum consensus. Consequentia legitimè infertur. Nàm, si Angelus, qui perfectiori inter ratione vtentes naturâ fruitur, hâc excellentiâ caret, quantò magis aliæ creaturæ inferiores. Tertiò: Trinitas nec sub cognitione mediatâ Naturæ cadit, vt tanquam de Fide tenent Suar. Valen. & Alij. Caderet autem in sententiâ contrariâ. Nàm cognitis naturaliter intuitivè lumine gloriç, & visione beatifica, cernerentur omnia eorum distinctiva à reliquis luminibus, & visionibus, quorum prçcipuus est respectus, & ordo ad Trinitatem. Cognitò autem hôc intuitivè immediatè, me-

diatè necessariò cognosceretur Trinitas. Quartò: quia iam cognosceret saltèm Angelus evidenter vnionem hypostaticam (quod ipse Schotus negat) non est ratio, quarè reliqua supernaturalia attingantur, & non vnio.

102. Ad primum contrariç sententiæ fundamentum dic: Deum esse inaccessibilé comprehensivè, cũ nec supernaturaliter possit, propriâ saltèm cognitione, à creaturâ comprehendi, alitèr reliqua. Et in hoc sensu lucem habitat inaccessibilem. In hoc tamen, quod nequeant evidenter immediatè cognosci pari pede currunt alia supernaturalia creata. Ad secundum dic: quod licèt distinctivum sit superare vires physicas, est etiam prædicatum proprium supernaturalis vt talis superare vires intentionales quoad intuitionem immediatam. Ad tertium dic: quod sicut, etiam si plura naturalia excedant in perfectione supernaturalia, illa continentur intra vires physicas Naturæ, & non hæc; & sicut, etiam si plura corporea excedant in perfectione plura spiritualia, vt sol Characterem, & habitum, illa cõtinentur intra spheram sensuum materialium, & non hæc; ità in nostro casu, nàm, vt sæpè dixi, in hoc excedunt supernaturalia: sed cum excellentijs in alijs æstimabilioribus excedantur ab entitatibus naturalibus; hæ dicuntur absolutè perfectiores. Ad quartum: Angelum non cognoscere intuitivè suam sanctitatem, aut beatitudinem. & si inhærentia eorum accidentium, & creatio quantitatis Eucharisticç sint entitativè supernaturales, nec similiter ab ipso videri.

103. Rogabis quartò: an supernaturale sit supra evidentiam abstractivam naturæ? Hoc est: an Natura intellectualis possit in medijs, aut ex medijs naturalibus evidenter dignoscere aliquid entitativè supernaturale? Hoc latiorem sibi exigit disputationem: opiniones referam, ne te inscium penitùs relinquam suum ad vsque proprium locum. Prima absolutè negat, supernaturale posse cadere sub cognitionem evidentem adhuc abstractivam. Ità communior sententia. Secunda affirmat. Ità à fortiori Schotistæ, quos in hoc sequuntur Vasq. & Ant. Per. in Laur. Salman. Cert. 5. dis. 3. & Arrubal. Tertia tenet non posse supernaturale demonstrari ex medio naturali, at suppositis principijs Fidei, & operibus miraculosis, ac supernaturalibus, posse Angelos essentiam, & existentiam supernaturalium, etiam vnionis hypostaticæ, & visionis Beatæ evidenter inferre: ità Suar. Molin. Tanner. & alij. In hanc maximè inclino, sed de hoc posteà.

104. Rogabis quintò: an dona supernaturalia sint supra innatum appetitum naturæ? Prima sententia negat; ità Schot. cum suis, quos sequuntur ex nostris Valent. & Ruiz. Fundantur primò authoritate August. 13. de Trinitat. cap. 8. *ad appetendam Beatitudinem*

Natura compellit. Et lib. 1. Confes. cap. 1. *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Secundò: Natura inclinat in bonum sibi conveniens; sed dona supernaturalia sunt bonum Naturæ conveniens: ergo. Teriò non quiescit appetitus Naturę rationalis, nisi in possesione vltimi finis supernaturalis, qui est visio Beatifica: solùm enim quiescit cũ satiatur; sed solùm in possesione vltimi finis supernaturalis, nõ autẽ naturalis satiatur juxta illud Psal. 16. *satiabor, cum apparuerit gloria tua*: ergo ad ipsam possessionẽ datur naturalis appetitus. Quartò: multa appetimus naturaliter, quę solùm supernaturaliter obtineri queunt, vt per observantiam pręceptorum naturalium collectim, nunquam peccare, errare nunquam, cognoscere omnes veritates naturales, &c. ergo, & si nequeant bona supernaturalia naturaliter obtineri, poterunt naturaliter appeti.

105. Dicendum cum communi Theologorum, quos citat, & sequitur Ripalda dist. 9. num. 11. *Non dari appetitum innatum naturalem erga bona supernaturalia*. Primò: quia appetitus innatus est potentia; sed iam constat, nullam dari potentiam, nec activam, nec passivã erga bona supernaturalia: ergo. Secundò: omnis appetitus est in ordine ad consequutionem; sed consequutio naturalis boni supernaturalis, est impossibilis; ergo & appetitus.

106. Ad primum fundamentũm dic: Augustinum ibi loqui non de appetitu innato, sed elicito. Ideòque loco de Trinitate non ait: *ad appetendum*, sed *ad volendum*. Velle autem, vel nolle ad appetitũ elicitum, non ad innatum pertinet. Ad secundum dic: Naturam solùm inclinare in bonum sibi conveniens proprijs viribus assequibile, non aliter: bona ergo supernaturalia non ità esse, certum est. Ad tertium vel dic cum Ripald. appetitum innatum Naturæ rationalis, quiescere in possesione boni summi naturalis, ibique satiatur. Vndè illud Psalmi *satiabor, &c.* solùm est appetitu elicito: vel cum Leonardo, ad appetitum innatum non requiri adæquatam quietem, nec plenè satiari. Sic dum materia est sub vna forma cõnaturaliter est, & tamen alias petit, nec satiatur adæquatè, cum alias posit habere. Ad quartum dic: quod si illa omnia nequeũnt obtineri naturaliter, nequeunt similiter terminare appetitum innatum. Ast iuxta communiorem Theologiam, licèt nequeant naturaliter moraliter obtineri, possunt tamen physicè, quod sufficit ad appetitum innatum.

107. Dices tamen ex Ripalda contra nos num. 22. Per nos datur connexio naturalis cũ terminis supernaturalibus; ergo, & appetitus innatus. Nàm in re, nil aliud est appetitus, quàm connexio.

108. Respondetur: punctum esse de voce, in quò communior loquen

loquendi modus tenendus est. Non enim confunditur connexio, cum appetitu. Primò: nàm connexio est mera capacitas, & non repugnantia. Appetitus verò est potentia, & inclinatio. Non enìm datur potentia, & inclinatio ad id, quod impossibile est acquiri. Secundò: connexio contenta est cum mera possibilitate termini. Appetitus vltra meram possibilitatem, consequibilitatem termini requirit. Tertiò: connecti Naturam cum terminô supernaturali, est ità se habere Naturam, vt si redderetur impossibilis terminus supernaturalis, ipsa quoque impossibilis reddatur. Appetere Naturam terminum supernaturalem, vltra addit talem terminum assequibilem esse à Natura.

109. Rogabis sextò: an supernaturale sit supra appetitum elicitum naturale? Hoc est, an voluntas possit per actum naturalem, velle, & amare aliquod bonum supernaturale? Loquimur de homine, qui supposità Fide, cognoscit possibilitatem bonorum supernaturalium visionis Beatificæ v.g. Hæc solùm posse assequi viribus gratiæ, Naturam esse ordinatam ad ordinem supernaluralem, Deumque habere paratum concursum supernaturalem ad bona supernaturalia consequenda supponitur. Posse dari appetitum naturalem elicitum inefficacé circa bona supernaturalia tenent omnes ferè Theologi apud Leon. tract. 6. de vit. num. 9. nàm potentiæ naturales possunt versari proprijs actibus circa terminos supernaturales habentes se, vt obiecta materialia. Primò: nâm Dæmones credunt plura mysteria supernaturalia, juxta illud Iacob. 2. *& Dæmones credunt, & contremiscunt*: non actibus supernaturalibus: ergo. Secundò: Hypocrita desiderat lumen Prophetiæ, virtutem factivam miraculorum. Sacerdos sæpè pravâ intentione vult consecrare Hostiam, conficere Sacramenta. Hæreticus vult impugnare mysteria supernaturalia Fidei, &c: ergo similiter poterit voluntas appetitu elicito naturali, inefficaci tamen, in dona supernaturalia tendere.

110. Vtrum posit habere actum elicitum efficacem, & absolutum, non solùm ex parte operantis, sed etiàm ex parte operis? Gravior est difficultas, sed affirmativam partem probabiliorem judico cum Arriaga, Henric. Leonardo, & Ripald. dist. 14. Sect. 3. Voluntas enìm potest elicere aliquem actum, adeò vehementem circa visionem v. g. beatificam, vt incompossibilis sit cum odio talis finis, quæque determinet voluntatem ad eligenda media, quibus infallibi iter consequatur. Nàm licèt hæc sint opera meritoria supernaturalia, quæ in virtute talis actûs non continentur, tamèn in virtute illius continentur actus naturales honesti, quibus cum sciat homo, saltem ex voluntate extrinseca Dei, esse infallibiliter connexos

S2

nexos actus supernaturales. Vnde potest determinare voluntatem immediatè ad actus supernaturales, quæ sunt media pro consequutione visionis: quod sufficit ad efficacitatem actûs.

111. Neque objicias primò: eam volitionem naturalem non continere media necessaria pro cõsequutione finis. Nàm licèt ea non contineat per se ipsam, potest applicare aliquod medium v. g. actum honestum naturalem, quo cum saltẽ extrinsecè, & ex voluntate agentis connectuntur talia media, quod ad efficacitatem sufficit. Nequè objicias secundò: ex hoc sequi, posse actũ naturalem imperare actus supernaturales, quod dissonat; sicut, quod actus malus honestos: possent namque hi vitiari, nàm in hoc dissident DD. Ripalda tenet, posse actum honestum vitiari, & consequenter admittit sine inconvenienti omne argumenti inconveniens. Hurt. negat, quocum dic: quod, licèt actus malus nequeat honestũ imperare, potest tamèn actus naturalis imperare directè, & immediatè actum honestum naturalem, & mediatè, & indirectè supernaturalem. Neque obijcias tertiò: quod iàm potest homo actu naturarali absoluto, & efficaci tendere in Fidem, remissionem peccatorum, iustificationem, &c. quod est contra August. & Concilia. Nàm, dummodo non dicas talem actum naturalem tendere in ea per modum meriti, aut dispositionis, quod esset contra Concilia, vtpotè pelagianismum, dic, eum tendere per modum principij applicantis actum honestum naturalem, cui supernaturales ex volũtate Dei connexi sunt.

QVÆSTIO II.

AN SIT POSSIBILIS SVBstantia supernaturalis.

2. LICET confusè, & indiscriminatim agãt, & quærant DD. vtrùm possibilis sit substantia supernaturalis? Et vtrùm possibilis sit aliqua substantia, cui connaturale sit lumen gloriæ? pro eodem vtrumque reputantes. Vel claritatis gratiâ, vel quia Arriaga & alij possibilem concedunt secundam substantiam, negantes primæ possibilitatem, vtrumque distinctè, & in singulari agere decrevi. Nunc tamen de primo.

2. Esse possibilem substantiam supernaturalem sine vllo addito, aut taxatione nullus Theologus ausus est defendere. Maior ex antiquis, Herice, Molina, & Becanus fo[v]entes argumenta partis negativæ, in affirmativam propendent. Denique Ripalda disp. 23. partem affirmativam liberat à censurâ, & astando rationi, probabilem judicat. Esse tamen impossibilem reliqui Theologi vnanimi consensu tenent, qui videri possunt apud P. Leonardum disp. 6. de vis. num. 112. Vndè

3. Tenendum: *Impossibilem esse substantiam supernaturalem creatam*

tam. Probatur primò: id, ex cuius positione sequeretur quodlibet, adhuc divinitùs impossibile censeri debet; sed ex positione substantiæ supernaturalis sequeretur quodlibet: ergo. Probatur minor: sequeretur, talem substantiam esse Naturam, & non esse Naturam. Esse Naturam: *Quià esset principium substantiale motùs sibi intrinseci*, quæ est definitio Naturæ. Non esse Naturam, *quià esset supra omnem Naturam*, quæ est definitio entis supernaturalis; & repugnat, idem esse supra se ipsum. Ad hoc vnicè reducuntur probationes, quæ longè latèque apponuntur à Doctoribus.

4. Probatur secundò authoritate communi. Nàm, vt optimè notat P. Salas, ad hoc vt aliquid defendatur impossibile in materijs Theologicis sufficit, quod probabilius sit repugnare, quàm non repugnare, licèt non demonstretur contradictio, aut repugnantia: nàm licèt non demonstretur evidentia consequentis, demonstratur evidentia consequentiæ, quæ in authoritate communi fundatur.

5. Objicies primò: vnio hypostatica est substantia; sed est supernaturalis: ergo possibilis est aliqua substantia supernaturalis. Maior est certa: minor est de Fide. Consequentia legitimè infertur.

6. Adeò certum est argumentum, vt ex eius certitudine, eius solutio inferatur: scilicèt in præsenti quæstione non loqui de substantia modali, quæ nec est Natura absolutè, nec substantia absolutè, sed solùm cum addito nempè *vt quo*, seù *modalis*: nàm si in rogato quæstionis loqueretur de substantia modali, esset quasi de Fide, possibilem esse talem substantiam, cum sit de Fide, vnionem hypostaticam esse supernaturalem, & aliàs certissimum, esse substantiam vt *quo*, seù modalem. Insuper non solùm de possibili, verùm etiam de facto daretur talis substantia, cum de facto detur talis vnio; sed à nemine dictum est vsque adeò, de facto dari talem substantiam: ergo manifestum est, de ea præsentem quæstionem non loqui. In forma distinguo maiorem: vnio hypostatica est substantia absolutè, & simpliciter talis, nego: est substantia modalis, seù *vt quo*, concedo. Vndè non est absolutè Natura Theologicè in sensu quæstionis: cum autem Natura non sit, quid mirùm, quod sit supernaturalis.

7. Replicabis: ergo possibilis erit aliqua vnio supernaturalis inter materiam *A*, & formam B.

8. P. Leonardus negat consequentiā à num. 270. ex duplici capite. Primò: quia talis vnio esset debita composito resultanti, quæ est Natura. Secundò: quià esset sibi ipsi debita, quæ etiam est Natura vt *quo*. Contra tamen primò: ergo vnio sortitur conceptum Naturæ juxta præsentem acceptionem; sed vnio hypostatica est propriè, & simpliciter vnio: ergo vel non est supernaturalis, vel est supra se ipsam.

 Con-

Contra secundò: num. 257. tenet, vnionem hypostaticam non esse Naturam. Sic argumentor. Sed vnio hypostatica est propria vnio, convenitque cum reliquis vnionibus in ratione vnionis: ergo vel reliquæ ex conceptu vnionis non sunt Natura, vel ipsa est Natura. Tenorem consequentiæ non capio. Idcòque distinguo consequens: ergo possibilis erit aliqua vnio supernaturalis inter materiam, & formam indebita tàm materiæ, quàm formæ, & composito resultanti, v.g. alia vnio eius, vel alterius Personę Divinæ, concedo: debita vel materiæ, vel formæ, vel composito, nego. In quâ supernaturalitas repugnaret non ex debito erga se ipsam, nàm cum non sit Natura, quod sibi ipsi deberetur, non argueret, non esse indebitam omni Naturæ, sed ex debito erga materiam, formam, vel compositum, quæ Natura sunt.

9. Dices: ergo si fortè vniretur materia prima cælestis cum forma sublunari, vnio inter vtramque esset supernaturalis. Probatur consequentia: talis vnio esset indebita materiæ, nàm huic solùm est debita vnio ad formam Cęlestem: item formæ, nàm huic solùm est debita vnio ad formam sublunarem. Denique composito resultanti: nàm cum hoc nil aliud sit, quàm ipsa materia, & forma, cum his seorsim non sit debita, neque conjunctim ità erit.

10. In meis principijs defendentibus materiam primam cælestem, esse eiusdem speciei cum sublunari argumentum nullum est. Nàm cum materia cælestis sit naturaliter capax formarum sublunarium, & formæ sublunares naturaliter potentes informare materiam cælestem, vnio illa esset debita tam materiæ, quàm formæ. Si verò supponatur, materiam cælestem esse distinctæ speciei cum Exim. D. & aliàs vniri formæ sublunari; ea vnio esset debita composito, quod esset Natura. Nàm ex suppositione, quod tale compositum resultaturum sit, aliqua vnio debetur ipsi. Neque ex eo, quod non debeatur materiæ, & formæ seorsim sumptis, sequitur, quod non debeatur ipsis conjunctim. Sic, & si subsistentia (suppono, dari vnicam totalem, & non plures partiales) non debeatur materiæ, & formæ seorsim, debetur ipsis conjunctim.

11. Obijcies secundò: subsistentiæ creatæ, vel repugnaret supernaturalitas ratione entis, & hoc non, quià visio beatifica est ens, vel ratione entis creati, & hoc non, quià gratia est ens creatum, vel ratione substantiæ, & hoc non, quià Deus est substantia, vel ratione substantiæ creatę, & hoc non, quià vnio hypostatica est substantia creata; ergo illi supernaturalitas non repugnat.

12. Argumentum probat, de facto dari substantiam supernaturalem, & hanc esse quamlibet subsistentiam. Cuilibet enim ità esse non repug-

repugnabit, si tenet factum argumentum. Item eodem tenore probarem, hominem esse Deum. Nàm illi non repugnat hæc excellentia, nec ratione entis, nec ratione subsstantiæ, nec ratione intellectivi &c. sicut enìm hoc argumentum non valet, tùm: quià vniversaliter argumentum à sensu diviso ad compositum non valet: sic nec materiæ, nec formæ, nec vnioni seorsim sumptis repugnat esse ens incompletum, & ipsis simul sumptis repugnat. Tùm quià vltra ea vltimum constititutivum Dei est vel intellectivum radicale, vel conjùnctum ex omnibus perfectionibus, juxta varias opiniones, ità non valet argumentum nobis oppositum: quià licèt subsistentiæ nō repugnet supernaturalitas, nec ratione entis, nec ratione entis creati, nec ratione substantiæ, nec ratione substantiæ creatæ prout indifferenter se habet ad modalem, & absolutam, repugnat illi ratione substantiæ creatæ, & simplìciter talis, nàm ità est natura, & repugnat natura supernaturalis.

13. Obijcies tertiò: non repugnat aliqua forma talis perfectionis, quæ exigens subjectum, à subjecto non exigatur; sed hæc esset supernaturalis: ergo. Probatur minor. ideò gratia, & vnio hypostatica sunt supernaturales, quià exigunt subjectum, & non exiguntur ab illo: ergo omnis forma, quæ exigit subjectum, & non exigitur à subjecto est supernaturalis.

14. Quod nequeat dari forma substantialis supernaturalis, est expressa mens D. Thomæ 1. 2. quæst. 110. artic. 2. ad 2. Vbi probat, animam non posse esse gratiam, quià est pars Naturæ, & indè gratiam esse supernaturalem, quià est supra Naturam. Et indè denique quià est supra Naturam, probat, non posse esse substantiam. Eius verba ità se habent: *omnis substantia, vel est ipsa Natura rei, cuius est substantia, vel est pars Naturæ secundum quem modum materia, vel forma substantia dicitur, & quia gratia est supra Naturam humanam, non potest esse, quod sit substantia, aut forma substantialis, sed est forma accidentalis eiusdem animæ*: ergo si ideò gratia nequit esse forma substantialis, quià est supra Naturam, repugnabit vtique forma substantialis supra Naturam, seù supernaturalis. Ratio poterit esse: quià eò ipsò, quod sit forma substantialis, & ipsa exigit materiam, seù subjectum, vt completivum sui, & ipsa ob eundem titulum exigitur à subjecto in ordine ad compositum, licèt non determinatè, indeterminatè tamen. Vndè negari potest prima maior. Sed prætermissá, nego minorem. Quia debetur composito, quod natura est, licèt ob hanc exigentiam non mutuam, esset non supernaturalis, sed præternaturalis subjecto, vel denique non esset sibi indebita, cum sit Natura, ac proindè non esset supernaturalis. Quod non reperitur in gratia, visione beatifica &c. Undè supernaturales esse queunt.

Obij-

15. Obijcies quartò: genus ſubſtantiæ eſt perfectius, & magis aſsimilatur Deo genere accidentis; ſed quoties aliqua entitas eſt ſub genere perfectiori, & magis aſsimilatur Deo, perfectiùs participat perfectionesDei, quarum vna eſt ſupernaturalitas: ergo ſi poſsibile eſt aliquod accidens participans ſupernaturalitatem. Item: ergo ſicut poſſibile eſt aliquod accidens, vt lumen gloriæ, cui debeatur viſio beatifica, vel ſaltem naturâ ſuâ illam efficiat; ità potiori titulo poſsibilis erit aliqua ſubſtantia, quæ vtrâque excellentiâ gaudeat.

16. Ex argumento hæc etiam conſequentia infertur: Ergo ſicut datur de facto aliquod accidens, quod ſupernaturalitatem participet. Item. *ergo ſicut aliquod accidens de facto nativa virtute viſionem beatificam producit, ità defacto dabitur aliqua ſubſtantia vtràque excellentià gaudens*. Quod quis dicet? De prima maiori plures DD. dubitant, immò, & judicant, omnia accidentia ſupernaturalia perfectiora eſſe quâlibet ſubſtantiâ; quô in confirmationem vertitur argumentum. Sed eâ admiſsâ, diſtinguo minorem: perfectiùs participat perfectiones Dei, illi non repugnantes, tranſeat: illi repugnantes, nego. Cum enim ſubſtantię createę vt tali, repugnet ſupernaturalitas, indè eſt, quod hanc perfectionem nequeat à Deo participare, licèt eam participet accidens. Pro quô nota: quod, licèt aliqua entitas ſit abſolutè perfectior aliâ, & conſequenter ſimilior Deo; poteſt excedi ab hâc in aliqua peculiari perfectione. Sic Angelus perfectior eſt igne, & tamen ignis excedit Angelum in hoc, quod eſt poſſe producere terminum ſubſtantialem, quem Angelus naturaliter producere nequit. Forma materialis eſt perfectior materiâ primâ, & exceditur in eo, quod materia terminat creationem, non ità forma. Ergo licèt ſubſtantia ſit abſolutè perfectior accidenti, eo quod ſit ens per ſe, prima radix accidentium &c. poteſt ab accidenti excedi ſecundùm quid in prædicato ſingulari ſupernaturalitatis.

17. Obijcies quintò: Natura Theologicè ſumpta per nos excludit totum ordinem ſubſiſtentiæ: ergo ſubſiſtentia non eſt Natura Theologicè: ergo poſsibilis erit aliqua ſubſiſtentia creata ſupernaturalis: ergo & aliqua ſubſtantia abſoluta (ſuppono ſubſiſtentiam non eſſe modum ex probabili ſententia)

18. Reſpondetur, concedo primum enthymema & nego ſecũdam, & tertiam conſequentiam. Ratio eſt: quia nõ quilibet cõceptus realis ſubſtantialis, eſt ſubſiſtentia, ſed conceptus radicatus in aliqua natura, qui ſit illi debitus, complementum, & proprietas ipſius, omnis autem conceptus huiuſmodi eſt naturalis, ſicut (ſuppoſitá diſtinctione potentiarum ab anima) non quodlibet accidens, quod ex Natura ſua ordinetur ad producendos actus vitales

tales, est intellectus, aut voluntas, sed qui radicatur in anima, & est illi debitus, & proprietas ipsius, ac proindè, qui fuerit accidens naturale. Et licèt subsistentia terminaret alienam naturam, & ideò huic non esset debita, esset tamen debita respectu propriæ naturæ, ac proindè nullatenùs supernaturalis.

QVÆSTIO III.

VTRVM SIT POSSIBILIS aliqua substantia creata, cui debeatur lumen gloriæ, visio beatifica, aliudvè donum supernaturale?

1. Idemmet DD. qui liberant à censurâ, & temeritate possibilitatem substantiæ supernaturalis (quibus adde Arriaga) liberant etiam ab eâdem censurâ, & temeritate sententiam affirmativam. Negativam tamen sententiam tenet idem Theologorum cœtus videndus apud eundem Leonardum loco citato.

2. Dicendum: *Impossibilem esse substantiam creatam, cui lumen gloriæ, visio beatifica, aliudve donum supernaturale sit debitum, & connaturale.* Probatur primò (relictis pluribus authoritatibus) vnicâ D. August. authoritate, qui lib. 22. de Civit. cap. 1. loquutus de creatura intellectuali, & visione beatificâ ità se habet: *Quià verò creatura est hoc, id est, videre Deum in se ipso, & beatam fieri, non ex se potest, quià ex nihilo creata est, sed ex illo, à quò creata est*: ergo juxta D. August. ideò creatura nequit viribus Naturæ, seù ex se videre Deum, quià ex nihilo creata est: ergo vbi detur eadem ratio, scilicèt creatio ex nihilo, eadem consequentia debet dari, causalis enìm æquivalet vniversali. Tunc sic: sed quæcumque substantia tàm de facto existens, quàm possibilis, adhuc de potentia Dei absoluta, nequit non creari ex nihilo; ergo nequit juxta D. August. proprijs viribus videre Deum.

3. Neque dicas cum Ripalda: Sanctum Augustinum ìbi loquutum de beatitudine objectiva, & supra hanc cadere causalem illam, quasi dicat S. Doct. *Nullam creaturam posse esse beatitudinem objectivam, quià ex nihilo creata est*: nè, inquam, dicas: quià licèt eô capite plura dixerit Augustinus de beatitudine objectiva; illam causalem non posse cadere supra beatitudinem objectivam, sed supra effectivam, constat ex verbis, quæ sequuntur: *non ex se potest; sed ex illo à quo creata est*: sed creatura, nec ex illo, à quô creata est, potest esse beatitudo objectiva, vt ex se patet: ergo si Augustinus loquitur de beatitudine, ad quam viribus gratiæ potens est creatura, ibi solùm loquitur de effectiva. Vndè sensus causalis erit: nullam creaturam posse ex se, id est, viribus proprijs beatitudinem acquirere, quià ex nihilo creata est.

4. Probatur secundò; non repug-

pugnat, Deum aliqua accidentia posse producere indebita omni substantiæ tàm creatæ, quàm creabili: ergo ea de facto produxit, hæcque sunt lumen gloriæ, visio beatifica, reliquaque dona, quæ supernaturalia dicuntur. Antecedens est certum, vel assignent adversarij contradictionem. Et quidem ad divinam perfectionem spectat habere aliqua specialia beneficia nulli Naturæ debita, quæ ipsa, nec exigat, nec exigere possit naturaliter, vt optimè expendit August. lib. 9. de Genes. ad litteram. cap. 17. & 18. declarans, cuilibet creaturæ esse determinatas vires, vltra quas nequeat naturaliter operari. Consequentia, supposito antecedenti, communi consensu Theologorum probatur. Nàm, cum sit quæstio de facto, similes quæstiones authoritate probantur. Et sanè semel concesso, quod Deus habeat in thesauro suæ Omnipotentiæ accidentia nobiliora, quàm ea, quæ sunt naturalia creaturæ, quis non dicat, ea esse visionem beatam, gratiam, lumen gloriæ &c. nequeunt enìm facilè nobiliora accidentia excogitari, quàm hęc.

5. Probatur tertiò ratione à priori: id, ex cuius positione sequitur quodlibet, adhuc divinitùs repugnat; sed ex eo, quod deberetur alicui substantiæ lumen gloriç &c. sequeretur quodlibet: ergo. Probatur minor: sequeretur, tale lumen esse supernaturale, & non esse supernaturale, esse, vt supponitur: non esse, quià esset Naturæ debitum: illa namque quæcumque substantia esset Natura, cum esset *principium substantiale motùs sibi intrinseci*: ergo. Alias probationes libenter omitto. Tùm quià facilè diluuntur à Ripalda, & Arriaga, tùm quià probationum multiplicitas sępè dificultatum multiplicitati locum præbet, & quas conclusio non affert, probationes alliciunt.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTA SOLVUNtur.

6. OBijcies primò: conjunctum ex intellectu, & lumine gloriæ est quid finitum, & limitatum: ergo poterit Deus producere aliquem intellectum illò conjunctó perfectiorem. Tùm sic; sed tali conjuncto est debita, & connaturalis visio beatifica; ergo & illi intellectui. Antecedens est certum, consequentia probatur: intellectus est participatio divini intellectûs; sed inter intellectum creatum etiam illustratum lumine gloriæ, & intellectum divinum datur infinita distantia, & per consequens infinita latitudo participabilis: ergo poterit intellectus divinus magis, & magis participari, & consequenter poterit Deus perfectiorem, & perfectiorem intellectum producere.

7. Retorqueo: conjunctum ex Humanitate Christi Domini, &

vnio-

vnione hypostatica, est quid finitum, & limitatum: ergo poterit Deus producere aliquam substantiam tali conjunctô perfectiorem. Sed tale conjunctum attingit physicè immediatè Personalitatem Verbi se vniendo illi: ergo ea substantia vnietur naturâ suâ physicè immediatè ipsi Personæ Divinæ. Videas tuum argumentum. Cui

8. Respondetur primò. concecedo antecedens, & distinguo consequens: ergo poterit producere aliquem intellectum perfectiorem informatum etiam lumine, ac proindè positum in eodem ordine cum tali conjuncto, concedo: nec informatum lumine, nec positum in eodem ordine, nego. Vndè licèt possit Deus producere alium intellectum lumine illustratum perfectius, & perfectius vsque in infinitum illo conjunctô, non tamen intellectum non illustratum. Nàm conjunctum illud, vi luminis est elevatum ad ordinem superiorem supernaturalem. Intellectus verò est in ordine naturali infimo; & supremum infimi, non attingit infimum supremi. Sic equus, quantumcumque perficiatur, non attingit perfectionem hominis: linea, licèt crescat in immensum, non fiet superficies, nec superficies corpus, nec corpus, & si perfectissimum, æquabit perfectionem spiritûs.

9. Respondetur secundò concedo antecedens: transeat cõsequẽs, cõcedo minorẽ sublumptam, & nego cõsequentiam indè illatam. Neque ex eo, quod talis intellectus esset perfectior tali conjunctô, & huic debeatur visio, deberetur intellectui. Duplici exemplo res conspicitur. Primum sit ipsum lumen, quod imperfectius est formicâ, & illi debetur visio, non autem huic. Secundum sit: Gratia, & reliqua dona supernaturalia (vnionem hypostaticam excipio) sunt minùs perfecta Angelo, & animâ rationali, juxta Subtilem, Exim. & Acutiss. DD. quos sequitur ipse Ripalda, & tamen visio beatifica, & plures proprietates supernaturales debentur gratiæ, & lumini, quæ indebitę sunt animæ rationali, & Angelo. Quin valeat hoc argumentum: Angelus est perfectior lumine; huic debetur visio beatifica: ergo & Angelo. Ratio à priori est, quam sæpè diximus. Quià vt aliquid excedat absolutè aliud, non requiritur, quod excedat in omnibus, imò potest excedens excedi ab excesso in aliquo. Sic forma materialis excedit absolutè materiam, & tamen exceditur à materia in hoc, quod est terminare creationem. Vndè licèt ille intellectus ob alias excellentias excederet absolutè conjunctum ex intellectu, & lumine, hoc excedet talem intellectum in connaturalitate, & exigentiâ erga visionem, quâ careret talis intellectus. Nàm hic & si perfectissimus maneret in ordine naturali, supra quem est visio, taleque conjunctum in ordine supernaturali est constitutum, cui cõnaturalis est ordo similiter supernaturalis.

10. Objicies secundò: omne accidens est cōnaturale alicui subiecto; sed dona supernaturalia sunt accidentia: ergo. Probatur maior: omne accidens non est propter se, sed propter substantiam, & aliundè debet inhærere alicui substantiæ: ergo.

11. Aliqui respondent: subiectum connaturale omnium donorum supernaturalium esse compositū ex Deô, & naturâ assumptâ, cui ratione deitatis debentur, nec est Natura secundum adæquatum, quod dicit, & exigit ea. Hâc probabili solutione relictâ, communem amplectere, distinguens maiorem: omne accidens est connaturale alicui subiecto connaturalitate mutuâ, nego: connaturalitate non mutuâ, concedo. Hoc est: licèt omne accidens supernaturale exigat sibi, & determinet aliquod connaturale subiectum, & hoc sæpè sit Natura, non tamèn hoc, si sit Natura, exigit, & determinat mutuò connaturaliter illa accidentia, sed potiùs hæc illi indebita sunt, licèt illa sit ipsis debita. Vndè datur duplex connaturalitas, mutua ratione mutuæ exigentiæ, vt inter materiam, & formam, quæ ad invicem debentur, & exiguntur, & non mutua. Sic impulsus connaturaliter petit subiectum grave, hoc tamen non petit impulsum, sed potiùs est illi violentus. Error exigit intellectum, non tamèn intellectus errorem: ità licèt gratia, lumen gloriæ, visio Beatifica exigant, vt sibi connaturale subiectum, substantiā intellectualem (nequeunt enim Natura suâ esse in alio subiecto: vndè si ponerentur in lapide v. g. positio illa esset ex parte vtriusque extremi miraculosa) non tamèn exiguntur hæc omnia tanquam formę sibi debitę, & connaturales. Neque ex exigentiâ non mutuâ, debet inferri mutua. Sic vnio hypostatica exigit connaturaliter extrema vnibilia, quin aliquod extremum creatum exigat vnionem hypostaticam.

12. Objicies tertiò: optimè stat, quod lumen gloriæ sit supernaturale respectu substantiarū nunc existentium, & naturale respectu alicuius substantiæ possibilis: ergo non repugnat, quod substantijs de facto existentibus sit indebitum, & debitum substantię possibili. Probatur antecedens: non repugnat, quod aliquid sit naturale respectu substantiæ superioris, & supernaturale respectu inferioris: ergo. Probatur antecedens: non repugnat, Deū conferre Angelo inferiori cognitionē comprehensivā Angeli superioris, quę si tā perfecta, ac est ipsa cognitio, quâ Angelus superior se ipsum comprehendit; sed hæc cognitio esset naturalis respectu Angeli superioris, & supernaturalis respectu inferioris: ergo.

13. Respondetur: nego antecedens: ad probationem, nego etiam antecedens. Ad probationem, concedo maiorem, & distinguo minorem; sed hæc cognitio esset naturalis

turalis respectu Angeli superioris: si esset eadem, quâ Angelus se comprehédit, vel ei omninò similis, nego: si non esset eadem, nec similis, sed proveniens à scientia infusa vt tali, concedo. Solutioné explico, & suppono; intellectionem consistere in qualitate absoluta, posseque proindè, divinitus saltem, intellectum reddi formaliter intelligentem per intellectionem à se physicè non productam. Certum est, posse Deum conferre Angelo inferiori intellectionem, quâ Angelum superiorem comprehendat. Hæc tamèn potest esse eademmet cognitio, quâ Angelus superior se comprehendit ipsi Angelo superiori debita, vel alia omninò similis, eidem etiam per consequens debita. Et hæc nullatenùs est supernaturalis etiàm respectu Angeli inferioris, nam eô quod sit debita superiori, est debita Naturæ, & consequenter non est supernaturalis absolutè. Vel est alia omninò diversa proveniens à scientiâ per se infusa, quæ ideò esset supernaturalis, & perfectior etiam respectu Angeli superioris: nàm omnes actus scientiæ per se infusæ sunt supernaturales.

14. Objicies quartò: implicat, operationem aliquam esse connaturalem, & debitam principio *quo*, non verò principio *quod*; sed visio Beatifica est connaturalis, & debita lumini gloriæ, quæ est principium *quo*: ergo & intellectui, qui est principium *quod*. Maior probatur: quia operatio vitalis intimiùs coniungitur principio *quod*, nempè intellectui viventi, cum hoc exerceat primò, & per se, quàm principio *quo*, nempè lumini, quod vtpotè non vivens primò, & per se non exercet.

15. Argumentum probat, visionem de facto esse debitam intellectui, cum de facto exerceat primò, & per se intellectum vtpotè viventem, non autem ità lumen, cui non erit tàm intima, quàm intellectui. Supponit etiàm, lumen esse principium *quo* proximè, & adæquatè, & intellectum esse principium remotum, quod est falsum. Respondetur tamèn; transeat maior, concedo minorem, & distinguo consequens: ergo & intellectui secundùm quod est principium *quod*, concedo: secundùm quod ità non est, nego. Intellectus enìm solitariè, & secundùm se sumptus non est principium *quod* visionis; sed vt coniunctus lumini, & provt ex lumine, & intellectu resultat vnum principium adæquatum, cui absque dubio debita est visio. Quem quidem licèt non exerceat vitaliter lumen, vtpotè qualitas non vivens, exercet tamèn virtutem productivam ipsius, quidquid sit, an recipiatur etiam in ipso visio, vel vnicè in intellectu.

16. Objicies quintò: vnio hypostatica cum substantia intellectuali petit claram Dei visionem, vt sibi connaturalem, & debitam: ergo possibilis erit substantia comple-

pleta, quæ id ipsum exigat.

17. Respondetur, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia cum vnio hypostatica, nec sit Natura, nec res naturalis, in natura intellectuali potest sibi exigere vt connaturalem visionem beatificam, quin vllum irrogetur damnum supernaturalitati ipsius. Aliter se haberet respectu substantię completæ, quę cũ Natura sit nequit ipsi deberi. Neque ex eô quod vnio exigeret visionem in substantia intellectuali, sequeretur aliquid contra supernaturalitatem, nàm licèt ipsa substantia intellectualis esset Natura, hæc non exigeret visionem, sed vnio ipsi.

QVÆSTIO IV.

VTRVM INTELLECTVS creatus possit videre intuitivè Deum, eumque de facto videat?

1. PRIMA sententia, seù potius error negat: Deum posse in se ipso videri ab vllo intellectu creato humano, vel Angelico. Ità Armenij asserentes: Deum videri tantùm in quadã luce ab ipsô Deo diffusâ: id ipsum judicasse SS. Chrisost. Hieronym. Epiphan. Basilium, aliosque PP. tenet Vazq. dis. 37. cap. 2. ob hoc ab aliquibus Thomistis graviter reprehensus, satis tamen defensatus tùm ab Heric. tract. 4. de vis. d. 36. cap. 2. & 3. tùm ab Arriaga hîc d. 4. n. 10.

2. Tenendum tamen: *Intellectum creatum Angelicum & humanum posse elevari ad videndum Deum intuitivè in se ipso, & de facto esse elevatum, & eum videre.* Conclusio est de Fide: constans ex illo Ioann. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Ex illo Pauli ad Corinth. 13: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ex illo Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Probant, & comprobant conclusioné Concilium Francof. in Epist. ad Episco. Hispaniæ fine Concil. Florent. Sess. vlt. Evarist. Papa Epist. 1. Benedic. XII. in extrav. quæ incipit: *Benedictus Deus.* Sanctus August. Epist. 112. cap. 14. vbi ex professo statuit: Deum posse videri in se, & sicuti est in se.

3. Pro possibilitate talis visionis stat ratio communis, scilicèt non repugnantia ipsius, nec ex parte Dei videndi, nec ex parte intellectûs videntis, quæque enim assignetur, facilè enervatur: ergo dicendum, posse Deum elevare intellectum ad producendam in se visionem intuitivam ipsius, quâ reddatur vivens, & videns. Pro existentia talis visionis nequit vlla ratio naturalis assignari: nàm, cum sit supernaturalis, dependeatque vnicè à liberali voluntate Dei, nec vllo experimento naturali sit comperta, vnicè debemus recurrere ad revelationes, quibus satis constat de facto Beatos videre Deum non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem.

SE-

SECTIO VNICA.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

4. OBijcies primò aliquas Sacræ Scripturę authoritates. Prima deducitur ex Joan. cap. 1: *Deum nemo vidit vnquàm*. Secunda ex 1. ad Thimot. 1. vers. 17. vbi Deus dicitur *immortalis, & invisibilis*: ergo sicut est immortalis sine dispensatione, ità & invisibilis. Tertiò: ex eodem cap. 6. vers. 10. vbi de Deo dicitur: *lucem habitat inaccesibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Supra quæ verba loquutus August. Epist. 112. cap. 15. hæc habet: *Quem textum apposuit Apostolus, quià, sicut nunc non est corruptibilis, nec postea; ità non solùm nunc, sed etiam semper invisibilis*; quô præoccupat August. solutionem, quâ diceretur: verba Sacrę Scripturæ negare visionis possibilitatem in hâc vitâ mortali, & corruptibili, non verò in alia.

5. Facilè respondetur ad hæc, & alia similia verba (nè sibi contrariètur Scriptura dicenti: *Videbibimus eum sicuti est in se. Tunc autem facie ad faciem* &c.) Deum à nemine videri, seù esse invisibilem, primò: viribus Naturæ, & absque elevatione. Secundò: esse comprehensivè invisibilem. Tertiò: non videri, nec posse videri visione materiali, & corporeâ. Quartò: non videri, nec posse videri à viatoribus, visione saltem permanenti. Dico *permanenti*, eo quod fortè est verum, aliquos Sanctos vidisse Dei essentiam, transeunter tamen, vt Div. Paulum. Ignatium Parentem, Moysem, & Alios.

6. Obijcies secundò: etiam dicitur Deus *visus facie ad faciem* à Jacob. Genes. 32. à Moysi. Exod. 33. & tamen indè non sequitur, Jacobum, & Moysem intuitivè vidisse Deum: ergo neque ex eo quod dicatur à Paulo: *tunc autem facie ad faciem*, rectè inferetur, ibi homines Deum intuitivè videre.

7. In primis probabilissimum est, Jacobum, & Moysem præcipuè, vidisse Deum intuitivè, licet non permanenter, sed transeunter in hac vitâ: eritque proindè argumentum affirmatio conclusionis. Si tamen hoc ità non sit ob efficaces rationes in contrarium trahentes, Quæ obligant ad extrahenda ea verba Scripturæ à rigoroso sensu; non militant in casu conclusionis: vbi expressa Ecclesiæ definitio ea verba *facie ad faciem* vsurpat in sensu stricto, & rigoroso. Notandaque est pro re nostrâ illa contrapositio: *nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*: ex qua duo inferuntur. Primum: nunc non videri Deum clarè, & intuitivè, ac proindè ly *facie ad faciem* Exodi debere sumi latè. Secundum: tunc videri Deum clarè, & intuitivè, ac proindè ly *facie ad faciem* D. Pauli debere sumi strictè, & rigorosè.

Obij-

8. Obijcies tertiò: primâ Petri cap. 12. dicitur: *in quem desiderant Angeli prospicere.* Sequitur: ergo Deum non vident, nec respiciunt; desiderium namque non est de re possessa, sed absenti.

9. Respondetur: ibi non significari carentiam visionis intuitivę, aut absentiam Dei, sed quod, ità sit præsens, & jucunda possessio, vt vsu fastidium non pariat, itàque se habere in ordine ad hoc, ac si esset absens juxta illud Eccles. 24. *Qui edunt me, adhuc esuriunt, & qui bibunt me, adhuc sitiunt.*

10. Obijcies quartò: plures SS. PP. tùm Græcos, tùm Latinos negantes, Deum videri, aut posse videri ab intellectu creato, pręcipuè Chrysostomum, qui non semel hoc tenet, præcipuè supra visionem Isaiæ cap. 6. asserentem: *Ideò à Seraphinis velari faciem duabus alis, quià eximium Dei splendorem substinere non poterant.*

11. Ne dicas cum Vazquez SS. PP. in hoc puncto errasse, dic: ipsos loquutos vel de visione viribus Naturæ elicitâ, vel de visione corporeâ, vel denique de visione comprehensivâ: & de hâc explicat S. Thomas Chrysostomum, constatque ex eodem Chrysostomo Hom. 4. de incomprehensibili Dei Naturâ, vbi hæc habet: *Deum, nullum vidisse, Ioannes ait: vt exquisitam comprehensionem in nullo contigisse intelligas.* Vbi constat, comprehensionem excludere, non visionem.

12. Nota tamen pro hac, & similibus authoritatibus cũ P. Phasolo: *esse in vsu apud PP. vt fervore disputationis, & hæresum odio, dum eas impugnant, in aliud extremum verbis inclinare, vt ab hæreticis quantum fieri potest, dissentire videantur.* Item sæpè more sagittariorũ altiùs elevant, vt naturali descensu in præfixum scopum sagittam infigant. Sic Div. Augustinus contra Pelagium elevantem vires Naturæ contra gratiam, ità eas deprimit totum opus gratiæ tribuens, vt non nullis Doctoribus, quorum meminit ipse Augustinus epist. 46. & lib. de gratia, & liber arbitr. cap. 1. visus sit negare libertatem arbitrij. E contra verò PP. Hilar. Ambros. Chrysost. & ipse August. contra Manichæos, & Priscilianistas, totum opus gratiæ, & nil Naturæ tribuentes, ità extollunt libertatem voluntatis, & arbitrium, vt occasionem aliquam errandi Pelagio dederint, vt adnotat ipse Phasolus. Sic etiam ipse August. loquutus contra Vbicleph, & alios hæreticos tenentes, parvulos sine baptismo decedentes fruituros esse Regno Cælorum, & visione Dei, adeò in partem oppositam inclinat, vt dixerit: *in gehenna fore illos infantes æterna supplicia passuros.* Vndè ausus est Catherinus eum *tortorem puerorum appellare.* Cum certum sit contrarium: ipsos scilicèt non esse pænâ sensûs torquendos.

13. Sancti ergo PP. præcipuè Chrysostomus, impugnabant Hæreticos, Anomęos, & Beguardos, qui

qui, cum stultissimè, & imprudentissime affirmarent, Deum vt est in se posse Naturæ viribus, etiam in hac vita, comprehendi, etiam verbo videndi vtentes, contra eos idem verbum absolutè negabant; non quià negent, re ipsa Deum posse videri à Beatis; sed quià, vt benè impugnent, & in medio sistant, in extremum oppositum inclinant.

14. Obijcies quintò: Deus non solum viribus Naturę, & in hac vita, sed etiam viribus gratiæ, & in alia, non solum naturaliter, sed etiã supernaturaliter est incomprehensibilis: ergo similiter non solùm viribus Naturæ in hac vita, & naturaliter, sed etiam viribus gratiæ in alia vita, & supernaturaliter erit invisibilis. Maior namque perfectio erit infinitæ excellentiæ divinæ excedere, non solùm omnem cognitionem naturalem; sed etiam omnem, & quancumque etiam supernaturalem.

15. Ergo ob eandem maiorem excellentiam invisibilis erit etiam abstractivè Deus, cum ità superaret omnem cognitionem creatam in quacumque linea; & vniversaliter. Quà propter respondetur, concesso antecedenti, nego consequentiam, & paritatem. Nàm ad comprehensionem requiritur; quod cognoscatur quidquid formaliter, & eminenter, est in objecto ea perfectione, quâ objectum petit cognosci, vel quâ ipsum objectum se ipsum cognoscit, juxta varias opiniones, indè est quod nec viribus Naturæ, nec gratiæ, possit vlla creatura Deum comprehendere; non ità Deum non videre, quià ad ipsum intuitivè videndum, solùm requiritur, quod ipse sit visibilis, quod visio non fiat per alienas species, & quod intellectus elevetur, & confortetur per lumen gloriæ. Quod licèt fieri nequeat viribus Naturæ in hac vita, & naturaliter; fit tamen viribus gratiæ, in alia vita, & supernaturaliter.

16. Obijcies sextò: visio Dei, est visio objecti infiniti: ergo est infinita; visio infinita creata repugnat: ergo & visio Dei. Probatur prima consequentia primò: virtus productiva termini infiniti est infinita, vt constat in potentia productiva ad intra Patris erga Filium, & vtriusque erga Spiritum Sanctum: ergo virtus cognoscitiva rei infinitæ erit infinita. Probatur consequentia. nàm modus tendendi ad terminum per cognitionem, nobilior est, quàm per productionem, indèque perfectior est cognitio caloris, quàm eius productio: ergo si ad productionem termini infiniti, necessaria est infinita perfectio ex parte potentiæ productivæ, ad visionem termini infiniti, infinita perfectio debet dari ex parte potentiæ visivę.

17. Probatur secundò; quò perfectius est objectũ, eò perfectior debet esset cognitio: ergo visio objecti infinitè perfecti debet esse infinitè perfecta. Antecedens probatur: visio debet in gradu immateria-

rialitatis proportionari cum objecto (sic visio objecti spiritualis debet esset spiritualis: vndè potentia materialis nequit attingere objectum spirituale) ergo debet etiam proportionari in gradu perfectionis, ac proindè visio objecti infiniti debet esse infinita.

18. Probatur tertiò: infra visionem Dei sunt possibiles infinitæ visiones aliorum objectorum infra Deum se excedentes, quas talis visio in determinata perfectione excedat: ergo talis visio erit infinita. Probatur consequentia: visio perfectionis finitæ nequit esse perfectior infinitis visionibus se excedentibus, sicut linea finita nequit excedere in longitudine infinitas lineas inæquales.

19. Confirmatur: cognitio superans in perfectione cognitionem perfectam vt duo, debet esse perfecta saltem vt tria, & quæ superat perfectam vt tria, debet esse perfecta vt quatuor, & sic de alijs: ergo cognitio superans in perfectione cognitiones infinitas inæquales, debet esse infinitè perfecta.

20. Argumentum, eiusque probationes manifestam patitur instantiam in amore, & cognitione abstractiva Dei. Nàm cognitio abstractiva Dei (idem dic de amore) etiàm debet crescere ex objecto perfectiori, & proportionari cũ ipso, cum nec abstractivè possit potentia materialis attingere objectum spirituale, & consequenter excedit etiam infinitas cognitiones abstractivas possibiles aliorum objectorum infra Deum; & denique terminatur ad objectum infinitum: ergo debet esse infinita in perfectione, ac proindè repugnans intellectui creato, sicut potentia productiva termini infiniti debet esse infinita. Respondeat ergo Hæreticus, & ipsi respondeat Catholicus. Argumentum certò falsum, sed satis difficile.

21. Respondetur tamen: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad primam probationem, & paritatem potentiæ productivæ termini infiniti, respondet Arriaga sect. 4. à num. 21. concedendo, modum tendendi per actionem perfectiorem esse ex genere suo modô tendendi per cognitionem: vndè si esset possibilis substantia aliqua spiritualis, quæ solùm posset producere aliam substantiam sibi similem, alia verò quæ solùm posset cognoscere sibi similem, perfectiorem judicat primam, quàm secundam. Contra tamen: quià juxta Aristotelem, & Philosophos perfectior est formica sole, sed ideò hoc est, quià formica gaudet potẽtiâ vitali; sol verò potẽtiâ tantum productivâ; formica tendit vitali modô circa suum objectum; Sol verò solùm factivo, & productivo modô: ergo potentia vitalis ex genere suo perfectior est potentiâ productiva, & modus tendendi vitalis modô tendendi productivo: ergo potiori titulo modus tendendi per cognitionem spiritualem, seù intellectionem modò tendendi per productionem

nem physicam, quantò cognitio spiritualis excedit cognitionem materialem purè vitalem formicæ. Vndè potentia, seù substantia spiritualis purè cognoscitiva alterius sibi similis ex se, & secundum se perfectior esset potentiâ purè productiva: sic Angelus purè cognoscitivus alterius Angeli perfectior est igne purè productivo alterius ignis.

22. Indè secundam ipsius Arriagæ solutionem amplector, & explico. Pro quà nota, virtutem productivam, præcipuè principalem, cõtinere effectum vel formalitèr, vel virtualitèr, vel eminenter; vndè debet esse vel æquè perfecta, vel perfectior ipso effectu producendo, cum in eo consistat præcontinentia; non ità virtutem cognoscitivam, quæ, quin contineat effectum, seù sit æquè perfecta, vel perfectior objecto, potest illud attingere, sic equus & mulus videt hominem. Vndè licèt formalitèr, & cæteris paribus, perfectior sit potentia cognoscitiva potentiâ productiva, & modus tendendi vitalis modò tendendi purè effectivo, & productivo, arguitivè tamen perfectior est potentia productiva potentiâ cognoscitiva, & modus tendendi productivus modô tendendi cognoscitivo. Quà propter potentia productiva termini infiniti, necessariò debet esse infinita, eo quod contineat in sua virtute terminum; non autem virtus cognoscitiva, possitque potentia visiva finita attingere terminum infinitum. Quod vt pateat; pone duplicem virtutem, quæ contineat eundem terminum, & quæ in cæteris sint paria, ex quà vna sit purè productiva, & non cognoscitiva illius, alia verò purè cognoscitiva, & non productiva, hæc certè esset perfectior illâ.

23. Vel dic facilius, præscindendo ab hâc comparatione inter potentiam productivam, & cognoscitivam, in quô variè discurrunt DD. inter potentiam productivam principalem, adæquatam, & vnivocam requiri æqualitatem cum effectu, ac proindè nõ posse dari potentiam adæquatam, & vnivocam infiniti, quin sit infinita. Et idem dic de potentia perfectè, adæquatè, & vnivocè cognoscitiva; qualis esset vnicè cognitio comprehensiva, & ideò negamus huius possibilitatem respectu Dei in creaturis. Ast, sicut non repugnat causa productiva inadęquata æquivoca, & instrumentalis, quę non æquet in perfectione effectum, vt patet in calore respectu ignis, in formica respectu Angeli: ità nec repugnat cognitio intuitiva termini infiniti, quin sit infinita. Et ità se habet, quam concedimus de facto.

24. Ad secundam probationem respondetur, certum esse, visionem debere proportionari cum suo objecto in esse spiritualis, vndè circa objectum spirituale nequit dari visio materialis, vt constat ex tractatu nostro de anima. Item debere dari aliquam proportionem geometricam in perfectione; non tamen arit-

arithmeticam inter cognitionem, & objectum. Vndè actus non debet crescere arithmeticè in perfectione à perfectione objecti, taliter vt quò perfectius fuerit objectum in se comparatione aliorum objectorum, eò perfectior sit actus comparatione aliorum actuum, ac proindè cognitio objecti infinitè perfecti non erit infinitè perfecta, sicut nec actus charitatis terminatus ad Deum est infinitè meritorius, cum non sit infinitè intensus, nec infinitè liber. Sicut enim hic limitatur ab intensione, & potētiâ limitatâ, ità visio limitatur à lumine, & potētia finitis.

25. Ad tertiam probationem dic: excessum superioris speciei ad infinita individua speciei inferioris nō arguere infinitatem in perfectione. Sic peccatum læthale excedit in valore infinita peccata venialia, & in æstimatione infinita opera satisfactoria puræ creaturæ, quin sit infinitum: homo infinitas species possibiles infrà se, immò & quælibet creatura, cum per me, sicut non est possibilis creatura omnium perfectissima, ità nec omnium infima, quin quælibet huius excessûs vi censeatur infinita: ergo neque visio Dei vi excessûs ad infinitas visiones inferiorum objectorum erit infinita, sed altioris ordinis: aliter autem linea finita nequit esse longior lineïs inæqualibus infinitis: nàm eo ipso, quod sit finita, habet terminos determinatè designabiles. Si ergo esset longior aliâ, hæc vtique eisdem terminis circunscripta maneret, ac proindè non infinita, cum infinitum sit, quod nullis terminis circunscribitur.

26. Quod, vt melius percalleas, & quià ad plura necessarium est, nota: dupliciter excedere vnum entitatem aliam. Primò: gradualiter, per additionem nempè graduum perfectionis formaliter inclussorum in excedente, eo modo, quô calor intenditur, & vnum calidum excedit aliud, taliter, vt si entitas *A* excederet in perfectione entitates *B. C.* & *D*, quarum *B.* haberet vnicum gradum, *C.* duos, *D.* tres, ipsa haberet formaliter quatuor gradus perfectionis in se, ad modum, quô calidum *A* excedens calidum *B.* vt vnum, *C.* vt duo, *D.* vt tria, habet quatuor gradus caloris inter se distinctos, & hic dicitur excessus arithmeticus, quià excedit per varias vnitates determinatas, sicut dum excedit sex per quatuor numeros, seù vnitates, & septem per tres.

27. Secundò: per ordinem excellentiæ, & perfectionis, qui quidem excessus non consistit in eo, quod entitas excedens habeat plures gradus, seù vnitates, per quas excedat alias; sed in eo quod habeat vnam indivisibilem perfectionem nobiliorem, & in altiori ordine collocatā, ratione cuius excedat illas, non gradualiter, & quasi multis excessibus, sed vno tantum maioritatis, & excellentiæ, & hic excessus vocatur geometricus, quià est proportionis extrinsecæ, & non per

per gradus inclussos formaliter in excedente. Sic excedit homo infinitas species inferiores per indivisibilem perfectionem rationalitatis; non verò per vnam perfectionem equum, & per aliam leonem. Sic excedit visio intuitiva Dei infiitas visiones inferiorum objectorum, geometricè scilicèt, & proportionaliter, non tamen gradualiter, & consequenter; licèt sit visio objecti infiniti, non est infinita. Aliter se haberet virga excedens in longitudine infinitas virgas se excedentes, talis namque excessus esset gradualis, & extensivus ratione quantitatis habitæ, ac proindè talis virga esset necessariò infinita.

28. Replicabis: illa perfectio est infinita simpliciter, ad quam perveniri non potest per graduum additioné perfectionis in finitum; sed ità se haberet perfectio visionis terminatę ad Deum: ergo. Consequentia legitimè infertur. Minor certa videtur; nàm cum visio crescat in perfectione saltem geometricè ex perfectione objecti, & infra Deum sint possibilia infinita objecta se excedentia sine termino, quolibet assignato, possibiles quoque erunt infinitæ visiones talium objectorum se excedentes, ità, vt qualibet assignatâ, alia, & alia perfectior assignabilis sit, quin deveniatur ad aliquam æqualem visioni Dei. Maior probatur: quià si daretur aliqua virga, cui nullo modo posset Deus aliam æqualem assignare, & si adderet illi in æternum alias, & alias partes extensionis, absque dubio talis virga esset simpliciter infinita: ergo. &c.

29. Vltra evidentes retortiones faciendas in qualibet entitate, suppositâ impossibilitate creaturæ omnium infimæ: sic infra hominem sunt assignabiles infinitæ species inferiores in perfectione sine termino, quin homo sit infinitè perfectus,

30. Respondetur: distinguo maioré. illa perfectio est infinita simpliciter &c. si habeat sibi admixtam imperfectionem limitantem, nego: si illam non habeat, concedo. Cognitionem esse infinitam simpliciter est continere in linea cognitionis omnem perfectionem possibilem nullâ admixtâ imperfectione, & limitatione, qualis solùm est cognitio formaliter divina; creata verò objecti divini, & si nequeat æquarì per infinitas cognitiones objectorum inferiorum, nec gaudet omni perfectione possibili suę lineæ, & aliàs habet admixtam imperfectionem, & limitativum conceptûs creaturæ, ac proindè non est simpliciter infinita. Aliter autem virga ea inæquabilis. Nàm ad quantitatem infinitè exté sam solùm requiritur quod careat termino extensionis, aut quod terminis nõ sit circunscripta; sed ità se haberet talis virga: ergo.

31. Objicies sextò: nulla potentia elevari potest extra sphæram sui obiecti adæquati; sed Deus est extra sphæram obiecti adæquati intellectûs: ergo. Maior est certa. Minor

Minor probatur: Deus est ens supernaturale infinitum; sed ens supernaturale infinitum est extra sphæram obiecti adæquati intellectûs, intrá quam solùm est ens naturale finitum: ergo. Probatur minor: maior distantia datur inter ens supernaturale infinitum, & potentiam finitam, quàm inter Angelum, aut quodlibet ens spirituale, & potentiam materialem; sed quodlibet ens spirituale est extra sphæram potentiæ materialis saltem de facto existentis: ergo.

32. Respondetur, concedo maiorem, & nego minorem. Ad eius probationem concedo iterum maiorem, & nego minorem. Obiectum enim adæquatum intellectûs est naturale, & supernaturale, materiale, & spirituale, finitum, & infinitum, ac proindè quodcumque ex his est intra sphæram intellectûs. Nonità quodlibet ens, sivè materiale, sivè spirituale intra sphærã potentiæ materialis. Quare autem hoc ità sit, dignoscetur ex regula designandi sphæras potentiarum. Plura sunt intra sphæram potentiæ, quæ non sunt intra potentiam, imò sunt supra potentiam. Sphæra enim extẽditur ad ea, quę potest attingere potẽtia tàm viribus Naturæ, quã viribus gratię, tàm naturaliter, quàm supernaturaliter: potentia ad ea tantùm, quæ viribus Naturæ, & naturaliter. Cũ ergo plura possit attingere viribus gratiæ, & non viribus naturæ, indè est, quod sphæra potentiæ ad plura se extendat, quã potentia. Intellectus ergo creatus ex vna parte Deum naturaliter abstractivè cognoscit, & ex hac illum habet intra sphæram sui obiecti naturalis: ex alia parte modus cognoscendi intuitivè non est ab ipso intellectû alienus, cum sensibilia obiecta per proprias species, ac proindè intuitivè cognoscat. Cum ergo Deus quoad substantiam non sit extra sphæram obiecti naturalis intellectûs, nec modus cognoscendi intuitivè; licèt modus cognoscendi intuitivè Deum sit supra vires intellectûs creati, infertur, hoc non provenire ex totali deffectu, sed imbecillitate virtutis potentiæ habentis se respectu Dei instar virtutis oculorum vespertilionis respectu Solis, quâ comparatione vtitur Sanct. Thomas 1. p. quæst. 12. quam potentiam elevat, & confortat Deus per lumen, vel auxilium extrinsecum: vnde infertur, Deum esse intra sphæram adæquatam potentiæ intellectivæ.

33. Non ità ens spirituale intra sphæram potentiæ materialis; cum tale ens nec abstractivè possit attingi naturaliter ab eâ, ac proindè sit etiam quoad substantiam extra sphæram naturalem potentiæ materialis, & consequẽter extra totam latitudinem ipsius sphæræ. Hinc, licèt ens supernaturale infinitum plus distet in ratione entis à potentia finita, quàm ens spirituale finitum à potentiâ materiali, in ratione tamẽn potentiæ, & obiecti, intellectus, & intelligibilis

lis perceptivi, & perceptibilis plus distat potentia materialis ab ente supernaturali.

34. Replicabis tamèn primò ex Arriaga num. 26. non repugnat de potentiâ absolutâ intellectus aliquis potens naturaliter cognoscere Deum abstractivè, cui omninò repugnet elevari ad videndum Deū intuitivè: ergo non est recta deductio: *objectum est proportionatum quoad substantiam intellectui: ergo elevari potest ad Deum intuitivè videndum.*

35. Confirmatur ex eodem: juxta veriorem sententiam possibilis est intellectus cognoscitivus precisè hominis, & non Angeli; cum illæ cognitiones non habeant inter se essentialem connexionem: ergo similiter possibilis erit alius intellectus potens cognoscere Deum abstractivè, nullo verò modo intuitivè. Vndè regula designandi sphæram potentiarum, erit falsa.

36. Judico: repugnare intellectū potentē naturaliter cognoscere Deum abstractivè, & impotentem elevari ad videndū Deum intuitivè: sicut & intellectum potentem naturaliter cognoscere hominem & impotentem adhuc obedientialiter cognoscere Angelum: sequeretur, enim, Deum esse, & non esse intra sphæram primi intellectûs, & secundi Angelum. Sed admissâ possibilitate vtriusque intellectûs, respondetur: regulam à me designatam, nempè, potentia, quæ abstractivè, naturaliter attingit aliquod objectum, & aliàs intuitivè attingit alia, potest supernaturaliter attingere intuitivè obiectum, quod naturaliter abstractivè cognoscit; non esse ità metaphysicè, & sine vlla limitatione certam, vt infalibiliter deducatur: intellectus naturaliter abstractivè attingit Deum: ergo potest illum supernaturaliter intuitivè cognoscere. Aliàs posset evidenter naturaliter demōstrari possibilitas visionis, cum antecedens sit naturaliter evidens. Regula deservit ad probandum per modum solutionis, Deum esse intra sphæram intellectûs creati; ac proindè stante Fide docente, & dictante, Deum de facto intuitivè videri, non esse discurrendum, sicut in potentia materiali erga ens spirituale extra sphæram penitùs illius. Vndè ille intellectus attingens naturaliter abstractivè Deum, non indè esset incapax videndi illum intuitivè, quià Deus esset extra sphæram adæquatam sui, sed recurrendum ad limitationem illius, quâ limitatione caret noster intellectus. Hoc autem, quod scilicèt eâ limitatione careat noster intellectus, licèt nequeat ex principijs naturalibus positivè suaderi; nequit tamèn positivè impugnari.

37. Replicas secundò: Deus est obiectum voluntatis quoad substantiam, & tamèn voluntas nequit elevari ad eum cognoscendum, quià cognitio est modus tendendi ad obiectum diversus à modô naturali tendendi voluntatis: ergo similiter

ter nequit intellectus elevari ad videndum Deum intuitivè, quià visio intuitiva est modus tendendi alienus à modô naturali cognoscendi eum, abstractivè scilicèt, etiam si sit obiectum intellectû; quoad substantiam.

38. Respondetur, assignando maximam disparitatem inter antecedens, & consequens: voluntas nequit elevari ad cognoscendum Deum, neque intellectus ad amandum, quià licèt Deus quoad substantiam sit obiectum vtriusque potentiæ, attamèn modus attingendi, & tendendi vnius, scilicèt per amorem, est penitùs, & omninò diversus, & extraneus â modô attingendi, & tendendi alterius, scilicèt per cognitioné, & è contra, & ob hanc rationem, nec potentia visiva potest elevari ad audiendum, neque auditiva ad videndum, ast verò modus attingendi, & cognoscendi intuitivè, neque est penitùs, & omninò diversus à modô attingendi, & cognoscendi abstractivè, neque alienus â potentia intellectiva, cum hæc intuitivè naturaliter plura obiecta attingat. Cum autem hoc ità sit, deducimus, quod, licèt intellectus nequeat naturaliter attingere Deum intuitivè; potest tamèn supernaturaliter, & secundùm potentiam obedientialem.

39. Obijcies septimò: intellectus humanus est vna potentia in specie atoma: ergo eius specificativum eâdem vnitate gaudere debet; si quidem nullum specificativum communicare potest vnitatem, quam in se non habet; sed ens, seù verum in communi, prout abstrahit à naturali, & supernaturali, à Deo, & creaturis, non est vnum in specie, immò neque genericè, sed vnitate quâdam analogicâ: ergo nequit esse specificativum intellectûs; ac proindè Deus non continebitur intra sphæram adæquatam ipsius.

40. Argumentum probat primò: Deum abstractivè cognitum nõ esse objectum intellectûs. Secundò, nullum ens supernaturale posse intuitivè cognosci ab intellectu. Tertiò, nec colorem in communi esse objectum adæquatum potentiæ visivæ, cum non sit vnum vnitate specifica, sed vnitate quadam analogicâ. Idem dic de reliquis objectis potentiarum. Quartò, neque ens naturale finitum abstrahens à substantia, & accidenti esse objectum specificativum intellectûs, cum ità sit tantum juxta plures vnum vnitate analogica. Quà propter

41. Respondetur: objectum specificativum intellectûs esse ens sub ratione veri, & intelligibilis, præscindens ab omni intelligibili naturali, & supernaturali, imò reali, & rationis, sub quâ formalitate est vnum vnitate specifica per me, & vnivoca, cum defendam conceptus supra transcendentes. Imò, & si ità non sit, sed solùm vnum vnitate analogica, hæc vnitas sufficit, vt potentia intellectiva dicatur vna speci-

cifi-

efficè, seù vna species atoma comprehendens omnes modos tendendi, & attingendi objecta.

42. Obijcies octavò: æquè repugnat, extrahi potentiam à suo objecto materiali, ac extrahi à suo objecto formali, imò hoc videtur plus repugnare; sed si intellectus elevaretur ad videndum Deum intuitivè, extraheretur saltem à suo objecto formali: ergo. Probatur minor: licèt Deus cadat sub ratione objecti materialis intellectûs, hoc est, tantum mediatè ex cognitione creaturarum (movente scilicèt veritate creatâ prius cognitâ) non tamen cadit immediatè, & formaliter ratione sui sub sphæra intellectûs creati, movente scilicèt immediatè ipsâ veritate divinâ: ergo si elevaretur ad intuendum Deum immediatè in se ipso, extraheretur à sua ratione formali motivâ.

43. Respondetur, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem nego antecedens: Deus enìm non solum per visionem supernaturalem, sed per cognitionem naturalem sæpè attingitur immediatè: nàm licèt intellectus primò non feratur in Deum immediatè, sed quasi manuductus ex cognitione creaturarum; hâc tamen semel acquisitâ, ipse iam immediatè Deum attingit: vt patet, tùm in aprehensionibus, quæ sæpiùs excitantur immediatè circa Deum, tùm in judicijs affirmantibus prædicata, quæ nulli alij, nisi Deo competunt, tunc denique in amore Theologico, qui vnicè tendit in Deum, vt in objectum formale. Ratio est: quià, licèt intellectus sæpè egeat præviâ notitiâ, vt in alterius objecti cognitionem deveniat, posteà tamen independenter à prima, secundam repetit, tertiam, & alias.

44. Obijcies nonò: si talis visio esset possibilis, esset vtique intentionaliter similis objecto, nempè Deo: ergo esset infinita. Probatur consequentia: ideò comprehensio Dei esset infinita, si daretur, quià esset similis Deo; non physicè: ergo intentionaliter: similitudo ergo intentionalis Dei arguit infinitatem.

45. Respondetur: concedo antecedens, & nego consequentiã. Ad probationem assigno disparitatem. Ideò comprehensio Dei esset infinita, quià esset perfecta, adæquata, & vnivoca similitudo Dei, ac proindè realiter Deus, & consequenter non solùm esset intentionalis, sed physica similitudo Dei. Non ità visio intuitiva, quæ solùm esset purè intentionalis, & æquivocè similis Deo, eo quod ipsum repræsentet. Ad modum, quò imago picta repræsentat Cæsarem, & est similitudo ipsius, quin gaudeat æquali perfectione; & quemadmodum cognitio creata accidentalis est similitudo subjecti substantialis. Et sicut cognitio abstractiva Dei est similitudo ipsius, quin sit æquè perfecta ac ipse.

***

QVÆSTIO V.

AN INTELLECTVS CREatus poßit Deum intuitivè videre, viribus Naturæ relictus?

1. PRimus error ex diametro oppositus Armenorum errori (omnia namque extrema vitiò inevitabili laborant) asserebat: posse hominem in hac vita viribus Naturæ relictum, Deum non solùm intuitivè, verùm & comprehensivè cognoscere. Ità Hæretici Amonei, quos sequuti sunt Beguardi, & Beguinæ, de quibus in Clement: *ad nostrum de Hæreticis*, & Concilium Vienense, in quô hic error damnatus est.

2. Secundus tanquam error reputatus à Soto, Vazq. & alijs, qui fuit Duran. in 4.d.49.q.2.n.24. tenet, intellectum creatum sine lumine, aliove principio supernaturali de se aptum esse ad videndum Deum, remotis impedimentis huius vitæ, eo quod in eâ non repræsentetur Deus, vt est in se, sed tantum per creaturas, ad quod impedimentum auferendum tantùm requiritur gratia Dei; ac proindè intellectus separatus, aut angelicus, potest naturalitèr, & intuitivè videre Deum.

3. Contrarium tenendum est, tanquam de Fide certum, utpotè definitum in Concilio Vienensi sub Clemente V. vbi firmiter adstruitur, *lumen gloriæ esse simplicitèr necessarium ad videndum Deum, vt est in se*, constatque pluribus Sacræ Scripturę locis. ex Paul. ad Romanos 6. vbi: *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Ex Psalm. 83. vers. 12. vbi: *gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ex Matth. 11. *Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Ex 1. ad Timoth. 6. *Deus habitat lucem inaccessibilem, quem nullus hominum videt, sed nec videre potest*: in quibus apparet, visionem beatificam esse donum supernaturale, & gratuitum, ac proindè viribus Naturæ inassequibile. Eadem veritas etiam comprobatur omnibus eis authoritatibus, quibus dicitur, Deum esse invisibilem. Item omnibus, quibus contra Pelagianos adstruitur, naturam non posse elicere actus, prout oportet conducentes proximè ad vitam ęternam: ergo à fortiori neque ipsam visionem, in quâ vita æterna consistit. Vndè Ex. Doct. judicat, Pelagium non posse incidere in errorem Anomeorum.

4. Ratio à priori huius veritatis est, quià visio beata est actus supernaturalis quoad substantiam: ergo supra vires, & virtutem cuiuslibet intellectûs naturalis: cum ità definiatur ens supernaturale; quod autem visio sit quoad substantiam supernaturalis, probatur primò à paritate actuum Fidei, Spei, & Charitatis, qui ità sunt, quia conducunt ad vitam æternam, seù visionem: si ergo media supernaturalia sunt,

quantò magis ipse finis, & vita æterna. Secundò: à paritate gratiæ habitualis, quæ ità est, quia sanctificat, reddit hominem Filium Dei &c. sed visio beata per me est forma sanctificans, reddit hominem Filium Dei &c. ergo.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESpondetur.

5. OBjicies primò: illud Platonis assertum: *intellectus noster ità se habet circa entia simplicia, vt ea, vel exactè intelligat, vel ignoret omninò, quia indivisibile, aut totum, aut nihil tangitur*; sed Deus est simplicissimũ ens, & indivisibile, & intellectus noster illum non igorat omninò: ergo exactè illum intelligit, ac proindè clarè, & intuitivè illum cognoscit.

6. Respondetur: hoc Platonis dictum valere ad summum, quoties objectum est omninò simplex tàm realiter, quàm virtualiter. Sic cognito ente exactè, cognoscitur non repugnans existere; non tamèn quoties objectum, etsi sit realiter indivisibile, est virtualiter divisibile, & multiplex. Sic cognito animali, rationale non cognoscitur, & cognito rationali, nõ cognoscitur æternitas; sed Deus est virtualiter divisibilis, & multiplex, item multipliciter cognoscibilis: ergo etiamsi abstractivè cognoscatur ab intellectu; non tamèn necessariò cognoscitur exactè, & intuitivè.

7. Objicies secundò: quævis creatura potest naturaliter obtinere suam Beatitudinem naturalem; sed Beatitudo naturalis intellectûs creati consistit in visione Dei: ergo hanc potest naturaliter obtinere.

8. Respondetur: Beatitudinem naturalem intellectûs creati, non esse visionem intuitivã Dei, quæ est quid supernaturale, sed cognitionem, & contemplationem abstractivam Dei ex rebus creatis, & sensibilibus.

9. Objicies tertiò: nullum est visibile materiale quantumcumque perfectum, quod ab aliqua potentia materiali naturaliter perceptibile nõ sit: ergo nullum est cognoscibile, etsi perfectissimum, quod naturaliter à potentia intellectiva cognoscibile non sit: ergo & Deus à potentia intellectiva.

10. Respondetur: antecedens verum esse de visibili materiali naturali; non tamèn de visibilibus supernaturalibus, v. g. colore, luce, ac splendore corporis gloriosi, ad quæ intuitivè attingenda nulla potentia naturalis ex se est sufficiens. Idem dic de cognoscibili ordinis naturalis, & ordinis supernaturalis. Deus ut intuibilis est cognoscibile ordinis supernaturalis tantùm, ac proindè nequit ab intellectu, & si perfectissimo naturaliter cognosci.

QVÆSTIO VI.

VTRVM LVMEN GLORIÆ *sit tota ratio agendi?*

1. DARI de facto lumen gloriæ, quod quidem per modum habitûs permanentis, & intrinsecè recepti in intellectu effectivè producat visionem, certissimum judico, & supponunt communiter Theologi, licèt Vazq. dist. 43. cap. 3. & 7. asserat, ad visionem sufficere, vel solùm lumen, vel solam essentiam Divinam per modum speciei intelligibilis intellectui vnitam, proindèque alterum ex illis esse superfluum. Displicet tamen: quia licèt species, seù Essentia Divina per modum speciei determinet intellectum ad visionem, hæc est determinatio objectiva, se tenens ex parte obiecti, quæ eget determinatione formali se tenente ex parte potentiæ, & hæc provenit à lumine. Insuper Mastr. dist. 6. de visione, quæst. 3. à 2. num. 102. de mente Schoti, probabile judicat, de facto intellectū non elevari per lumen acceptum per modum habitûs, sed tantùm per modum actualis auxilij, vel intrinseci, vel se tenentis ex parte actûs primi, vel extrinseci consistentis in ipso speciali, & extraordinario concursu Dei.

2. Existentia, & necessitas talis luminis per modum habitûs permanentis cum communi DD. statuenda, & probãda est. Primò: ex communi Doctorum illam statuentium. Secundò: à paritate aliorum actuum supernaturalium Fidei, Spei, & Charitatis, qui omnes petunt in intellectu, & voluntate habitus supernaturales permanentes, quibus proportionentur potentiæ: ergo à fortiori in intellectu idem exiget visio, quæ est actus supernaturalis perfectissimus. Tertiò: quia gratia, cum sit quædam quasi natura, & anima ordinis supernaturalis intrinsecè inhærens animæ, petit potentias supernaturales sibi proportionatas ipsi subjecto inhærentes, quibus compleatur ad actus supernaturales, in quos dat jus ipsa gratia; ità se habet visio: ergo pro eâ producenda exigit gratia lumen.

3. Licèt tamèn hoc ità sit: judico cum Vazq. Arriaga, & Amic. dist. 9. Sect. 8. in Concil. Vienensi sub Clemen. V. non esse definitam existentiã talis luminis. Est contra aliquos Thomistas, & Exim. Doctorem lib. 2. de Attributis negativis cap. 14. judicantes, ibi definiri, ac proindè esse de Fide existentiam luminis, & necessitatem illius. Quia finis, & scopus Concilij solùm fuit statuere contra Beguardos, & Beguinas, intellectum non gaudere virtute naturali, & nativa advidendum Deum; sed egere ad id aliqua elevatione: vtrum autem ista elevatio sit per habitum luminis gloriæ, an per auxilium extrinsecum est extra mentem Concilij, quod errores abigere

abigere satagebat, non verò diiimere litem inter DD. Scholasticos: quibusdam tale lumen vt insupplebile adstruentibus; posse ipsum divinitus suppleri, affirmantibus alijs.

4. Munus huius luminis in intellectu non est vnicè ornare intellectum, vt tenet Mairon; neque recipere tantùm visionem, vt tenent aliqui Thomistæ cum Cayet. neque esse meram dispositionem ad recipiendam visionem, vt asserit Bañez: neque gerere munus solius speciei intelligibilis, vt defendunt Vazq. & Ovied. tract. 1. controv. 8. pun. 5. Nec denique tribuere intellectui virtutem visivam simpliciter ex parte potentiæ ad Deum videndum, vt astruunt Albarez, Joan. à S. Thom. & alij; sed requiri vt intellectum aliàs improportionatum ad actum supernaturalem, quẽ viribus proprijs, cum solo concursu generali producere nequit, proportionet conferendo ei virtutem, & concurrendo simul partialiter cum eo, non per modum principij vitatalis, sed per modum principij supernaturalis, vt ex ipso, & potentia resultet causa in actu primô completa ad vitaliter supernaturaliter operandum: est communis Nostrorum, & Schotistarum consensus. Vide Exim. lib. 2. de attributis negativis cap. 15. & Arriaga tract. de vision. dist. 7. Sect. 4. sub Sect. 3.

5. Quæstio hæc, quam inter totius Theologiæ celebriores annumerat Ripalda. tom. 1. de Ente supernaturali d. 30. quam per 25. folia integra pertractat, vtpotè quam omnes Societatis nostræ DD. vno, plenoque consensu amplectuntur, inquirit: vtrùm lumen gloriæ (idem est de reliquis habitibus supernaturalibus) sit tota ratio, seù virtus agendi visionem beatificam? Quod, & potest esse controversia de re, & de nomine. De re erit, si concedatur, vel negetur intellectui influxus immediatus, partialis tamen in visionem beatam, ità vt ex ipso intellectu, & lumine resultet, vel non resultet vna adæquata causa visionis. De nomine erit, dicere ex vna parte, intellectum verè, realiter, & immediatè iufluere partialiter cum lumine in visionem, & ex alia asserere, lumen esse totam rationem agendi. Vel quià lumen est tota forma, seù virtus complens, & perficiens potentiam vitalem, vt tenet Lorc. d. 31. memb. 1. vel est tota virtus elevans potentiam, vt Mag. Lumb. tract. de vis. q. 9. n. 439. vel quià est tota mensura intensionis, & perfectionis actûs; vt Curiel 1. 2. q. 5. à 5.

6. Vt autem vocibus non laboremus; scias Societatis Theologos nunquam negare, lumen, seù habitum supernaturalem esse virtutem, tùm cõplentem, tùm elevantem potentias ad actus supernaturales, & licèt non omnes, plures tamen asserere, esse virtutem metientem intentionem, & perfectionem actûs. Vndè hi DD. nobis non opponantur.

 tur.

tur, cùm id ipsum; quod nos, concedant. Exorbitant tamen ab intento quæstionis: nàm hoc supponitur, & quod inquiritur, est: an potentiæ immediatè influant in actus supernaturales, efficiendo simul cum habitibus supernaturalibus vnum adequatum principium actûs, ad modum quô ex specie impressa superveniente potentiæ vitali, & ex ipsa potentia vitali resultat vnum principium adæquatum actûs vitalis per influxum immediatum tam speciei, quàm potentiæ? Vel an ità se habeant, vt adæquatus, & immediatus influxus proveniat vnicè ab habitibus: & potentiæ tantùm sint causæ mediatæ, radicales, & denominativæ, eô scilicèt, quod in se recipiāt illos habitus. Ad modum, quô (supposito quod substantię non influant immediatè in accidentia, vel anima in actus vitales juxta sententiam Thomisticam distinguentem potentias ab anima) ignis dicitur producere calorem in ligno, vel anima intellectionem eô vnicè, quod ignis recipiat in se proprium calorem producentem calorem ligni, & anima intellectum producentem intellectionem.

7. Et vt res clariùs perspiciatur, nota, dupliciter posse aliquid esse principium *quo*, seù virtutem agendi respectu alicuius principij *quod*: & hoc etiam dupliciter posse se habere respectu principij *quo*. Primò: si principium *quo* ità se habeat, vt simul sit principium *quod* formaliter, & adæquatè influat, habente se principio *quod* merè denominativè, & radicaliter, ità vt nil agit, nisi & recipere denominationem, & substentare principium *quo*. Et ità se habet aqua calida respectu caloris in manu producti, in quem ipsa aqua non influit, sed vnicè calor in ipsa receptus, dicitur tamen aqua calefaciens, quià calorem recipit, & substentat. Secundò: si principium *quo* ità se habeat, vt ipsum adæquatè non influat, sed ex ipso, & ex alia formalitate, vel comparte resultet principium *quod* formaliter, & immediatè influens in terminum productum. Sic se habet intellectus respectu speciei impressæ. Nàm intellectus ità est principium *quo* intellectionis, vt species impressa non solùm denominativè, sed propriè, & formaliter influat.

8. Quod inquirit præsens quæstio est: an lumen gloriæ respectu visionis beatificæ se habeat sicut calor in aqua respectu caloris producti in manu: ac proindè sicut calor ità est virtus agendi, & principium *quo*, vt aqua nil agat, sed solùm denominetur *agens* ob receptionem caloris; ità intellectus nil agat in visionem, sed solùm denominetur agens ob receptionem luminis, quod ità sit principium *quò*, vt simul sit principium *quod* formaliter, & adæquatè agens? vel sicut intellectus respectu cognitionis; eo, quod sicut intellectus, ità est principium *quo*, vt non sit simul adæquatum principium *quod*, sed ex ipso, & specie resultat: ità lumen non sit simul

adæquatum principium *quod* formale respectu visionis, sed licèt sit elevans, imô & adæquatè elevans, ex ipso lumine, & intellectu resultet principium *quod* formaliter, & immediatè influens in visionem.

9. Prima ergo sententia tenet: intellectum nec partialiter influere in visionem, sed lumen esse totam, & adæquatam immediatam virtutem agendi visionem (idem censent de omni habitu supernaturali) eo modo, quô calor est tota virtus calefaciendi in igne. Pro hac citat Ripalda Soto, Albar. Cabrera, & Nasarium, & Mastrium, Joann. à S. Thom. Salmaticenses, & recentiores Thomistas, qui mordícùs tenere, dicit, intellectum non concurrere ad visionem, neque vt causam totalem, aut partialem: ità loco iam citando. num. 132. Solent etiam citari Thomistæ, sed ipsos pro contraria sententia stare, & in puncto de re, concedere potentijs immediatum partialem influxum in visionem asserit Lumb. vbi supra num. 436. & Mag. Gonet. d. 3. de vis. num. 45. tanquam certum supponit, intellectum lumine gloriæ elevatum no se habere merè passivè, sed activè influere in visionem. Immò & num. 47. tenet, non solùm instrumentaliter, verùm & principaliter efficienter eam producere; quam opinionem, & D. Thomæ, & omnium Thomistarum esse, asserit. Quod certè est, quid amplius, quàm nos, concedere: nos enim solùm influxum instrumentalem concedimus intellectui, ipsi verò principalem. Sed cuiusque sit hæc opinio; miror tamen Gonetum (aliàs non tardioris, aut impeditioris linguæ) videntem, suos citari pro contraria sententia, tàm apud nostros, quàm apud exteros, ità pariter obmutescere, nec verbum quidem pro eorum defensatu evomere.

10. Secunda & nostra tenet: *lumen gloriæ non esse totam rationem agendi, sed ex ipso, & intellectu resultare vnum principium adæquatum visionis*. Ità omnes nostri DD. quos citat, & sequitur Ripalda vbi supra num. 8. Ex Schotistis plures, quos citat. num. 99. Ex Thomistis num. 101. Ex Controversistis num. 103.

11. Probatur vniversaliter: potentiæ creatæ vitales influunt partialiter propriè, & immediatè in actus vitales supernaturales: ergò & intellectus in visionem beatificam. Consequenterque (ni quæstio reducatur ad voces) lumen gloriæ non est tota ratio agendi. Probatur antecedens primò ex D. Paulo 1. Corinth. 15. vbi de se: *Abundantius omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Quod accepit Apostolus ex illo sapientiæ: *Mitte illam (id est gratiam) de Cælis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret*. Et vtroque textu fundatur Trident. contra Luter. & Calv. Sess. 6. Can. 5. dicens; *Hominem gratiæ excitanti, atque adiuvanti liberè assentiendo, & cooperando disponi, ità vt tangente Deo cor hominis per Spiritùs Sancti illuminationem* &c.

Ex

Ex quô sic arguo: ergo voluntas verè, & formaliter operatur: nàm si ipsa nil operaretur immediatè, & formaliter, nec laboraret Paulus simul cum gratia, nec cooperaretur ipsi, nec ipsa gratia diceretur adjuvans. Cooperari enìm est cum alio operari. Adjuvare vnum alium, est vtrumque agere. Laborare cũ alio, est vnũ,& alterũ laborare. Audiatur super ea verba Apostoli Interpres August. Serm. 13. de verb. Apost. c. 11. *Ipsũ nomẽ adjutoris præscribit tibi, quod & tu aliquid agis. Si non esses operator, ille non esset cooperator.* Et postea: *non enim adjutor est ille, si nihil agis. Non enìm cooperator est ille, si nihil operamini.* Quid clariùs pro conclusione?

12. Probatur secundò idem antecedens ex damnatione Concilij Zenonensis, quod habetur 4. tit. Concilij pagin. *mihi* 141. in prolog. col. 2. contra Luther. quæ ità se habet: *In errorem Manichæi Lutherus incidit, dum nimis anxiè, & scrupulosè devitat Pelagium. Metuens namque liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne opus bonum, quod est in homine, Deo tribuit, & divinæ gratiæ, nilque prorsùs libero arbitrio. Sicque tollens omninò liberũ arbitriũ, Lutherus factus est Manichæus, dũ refugit esse Pelagius. Debuerat certè Lutherus ex Apostolo nosse, ità necessariam esse divinam gratiam ad benè operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat.* Ex quibus verbis hoc eficacissimum argumentum eformo: Pelagius totum, & adæquatum concursum in opus salutare conferebat voluntati, Manichæus è contra, totum, & adæquatum gratiæ conferebat: & quià Lutherus ex vno extremo in alium incidit, damnatur: ergo sententia Catholica, quà tutissimus ibis, est media inter ea extrema vitiosa; sed sententia media (vt ipsum Concilium exprimit) est ità conferre influxum gratiæ, & intellectui, vt in vtroque divisim sit inadæquatus, & ex vtroque conjunctim adæquatus resultet: ergo Sanctum, & Catholicum est, potentijs concedere formalem, & immediatum influxum in actus salutares.

13. Nec dicas: hos Hæreticos damnari eo, quod negarent concursum mediatum voluntati, eamque operari saltem *vt quod*. Nàm contra erit primò: quià Hæreticus non negat absolutè voluntatem agere remotè, mediatè, & denominativè, vt cõstat ex verbis Calvini apud Camerarium de lib. arbitr. cap. 5. lib. 10. §. 2. vbi sic loquitur: *non hoc quæritur; agat nè voluntas? quod extra dubium est: sed agat nè à se ipsa, an pro modo divinæ actionis?* En concedit voluntati agere. Sed clariùs cap. 9. vbi: *hominem sic docemus agẽ Dei gratià, vt & simul agat. Sic tamen ipsum agere, vt penès Dei spiritum tota sit, ac maneat actionis efficacia.* En quô modo agat voluntas juxta Calvinum, sed quià *remotè tantùm, mediatè, & vt quod* ab Ecclesiâ damnatur.

14. Contra secundò: quià si

vo-

voluntas mediatè, denominative, & vt quod solùm efficeret opus salutare, nullatenus diceretur à Concilijs & Augustino aliquid agere, sed totum. Nàm quoties aliquod subjectum denominatur agens ratione alicuius formæ, quam in se habet, non dicitur aliquid agere sed totum. Sic aer non dicitur illuminare partialiter, nec aqua calida agere aliquid caloris, quià videlicet aer illuminat media luce in se recepta, quæ totaliter causat illuminationem, & aqua calefacit medio calore in se recepto, qui est causa adæquata calefactionis. Ratio est, quià eo modo, quô agens proximum, immediatum, & formale producit aliquem effectum, eo modo dicitur illum producere, agens remotum, mediatũ, & denominativum: ergo.

15. Contra tertiò: quià in Psalm. 78. dicitur, Deum voluntatem adjuvare; *Ajuva nos Deus salutaris noster*. Sed causa remota mediata, & denominativa, nullatenus adjuvatur à proxima formali, & immediata. Si enìm nihil influit quomodô adiuvatur vt influat? Si pondus non elevat, quomodò adjuvatur vt elevet? Si illuminationem non causat, quomodò adjuvatur vt causet? Solùm namque substentat gratiam, ad substentationem enìm non adjuvatur à gratia, cum potius ipsa substentetur. Quod totum prædicat August. tract. 4. in Epist. Joannis ità: *Si dicis: adjutor meus esto, aliquid agis: nàm si nil agis, quomodò ille adjuvat.*

16. Probatur tertiò in actibus voluntatis, charitatis v. g. Actus charitatis est formaliter, & immediatè liber: ergo provenit à principio formaliter, & immediatè libero. Nàm ideò actus intellectûs non est formaliter, & immediatè liber, quià provenit ab intellectu, qui non est potentia proximè, & formaliter libera; sed solùm voluntas, & non habitus est potentia formaliter, & immediatè libera: ergo. Minor probatur primò: nàm si habitus esset formaliter, & immediatè potẽtia libera, esset voluntas formaliter, cum nil aliud sit voluntas. Vndè iam in Christo darẽtur tot voluntates, quot habitus, contra Concilia definientia, duas tantum voluntates in eo. Secundò: potentia libera debet esse ad opposita: ergo habitus charitatis ad amorem, & odium, quod est evidenter falsum.

17. Confirmatur: actus liber, & meritorius debet esse voluntarius respectu principij merentis, & libere operantis: ergo ab hoc debet physicè immediatè produci; actus namque voluntarius est à principio intrinseco, ità vt principium intrinsecum, à quò est, sit ipsamet potentia, respectu cuius voluntarius dicitur. Hac ratione probat cum S. Thoma communis Theologorum consensus, actum charitatis fieri non posse solùm ab Spiritu Sancto, taliter vt solùm recipiatur in voluntate: quià sequeretur, talem actum non esse voluntarium.

18. Probatur quartò ex vita-

litate actuum. Nàm licèt possit divinitùs intellectus, & voluntas vivere per actus à se physicè non productos, vt docui in libris de Anima, ponens intellectionem in qualitate absolutâ, attamen naturaliter loquendo intellectiones,& volitiones, per quas vivimus, debent effici à principijs viventibus per ipsas; sed intellectus, & voluntas vivunt per actus supernaturales: ergo ab ipsis debent physicè immediatè produci, cũ necessum non sit ad miracula recurrere. Ex quibus omnibus infertur vniversaliter, habitus supernaturales non esse totá rationé agendi, sed ex ipsis, & potentijs naturalibus conflari vnum principium adęquatum actuum supernaturalium, ità vt neque habitus sine potentia, neque potentia sine habitu possint eos immediatè, & formaliter efficere. Et exindè particulariter ad punctum præsens: lumen gloriæ non esse totam rationem agendi visionem beatificam.

19. Dico secundò: *adhuc stando intelligentiæ Thomisticæ, lumen gloriæ non est tota ratio agendi.* Probatur: esse totam rationem agendi significat, vel esse lumen totam formam, seù virtutem complentem intellectum in esse principij, & causæ visionis, vt tenent plures cum Lorc. vel esse totam virtutem elevantem, vt alij asserùnt cum Lumb. vel denique esse totam mensuram intensionis, & perfectionis actûs, vt aliqui defendunt cum Curiel; sed licèt lumen sit virtus complens intellectum in ratione principij, seù causæ visionis, etiam intellectus est virtus complens lumẽ in ratione principij, & causæ eiusdem visionis; cum tàm lumen, quàm intellectus sint causæ partiales ad invicem se complentes in ordine ad constituendum vnum principium adæquatum productivum visionis. Item; sed sicut lumen elevat intellectũ in esse supernaturali, quod illi deficit respectu visionis, ità & intellectus elevat lumen in esse vitali, quod illi similiter deficit respectu eiusdẽ: cum per nos tàm lumen, quàm intellectus sint causæ instrumentales respectu visionis; intellectus, quià improportionatus defectu virtutis connaturalis; lumen, quià improportionatum defectu æqualis perfectionis. Denique; sed lumen non est tota mensura intensionis, & perfectionis actûs, cum visio ab intellectu perfectionem, & à perfectiori intellectu maiorem perfectionem accipiat, vt posteà videbimus: ergo adhuc in acceptione Thomistica lumen non est tota ratio agendi, cum intellectus etiam conceptum rationis agendi participet. Immò, & in sententia Arriagæ, quam Philosophus amplector, nec totum complexum ex intellectu, & lumine est tota ratio agendi, cum adhuc complexum egeat elevatione, sitque causa instrumentalis respectu visionis, in quâ per identitatem stant perfectiones vitalitatis, & supernaturalitatis, in complexo verò solum

lùm per vnionem : vndè non evadit æquè perfectum respectu visionis, ac proindè nec proportionatum.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESpondetur.

20. OBjicies primò : illud Div. Pauli ad Romanos 9. *igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Vbi Apostolus excludit concursum voluntatis, tàm totalem, quàm partialem. Nàm si voluntas concurreret, posset etiam dici : *non est Dei miserentis, sed volentis, & currentis.* Probatur : Ideò dicitur *non est volentis &c.* quia voluntas sine gratia producere nequit actus salutares; sed similiter gratia sine voluntate eosdem producere non potest, si ad eos partialiter concurreret voluntas: ergo. Secundò: ab eodé Apost. cap. 8. ejusdem Epistolæ dicitur: *quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*; sed si homines influerent immediatè, non dicerentur, agi, sed agere eodem modo, ac in actibus naturalibus : ergo. His adde plures SS. Patrum authoritates, quæ salutis opus non divisim, sed integrè gratiæ tribuunt. Audiatur vnus August. in Enchir. super ea verba Apost. *restat, vt propterea dictum intelligatur. non est volentis, &c. vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam. & adjuvat præparandam.*

21. Suspectum sibi habet hoc argumentum, & meritò, Ripalda n. 108. quia eodem ferè vtitur contra doctrinam catholicam pro sua hæretica Calvin. apud Stapleton. in Anthidoto ad Romanos 9. Ad Divi Pauli authoritatem varias exhibent interpretationes DD. Primò : ideò dicitur, *non est volentis &c.* non quià voluntas non influat physicè immediatè in actus salutares, sed quià Deus vltra illum concursum specialem medio habitu supernaturali, habet alium concursum moralem mediâ gratiâ, & auxilio efficaci prævenientе, quod Deus tribuit omninò liberaliter voluntati, eô quod viderit, illo se determinaturam ad operandum. Ratione ergo huius auxilij, quod nullatenus est in potestate voluntatis, sine quo nequiret hæc, saltem moraliter, bonum opus efficere, & quod Deus tribuit, cui miseretur, dicitur : *non est volentis,* (verba sunt Augustini interpretis quæst. 2. ad Simplician. circa medium) *sed miserentis est Dei; quia eorum miseretur, quos ità vocat, quomodo eis vocari aptum est, vt sequantur.* Quod iterùm constat ex verbis oppositis eiusdem Augustini, ità : *Vt totum Deo detur, qui bonam voluntatem, & præparat adjuvandam.* Hoc ideò totũ Deo datur, quia præparat, seù prævenit voluntatem. Non quia volũtas nil operetur. Aliàs illam Deus non adjuva-

juvaret. Nàm juxta ipsum August. supra: *si nil agis, quomodo ille adjuvat?*

22. Secundò dicitur: *non est volentis, sed miserentis.* Juxta modum loquendi Hæbreorum. Hi enim, teste Cornelio, quandò prælativè vnum comparant alteri, non vtuntur *magis*, & *minus*; sed extremum, quod præferunt, affirmant, & quod postponunt, negant. Sic illud Mathæi 15. *Misericordiam volo, & non sacrificium,* id est: magis volo misericordiam, quàm sacrificium. Rursùs illud Math. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hoc est, Apostoli verè loquuntur, sed quià in eorum loquutione præcipuam partem habet Spiritûs Sancti motio. Cum ergo licèt in opera superna influant potentiæ vitales, præcipuus, & principalis influxus sit penès gratiam, & Deum miserentem, negatur pars volentis, & affirmatur miserentis.

23. Ad secundam Divi Pauli authoritatem dico, ideò filij dicuntur agi, non quia ipsi non agant, sed quia Spiritûs Sancti gratiâ moventur, & impelluntur, vt agant. Audi Augustinum sibi objicientem, & enervantem argumentum sermone 13. longe post medium: *Dicit mihi aliquis: ergo agimur, non agimus: imò agis, & ageris, & tunc benè agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quod & tu aliquid agis.*

24. Ad SS. Patrum authoritates dic primò: eos loquutos contra Semipelagianos, qui ità dividebant opus salutare inter Deum, & hominem, vt incipere tribuerent homini secundum se, & Naturæ; perficere verò Deo. Vndè sensus SS. PP. est: tota operatio tribuenda Deo, id est, non solùm concurrit Deus ad perficere, sed etiam ad incipere. Vndè ad totum concurrit, non tamen totaliter. Secundò: opus soli gratiæ tribuitur, quià in agendo opere primatum, ac principatum tenet. Tertiò: ideò totum Dei esse dicitur, quià & ipsum velle, & agere nostrum, quô Deo operanti cooperamur, Dei esse verè dicitur per gratiam prævenientem. Vndè & partialis influxus voluntatis in Deũ tribuitur, quià vt intellectu immediatè operemur, inducimur à Deo per gratiam vocantem, & prævenientem. Pro authorandis his omnibus intelligentijs vide Ripalda, & vt concludam: *ità intelligenda sunt dicta divina* (verba sunt Anselm. L. de Concor. prædestinationis, & gratiæ cum libero arbitrio) *vt neque sola gratia, neque solùm liberum arbitrium salutem hominis operetur.*

25. Objicies secundò: si homo efficeret suam visionem beatificam, ipse se beatificaret; hoc dissonat: ergo.

26. Respondetur distinguendo maiorem: ipse se beatificaret objecti-

jectivè, nego: formaliter effectivè, subdist. proprijs viribus, nego: viribus gratiæ, & à lumine elevatus, concedo; in quô nulla resonat dissonantia. Sic aliquis se sanctificat juxta illud Joan. 3. *Omnis, qui habet hanc spem in eo, se sanctificat.* Id est, producit in se dispositionem ad justificationem: ergo, & se beatificabit, id est, producet suam beatificationem.

27. Objicies tertiò: si quis influeret in actus supernaturales, efficeret suam discretionem ab injusto. Vndè se ipsum discerneret contra illud D.Pauli 1.Chorint.4. *Quis enìm te discernit?*

28. Respondetur, dari discretionem in actu primo, & discretionem in actu secundo. Illa stat in auxilijs gratię prævenientis, & inducentibus hominem ad conversionem, quâ discernitur: & cum hæc auxilia sint omninò gratiosa, & in ea locum non habeat arbitrium hominis, vnicè à Deo discernitur in actu primo. Discretio in actu secundo consistit in ipsomet actu, quô discernimur. Cum autem hic liberè ponatur à voluntate partialiter influente, potest dici, hominem se ipsum discernere in actu secundo, cum efficiat formam discernentem. Neque ex eo, quod Paulus hic loquatur etiam de discretione in actu secundo, eamque Deo tribuat juxta illud: *Quid habes, quod non accepisti?* aliquid in contrarium sequitur. Nàm solus Deus dicitur discernere tanquam causa primaria, & principalis discretionis, non tanquam causa adæquata.

29. Objicies quartò: actus supernaturalis, nequit fieri per virtutem naturalem; sed si potentiæ influerent immediatè in actus supernaturales, fierent per virtutem naturalem: nàm activitas identificata Naturæ, naturalis est: ergo nequit potentijs inesse virtus, & activitas immediata in actus supernaturales.

30. Respondetur, distinguo maioré: actus supernaturalis nequit fieri per virtutem naturalem, prout virtus naturalis distinguitur à supernaturali, nego: prout distinguitur ab obedientiali indigente, & connotante principium supernaturale, & indebitum, concedo. Virtus naturalis, quæ nequit producere actus supernaturales, est virtus naturalis prout condistincta ab obedientiali. Nàm virtus adhuc partialis potentiæ naturalis ad actus supernaturales indiget principijs supernaturalibus sibi indebitis, quæ obedientialis est; non verò virtus naturalis prout naturale distinguitur ab intrinsecè supernaturali, nàm potentia obedientialis, cum identificetur Naturæ, nequit esse intrinsecè supernaturalis. Error ergo Pelagianorum stabat in eo, quod assererent, actus supernaturales fieri à virtute naturali, prout virtus naturalis à supernaturali, & obedientiali distinguitur, quæ cursu graduali, ac comprincipijs intrinsecè naturalibus, ac sibi debitis ad agendum sufficiat. Stet ergo activitatem

tatem concessam Naturæ à Pelagio esse omninò naturalem, ità vt solo concursu naturali,& sibi debito possit in actum supernaturalem exire: at verò activitas à nobis concessa taliter est,vt connotet comprincipia supernaturalia, egeatque concursu indebito, vt in actum supernaturalem erumpat.Ex quô sequitur, actus supernaturales esse supra vires Naturæ; & contra Pelagium, non posse naturâ propijs viribus relictâ actus salutares efficere. Sic juxta omnes potentia passiva, receptiva scilicèt actuum supernaturalium est indistincta à Natura, & tamen non dicitur omninò naturalis, sed obedientialis, eo, quod nequeat in actum reduci absque actione supernaturali sibi indebita. Vel, vt clarioribus verbis loquar, dic potentiam naturalem posse producere actus supernaturales, non tamen naturaliter, sed obedientialiter, vel supernaturaliter: hoc est,non viribus Naturę, sed viribus gratiæ.

31. Replicabis: non solùm Pelagius tribuens totum opus salutare Naturæ, verùm & Semipelagiani dividentes illud inter naturam, & gratiam; & partem Naturæ, partem gratiæ tribuentes, damnantur: ergo non solùm totaliter, verùm nec partialiter concurrit Natura, seù potentia naturalis ad opus supernaturale.

32. Pro solutione nota; causam partialem posse esse partialem, tàm partialitate causæ, quàm partialitate effectûs, vel posse esse partialem solùm partialitate causæ, & totalem totalitate effectûs. Primò modo se habet causa, quandò nequit se solâ effectum producere,sed aliâ indiget, ità tamē vt cuicumque, & suis viribus correspondeat pars effectûs. Sic se habent juxta aliquos duo homines sublevantes eundem lapidem, quem quisque sublevare non poterat, nàm cum effectus sit divisibilis, vnicuique correspondet sua pars oneris, quæ alteri non correspondet. Secundo modo se habet, quandò, licèt non possit producere effectum sine aliâ concausâ, concurrit tamen cum illa per eundem indivisibilem concursum, ità vt quilibet ex illis totum effectum tangat, totumque realiter correspondeat indivisibiliter vtrique. Semipelagiani ità dividebant opus salutare inter naturam, & gratiam, vt eas assererēt causas partiales,partialitate tā causæ, quàm partialitate effectûs: dividebant enim opus illud in *incipere*, & *perficere*. v. g. in *velle*, & *credere*. *Incipere*, & *velle* viribus Naturæ adæquatè tribuebant. *Perficere*, & *credere* gratiæ. Et hic erat ipsorum error, quem nos omninò subterfugimus asserentes, naturam, & gratiam, esse causas partiales partialitate causæ, & totalitate effectûs, nàm vtraque totum effectum tangit, tàm incipere, quàm credere, quin aliquid correspondeat solis Naturæ viribus.

33. Objicies quintò: si natura simul cum habitu supernaturali produceret immediatè visionem bea-

beatificam, hæc non esset supernaturalis, sed naturalis. Nàm sicut conclusio sequitur debiliorem partem, ità effectus debilius principium.

34. Respondetur, nego sequel. & eius probationem. Nec enim conclusio sequitur debiliorem partem in omnibus, sed solùm in veritate, fallitate, & contingentia. Sic tractatu de Procemial. defendimus, à duplici premisâ vnâ naturali, & aliâ supernaturali posse oriri conclusionem supernaturalem. Nec effectus sequitur debilius principium. Sic ab intellectu vivente, & specie impressâ non vivente oritur actus; vitalis ab intellectu spirituali, & à phantasmate materiali intellectio spiritualis: ergo.

35. Obijcies sextò: visio beatifica est premium; sed premium non fit à merente, sed à premiante: ergo.

36. Respondetur, distinguendo minorem: si premium cõsistat in actione, vel quasi actione, nego: si ità non consistat, concedo. Sic in creatis excercere aliquod munus regale, & servire Regi in tali, vel tali officio consistunt in actione, & sunt premia.

37 Obijcies septimò: Natura rationalis non operatur actum supernaturalem, nisi vt elevata: ergo habitus elevans est tota ratio operandi.

38. Respondetur, distinguo antecedens: ità vt ly *vt* denotet virtutem adæquatam, nego: ità vt denotet virtutem inadæquatam, & necessitatem virtutis elevantis, concedo. Reduplicatio sæpè denotat puram conditionem, vt in hac propositione: *ignis vt approximatus calefacit*. Et sæpè principium inadæquatum, vt in hac: *Intellectus vt illustratus spetie impressà, elicit cognitionem*. Ità se habet reduplicatio posita in argumento.

39. Obijcies octavò: Natura causæ partialis est, vt si augeatur augmento eiusdem rationis cum ipsâ, fiat totalis; vt constat in luminoso vt duo, cui, si addatur aliud simile, fit causa totalis luminosi vt quatuor; sed quâvis augeatur virtus potentiæ intellectivę augmento eiusdem rationis cum ipsâ, nunquam fit causa totalis visionis: ergo intellectus non est causa partialis illius.

40. Respondetur: distinguo antecendens: natura causæ partialis eiusdem rationis, & ordinis inter se cum alia partiali, & quæ concurrunt ob vnam eandem rationem in effectu inventam, concedo: causæ partialis diversæ rationis, & ordinis cũ alia partiali, & quæ cõcurrunt ob plures, & diversas rationes in effectu inventas, nego. Primo modo se habent duæ candeię, duo trahentes navim, vel sublevantes lapidem; secundo modo intellectus, & lumen; ille ratione vitalitatis; hoc ratione supernaturalitatis visionis concurrentes ad ipsam. Ità se habet intellectus, & species v. g. quantumvis enìm augeatur claritas, intellectus non evadet causa totalis cognitionis

nis, idem erit de ſpecie. Sicut ergo ex vtroque reſultat neceſſarium heterogeneè vnum principium cognitionis, ità ex intellectu, & lumine vnum principium viſionis.

41. Obijcies nonò: ergo habitus eſſet magis ſupernaturalis, quã actus. Probatur conſequentia: habitus fit adæquatè à principio ſupernaturali, & viribus ſupernaturalibus: actus verò non fit adæquatè à principio ſupernaturali, ſed præſertim viribus naturalibus: ergo.

42. Aliqui, inter quos Bañez, primam conſequentiam admittunt. Punctum eſt de nomine. Negata tamen conſequentia, ex probatione non infertur; nàm ex eo, quod habitus proveniat à principio ſupernaturali, non ità actus, non infertur exceſſus in ſupernaturalitate. Sicut ex eo quod amor proveniat vnicè à principio vitali, nempè voluntate, & intellectio à vitali, & non vitali, nempè intellectione, & ſpecie impreſſa, non ſequitur, amorem eſſe magis vitalem, quàm intellectionem. Ratio eſt, quià vitalitas actûs ſupernaturalis non minuit ſupernaturalitatem ipſius, & cum hæc in indiviſibili conſiſtat, tàm ſupernaturalis eſt, quàm habitus. Neque ex eo quod principium actuum ſit miſtum ex naturali, & ſupernaturali, ſequitur, actum eſſe ſimiliter miſtum. Nàm miſtura principij in actibus non relucet. Sic principium eſt miſtum ex vitali, ſcilicèt intellectu, & non vitali, ſcilicèt habitu, & tamen viſio beatifica v. g. eſt adæquatè vitalis.

43. Obijcies decimò: intellectus, nec ad vitalitatem, nec ad ſupernaturalitatem viſionis concurrit: ergo. Probatur antecedens quoad primam partem: vitalitas eſt ſupernaturalis: ergo à lumine ſufficienter producitur, quin alia concauſa ſit neceſſaria. Probatur quoad ſecundã: nulla entitas formaliter naturalis aliquid ſupernaturale poteſt attingere: ergo.

44. Retorquetur, lumen nec concurrit ad ſupernaturalitatem viſionis, nec ad vitalitatem. Non ad ſupernaturalitatem, quià hęc eſt vitalis; non ad vitalitatem, quià hæc ſufficienter producitur ab intellectu: ergo. Reſpondetur, quod cum vitalitas, & ſupernaturalitas viſionis, realiter identificentur, & actiones phyſicę non ſint præciſivæ, & intellectus producit vtramque formalitatem, & lumen ſimiliter, quin poſſit lumen ſolùm, nec ſolus intellectus vtramque efficere, ſed vtrumque principium partialitate cauſæ, & totalitate effectûs viſionem producit, formaliter tamen in viſione duplicem dividimus formalitatem, & vitalitatem, & ſupernaturalitatem, è quibus vitalitatem dicimus correſpondere intellectui, & ſupernaturalitatem lumini.

45. Obijcies vndecimò: omnis virtus incompleta, quà talis, exigit ſuum complementum: ergo ſi intellectus eſſet virtus partialis, ac proindè incompleta erga viſionem,

nem, exigeret suum complementum; sed hoc est lumen: ergo hoc exigeret. insuper: omnis virtus, etsi incompleta, inclinat in actum, respectu cuius est virtus: ergo illi debetur complementũ. Deus enim vt Author naturæ tenetur providere agẽtibus naturalibus ea omnia, quę necessaria sunt ad producendos affectus, ad quos inclinat. Ex quô sequeretur, lumen esse debitum naturæ contra eius supernaturalitaté.

46. Respondetur, virtutem incompletam omninò naturalem, & provt obedientiali contrapositam exigere suum complementum, & inclinare in actus; at verò obedientialis, nec exigere comprincipium, neque in actus inclinare, cum comprincipia ad illos sint omninò indebita. Est enim talis virtus dicenda potiùs non repugnantia, quàm potentia. Et sicut potentiæ obedientiali passivæ, nec debetur comprincipium activum requisitum ad receptionem, nec propendet in effectus vt receptibiles, ità &c.

47. Objicies duodecimò: ergo intellectus nõ elevatur à lumine pro visione producenda. Probatur consequentia primò: intellectus est virtus partialis illius; sed nil potest elevari ad id, quod ipsum est potens producere: ergo saltem ad eum concursum partialem, cuius natura est potens, non elevatur. Secundò: quia si ideò elevatur intellectus à lumine, quià sine lumine nequit producere visioné, etiã lumen elevabitur ab intellectu, cum sine intellectu eam producere nequeat; quod contra philosophiam videtur militare; aliàs omnes causæ partiales elevarentur ad invicem; intellectus v.g. speciem, species intellectum, &c.

48. Argumentum pluribus implicatur. Thomistæ apud Gonet supra dicunt, intellectũ concurrere, vt causam principalem ad visionem. Nos tamen vt causam instrumentalem concurre, asserimus. Insuper: aliqui tenent, & intellectũ, & lumen ad invicé elevari, & vtrumque instrumentaliter cõcurre ad vosioné. Nã licèt intellectus sit æqualis in perfectione visioni, caret virtute connaturali, pro quo elevat lumen. Et licèt lumen habeat virtutem connaturalem, caret æquali perfectione cum illa, quæ præstatur ab intellectu. Cum ergo causa principalis per nos vtroque debeat gaudere, & virtute connaturali, & æquali perfectione; inde est, quod nec lumen, nec intellectus seorsim, sint causa principalis visionis. Hæc autem ex vtroque heterogeneè resultat. Alij verò, cum Arriaga, quem in physicis sequutus sum, judicant, adhuc complexum ex intellectu, & lumine concurrere vt instrumentum visionis, Deumque solùm vt causam particularem, eo scilicèt, quod tale conjunctum careat ęquali perfectione respectu visionis, nam licèt in complexo intellectûs, & luminis detur, & vitalitas, & supernaturalitas correspondentes

visionis aſt in complexo dantur hæ perfectiones per vnionem tantùm, & in viſione per identitatem, quæ eſt perfectior modus eas habēdi, ac proinde excedens. Nunc tamē facilè

49. Reſpondetur, nego conſequentiam. Ad primam probationem diſtinguo minorem: nil poteſt elevari ad id, quod eſt potens producere, ſi ſit potens naturaliter, tranſeat: ſi ſit ſolùm obedientialiter potens, nego: nàm quod ità potens eſt, ſemper connotat principium indebitum; neque ex ſe potens eſt, niſi connotando illud, vndè ſemper connotat elevationem ad potentiam abſolutam, quod videre eſt in potentia paſsiva ab omnibus conceſſa. Ad ſecundam probationem reſpondetur: naturam influere concurſu ſibi debito; non ità lumen, cum ſit in eodem ordine cum viſione: vndè natura elevatur à lumine, non autem lumen à natura. Quo patet diſparitas ad cauſas partiales naturales, quæ cū concurrant, concurſu ſibi debito, nullatenus ex hâc parte concurrunt vt elevatæ.

50. Objicies decimò tertiò: natura ex ſe, eſt improportionata adhuc in genere cauſæ partialis ad effectum ſupernaturalem: nam ſi ex ſe eſſet proportionata, deberetur illi complementum ad talem effectum: ergo ex ſe eſt impotens adhuc in genere cauſæ partialis: ergo nequit influere adhuc partialiter in talem effectum. Eſſe namque impotentem, & non poſſe influere, idem eſt.

51. Retorquetur in paſsiva potentia: natura ex ſe eſt improportionata adhuc in genere cauſæ receptivæ: nàm ſi ex ſe eſſet proportionata, deberetur illi influxus activus pro receptione: ergo ex ſe eſſet impotens adhuc in genere cauſę paſsivæ, &c.

52. Reſpondetur: non eſſe idem eſſe improportionatū, ac eſſe impotens, tàm naturaliter, quàm obedientialiter. Natura improportionata eſt ex ſe adhuc in genere cauſæ partialis, attamen non eſt impotens obedientialiter, eò quod non ſit impotens proportionari per habitum ſibi adjunctum, per quem de facto proportionatur ad effectum ſupernaturalem.

53. Objicies decimò quartò: principium *quo* adæquatum, ſeù tota ratio proceſsionis ad intra v.g. productionis Filij, eſt per nos ſola relatio Paternitatis: ergo ſimiliter principium *quo* adæquatum, ſeù tota ratio agendi reſpectu viſionis erit vnicè lumen gloriæ. Probatur conſequentia: ideò tota ratio productionis ad intra eſt vnicè Perſonalitas Patris, quia eſt tota virtus fœcundans Patrem ad productionem Filij, licèt ex ipſa, & natura ſimul reſultet principium *quod* producens; ſed pariter tota virtus fœcundans, & elevans intellectum ad productionem viſionis eſt lumen: ergo licèt ex ipſo, & intellectu reſultet principium *quod* producens viſionem, tota ratio agendi erit lumen. Vndè lumen non erit totum agens

agens, cùm hoc resultet ex ipso, & intellectu; erit tamen tota ratio agendi, cum sit tota virtus elevans.

54. Confirmatur: tota causa, & ratio faciens, vt agamus opera supernaturalia est gratia Dei: ergo tota ratio agendi visionem est lumen.

55. Si quis facilè, & absque oppositione vlla cum doctrina Societatis vellet defendere, *lumen esse totam rationem agendi*, ità certè potest. Nàm dummodo teneret, lumen non esse totum agens, sed hoc resultare per verum, & immediatum influxum ex ipso, & intellectu, in pace starent omnia. Immò & authoritates Sãctorũ: nàm potest dici, quod illę quę gratiæ vnicè tribuũt opera supernaturalia, loquuntur de ratione agendi, quæ adæquatè consistit in ea; quæ verò partim Naturæ tribuunt, loquuntur de principio agente, quod ex Natura etiam resultat. Nec se habebit intellectus respectu visionis, sicut aqua calida respectu caloris in manu producti: nàm calor in aqua etiam se habet vt tota ratio agendi, & simul vt totum agens; at lumen in intellectu, licèt se habeat vt tota ratio agendi, non tamen vt totum agens. Vide M. Lumb. Ne tamen ad nomina reducatur gravissima quæstio

56. Respondetur, nego cõsequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: ideò, quia est tota virtus &c. ità, vt Natura nullatenus contineat Filium, neque influat in eum immediatè, & formalitèr, cõcedo; ità vt cõtineat, & influat, nego: & distinguo minorem: sed tota virtus fœcundans &c. est lumen, ità vt intellectus neq; cõtineat, neq; influat immediatè, & formalitèr in visionem, nego: ità vt contineat, & influat, concedo. Natura ergo divina in hac opinione, neque pręcontinet Filium, neque influit in Filium, sed solùm se habet vt conditio, sine quà non, solùmque denominativè ex ipsa, & relatione resultat principium *quod*, & eô modô in communiori sententia se habet subsistentia respectu Naturæ. Totus ergo influxus immediatus, & formalis, totaque præcontinentia stat vnicè in *Relatione*, vndè nil mirum, quod hæc sit tota, & adæquata ratio agendi. At verò intellectus præcontinet, & influit immediatè, & formalitèr in visionem, & consequenter lumen tota, & adæquata ratio agendi dici nequit, sed hæc, sicut & principium *quod*, resultat ex lumine, & intellectu.

57. Confirmatio nominibus implicatur. Loquere cum distinctione: si per rationem, & causam facientem, vt faciamus, intelligatur causa prævia, auxilians, & inducens nos in opera supernaturalia, ità vnicè est gratia, seù Deus ea auxilia conferens, & ità, nec potentia naturalis, nec habitus ingrediuntur in rationem causæ (loquor de causa libera: nàm cum auxilia per nos sint actus intellectûs, vel voluntatis, in ea etiam necessariò influunt potentiæ, & physicè.) Si tamen intelligatur causa immediata efficiens, & de-

determinans consensum liberum, non est sola gratia, nec solus habitus, sed potentia etiam vitalis est vera causa. Vide Ripalda circa hanc loquutionem, si plura vis sect. 27. à num. 149.

QVÆSTIO VII.

VTRVM LVMEN GLORIÆ possit divinitùs suppleri?

1. REquiri lumen ad visionem beatificam ex Concilijs contra Beguardos, & Beguinas, suppono. Huic lumini varia munera conferunt Doctores. Primò enìm Thomistæ dicunt esse dispositionem ad vnionem intentionalem intellectûs cum divina Essentia. P. Vazquez tenet, munus luminis vnicum esse, concurrere vice Dei vt speciem impressam illius. P. Bernal judicat, simul esse habitum complentem, & speciem impressam Dei. Probabiliùs tamen judico cum Ex. D. Arriaga, & alijs, munus luminis esse tantùm complere intellectum ex parte potentiæ ad visionem producendam. Nàm omnis virtus incompleta, & improportionata ad aliquem effectum indiget in genere potentiæ complemento, seù comprincipio confortante ad eiusmodi effectum; sed intellectus in genere potentiæ, est incompleta, & improportionata virtus pro visione producenda: ergo.

2. Hoc supposito, quod inquirit præsens quæstio, est: vtrùm existat, vel non existat lumen in intellectu habendo se vel vt dispositio, vel vt causa materialis (de quô pro nunc non quæritur) possit Deus supplere illud quoad virtutem effectivam ipsius, non vt cumque (nàm ipsi adversarij non negant, posse suppleri, dummodo sit per aliquod auxilium intrinsecè inhærens intellectui) sed per aliquod extrinsecum auxilium, Omnipotentiam nempè extrinsecè applicatam, & nullatenus inhærentem animæ. Et quidquid dicatur de lumine, dictum judica vniversalitèr de omni habitu supernaturali.

3. Prima sententia vniversaliter negat, posse naturam rationalem vllum actum supernaturalem elicere sine auxilio intrinseco per solam elevationem extrinsecam. Ità omnes Thomistæ apud Ripalda. d. 34. S. 2. num. 6. His adde Gonet. d. 3. de visione. art. 5. num. 19. Lumb. tract. de visione num. 464.

4. Secunda santentia probabilior vniversaliter affirmat. Ità Schotus in quartũ d. 46. quæst. 11. Durand. Bacon. Gabr, Maior, & omnes DD. Jesuitæ apud eundem Ripalda num. 13. Omnesque Schotistæ, quos citat Mastrius d. 6. de visi. quæst. 5. num. 154. & sequitur art. 1. num. 155.

5. Probatur primò expresâ Angelici Doctoris authoritate, qui quæstione 10. de veritate art. 11. inter alia hæc habet: *sicut autem divinæ Omnipotentiæ subjecta sunt corpora, ità & mentes*

perducere alia corpora ad effectus, quorum dispositio in prædictis corporibus non invenitur, sicut Petrum ambulare per aquas sine hoc, quod dotem agilitatis ei tribueret, ità potest mentem ad hoc perducere, vt divinæ Essentiæ vniatur eo modo, quò vnitur in Patria sine hoc, quod à lumine gloriæ perfundatur. Ità clara sunt verba, vt explicatione non egeant.

6. Probatur secundò ea vniversali ratione in omnibus quæstionibus de potentia absoluta. Ea, quæ contradictionem non involvunt, deneganda non sunt divinæ Omnipotentiæ; sed quod fiat visio (idem dic de reliquis actibus supernaturalibus) supplente Deo per auxilium extrinsecum, influxum luminis, alteriusvè auxilij supernaturalis inhærentis, contradictionem non involvit, vt ex solutione argumentorum constabit: ergo.

7. Probatur tertiò: illustrationes intellectûs, & affectiones voluntatis, quibus peccator prævenitur ad justificationem, & Infidelis vocatur ad fidem, sunt per nos actus vitales, & supernaturales; sed non fiunt ab aliquo habitu, aliovè auxilio inhærente: ergo solùm per auxilium extrinsecum. Tùm sic: ergo, & si visio beatifica sit vitalis, & supernaturalis, poterit fieri per auxilium extrinsecum. Maior est Jesuitica sententia. Minor quoad primam partem est inter Theologos consons. Cum ad plures virtutum actus vocentur, quorum habitus sine gratia justificante non extant. Quoad secundam constat: nàm tale auxilium inhærens, deberet esse actus vitalis alius ab ipsis potentijs naturalibus effectus; quod dicere, vel est concedere processum in infinitum, nàm ad hoc dabitur aliud &c. vel sicut hoc fit sine alio, in eo efformabitur argumentum, cum sit actus supernaturalis vitalis.

8. Probatur quartò: nullatenùs requiritur intrinseca inherentia, nec vnio inter concausas ad effectum producendum: ergo etiam si Omnipotentia non inhæreat, animæ, poterit hæc simul cum ipsa, & elevando ipsam producere effectus supernaturales. Antecedens pluribus patet. Primò: de facto species impressa naturalis, substantia animæ, & intellectus, juxta adversarios, realitèr distinctus ab ea, producunt efficienter actum Fidei, elevati ab habitu simul concurrente; sed hic recipitur, vnitur, & inhæret, vel soli animæ, juxta alios, vel soli intellectui, juxta aliquos: ergo vel anima, vel intellectus, vel saltem species impressa elevatur ab habitu, & concurrit cum ipso sine vnione, & inhærentia. Secundò: natura, & habitus sunt duæ causæ partiales, vt quæstione superiori probatum manet; sed, vt vna causa partialis integretur, & compleatur per aliam, non indiget vnione cum illa. Sic Deus, & creatura efficiunt plures effectus, duo ignes eandem combust ignem, Sol, & terra eadem animalcula sine vlla vnione: ergo. Tertiò: licèt habitus inhæreat potentijs, hoc est titulo existendi con-

connaturaliter, non titulo operandi: nàm semel positâ eius existentiâ extra subjectum per creationem, quod non repugnat, eodem modo operaretur; Exemplo sint accidentia Eucharistica, quę à subjecto naturali per creationem abjuncta eorundem effectuum activa sunt, quorum erant conjuncta.

9. Probatur quintò ratione à priori: hæc inhærentia, & intrinsecatio auxilij in intellectu ad productionem visionis, vel esset titulo vitalitatis, vel supernaturalitatis ipsius visionis; sed nec vno, nec alio titulo: ergo nullatenus est essentialiter requisita. Quod non esset titulo vitalitatis, probatur: vt aliquis actus vitalis sit, non requiritur, quod omnia principia, à quibus fit sint intrinseca, & vitalia: de facto enìm Deus, & objectum sunt principia actûs vitalis, quin sint intrinseca, & vitalia respectu Naturæ, & actûs, & solùm quià potentia est vitalis, est actus intrinsecus ipsi potentiæ, & actus evadit vitalis; sed quamvis deesset auxilium intrinsecum in potentia, hæc esset vitalis, & actus, per quem tenderet intentionaliter in objectum, reciperetur in ipsa: ergo esset vitalis. Quod non requiratur hæc inhærentia titulo supernaturalitatis, constat: nàm ad supernaturalitatem actûs, solùm requiritur, quod sit supra vires Naturæ, & quod hęc, nec exigat illum, & egeat viribus supernaturalibus ad ipsius productionem; sed posito auxilio supernaturali extrinseco, vt quid necessarium, totum hoc salvaretur, vt per se patet: ergo.

SECTIO VNICA:

ARGVMENTIS RESPONDETUR.

10. OBijcies primò Sanct. Thomam 2. 2. q. 125. art. 3. ad 23. vbi hæc habet. *Divina essentia ab intellectu Beato videri non posse, nisi per lumen gloriæ, quod dupliciter potest participari vno modo per modum formæ immanentis, & sic beatos facit sanctos in patria, alio modo per modum cuiusdam passionis transeuntis, sicut est de lumine prophetiæ, & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus est.*

11. Si tamen huic authoritati opponas, quam attulimus in nostra probatione; dicunt aliqui Thomistæ, D. Thomam suam sententiam mutasse: ego tamen constantiæ D. Thomæ consulens, vtramque facilè compono, asserens, in illa loquutum fuisse de potentia absoluta, sicut nos in pręsenti loquimur, cui stando potest intellectus absque lumine, aliovè auxilio intrinseco visioné producere. In hac verò loquitur de potentia ordinaria, cui stando, & attenta ratione subjecti, nequit fieri visio sine lumine, eo quod connaturalitèr, & secundùm præsentem providentiam ità fiat.

12. Dices tamen: in verbis objectis loquitur S. D. de potentia absoluta; agit enìm de raptu viato-

toris Pauli miraculoso ad videndum Deum, qui solâ potestate absolutâ evenire potuit: ergo compositio nostra ruit.

13. Respondetur: miraculum, & vsum potentiæ absolutæ stetisse in raptu viatoris ad videndum Deum per aliquod tempus, non verò in effectione miraculosa visionis, quæ & poterat fieri per auxilium extrinsecum, & ità in effectione etiam novum fieri, miraculum: & per lumen,& si transiens, & ità novum miraculum non fit. Ità factum esse de facto iudicat Divus Thomas. Non enìm est consequentia miraculi subsequentis miraculum antecedens. Imò adhuc supposito primo miraculo, si ratio vel authoritas non cogat, non sunt alia concedenda. Sic aliqui judicant, quantitatem remanere vt subjectum accidentium Eucharisticorum, nè concesso miraculo separationis à substantia panis, concedatur aliud, existentia scilicèt accidentium extra connaturale subjectum.

14. Obijcies secundò: potentia est causa principalis visionis; sed causa principalis operatur per virtutem sibi intrinsecam, & proportionatam effectui, quæ necessariò supernaturalis est comparatione effectûs supernaturalis: ergo debet habere intrinsecè supernaturalitatem. Probatur maior: si potentia non esset causa principalis, hæc esset Deus, & non intellectus. Vndè iam Deus, & non intellectus intelligeret per visionem. Causa enim intelligens per actum principalis est, non verò instrumentalis,

15. Respondetur, nego maiorem: ad probationem respondetur, falsum esse, omnē causam principalem actûs vitalis intelligere,& vivere per intellectionē: nàm juxta ipsos Thomistas etiam habitus sunt causæ principales actuum, & per ipsos minimè vivunt: quod autem requiritur, vt causa actûs vitalis vivat per ipsum, est, quod talis causa sit ex se potens vivere, quod talis actus vitalis non sit extra sphæram causæ, & quod intrinsecè recipiatur in ipsa. Sed totum hoc habet visio comparatione intellectûs, nàm hic est potens vivere. Visio est intra spheram potentiæ intellectivæ, cum sit intellectio,& recipiatur in intellectu, non verò comparatione Dei, in quô talis visio non recipitur: ergo licèt Deus sit causa principalis illius, non vivet per illam, & licèt intellectus sit causa instrumentalis, per eam vivet.

16. Obijcies tertiò: lumen est principium vitale: ergo est intrinsecum, & insupplebile. Probatur antecedens: visio beatifica realiter est supernaturalis, & simul vitalis: ergo debet provenire ab aliqua potentia supernaturali vitali. Hæc nequit esse alia nisi lumen: ergo. Ità Thomista Albarez.

17. Confirmatur ex M. Lumb. num. 465. visio debet esse activè à principio vitali, vt visivo Dei, sine qua non salvatur vitalitas in actu primo sufficiens ad visionem; sed vita-

vitalitas ſpecialis vt viſiva Dei ex parte potentię, iam includit virtutem ſupernam: ergo hæc neceſſariò, & intrinſecè ſe tenet ex parte ipſius. Debet ergo intellectus, vt faciat viſionem ſupponi ſpecialiſsimè potens ab intrinſeco ad vitaliter eliciendam viſionem, quæ quidem potentia eſt lumen, nàm intellectus eſt impotens.

18. Reſpondetur, nego antecedens: aliàs lumen eſſet formaliter intellectus, cum ſit potentia vitalis objecti perceptiva, quæ eſt intellectûs definitio. Inſuper: nec eſt intellectus radicalis, vt conceditur ab Adverſarijs, cum in ipſo non radicetur intellectus formalis: neque formalis, cum ipsũ non radicetur in intellectu, ſed illi ab extrinſeco proveniat. Sicut ſpecies, quæ licèt compleat potentiam, quià provenit illi ab extrinſeco, non dicitur principium formale. Ad probationem, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo debet provenire ab aliqua potentia, quæ ſimul ſit ſupernaturalis, & vitalis, quæ in ſe ità ſit, vel per identitatem, vel per vnionem neceſſariò, nego: quæ ità ſit per elevationem, concedo. Hoc eſt: non requiritur, quod principium viſionis ſit per identitatem vitale, & ſupernaturale: ità enìm, nec intellectus, nec lumen eſſet principium, ſiquidem nec intellectus eſt per identitatem ſupernaturalis, nec lumen vitale. Nec inſuper requiritur, quod ſit per vnionem vitale, & ſupernaturale, vt conſtat ex noſtris probationibus. Sufficit enim, quod principium vitale ſit per elevationem ſupernaturale, nàm ità illi præſtantur vires ſufficientes, & indebitæ, quô ſalvatur & impotentia Naturæ ſecundum ſe, & indebitum termini ſupernaturalis reſpectu Naturę, & correſpondentia formalitatum inter cauſam, & effectum.

19. Ad confirmationem reſpondetur, diſtinguo maiorem: debet eſſe à principio viſivo Dei, id eſt, capaci videndi Deum, vt elevato, concedo: capaci videndi ſecundum ſe, nego. Et diſtinguo minorem; ſed vitalitas viſiva Dei ex parte potentiæ includit virtutem ſupernam in poſſeſsione, & vnione, nego: in connotatione, concedo. Intellectus intrinſecè eſt capax videre Deum, & efficere viſionem, non tamen naturaliter, ſed obedientialiter. Hoc eſt, eſt capax, vt elevatus, ſeù adjutus aliqua virtute ſupernaturali viſionem efficiat, ſed ſivè hæc virtus ſit intrinſeca, ſivè ſit extrinſeca intellectui, ipſi eſt virtus ſupernaturalis, & adjuvatur ab ipſa: ergo. Non tamen eſt capax, vt proprijs viribus videat, ſeù viſionem efficiat, ac proindè non dicitur abſolutè potens, ſed impotens videre. Vndè capacitas ſemper eſt connotativa, & ablatâ connotatione, eſt incapacitas. Vndè ad deductionem dico; intellectum debere ſupponi ſpecialiſsimè potentem, vt efficiat viſionem, non tamen ità, vt ſpecialiſsima potentia ſit adæquatè in-

intrinseca : inde quô posteà.

20. Obijcies quartò : videre sine virtute, & facultate videndi implicat; sed lumen est virtus, & facultas videndi intuitivè Deum: ergo videre Deum intuitivè sine lumine implicat. Respondetur: concedo maiorem, & distinguo minorem : lumen est virtus, & facultas adæquata, nego: inadæquata, concedo. Cum non sit tota ratio, & virtus agendi, sed intellectus simul agat, non implicat, intellectum sine lumine, concurrente loco ipsius Omnipotentiâ, videre. Si dicas : ergo intellectus videret sine virtute, & facultate videndi, quod implicat; negabo consequentiam : nàm licèt tunc virtus, & facultas adæquata, non esset adæquatè intrinseca intellectui, daretur ex parte huius virtus adæquata, resultans tamen ex ipso intellectu, & ex Omnipotentia specialiter applicata loco luminis: non enìm requiritur ad videndum, quod facultas videndi sit adæquatè intrinseca potentiæ videnti, & visivæ.

21. Obijcies quintò ex M. Lumb. num. 464. Implicat, intellectum facere in actu secundo absque posse facere in actu primo: esset enim faciens, & non faciens; sed nequit fieri physicè potens sine virtute inhærenti : ergo. Minorem, quam debebat probare, non probat. Probatur tamen primò: actus vitalis debet provenire ab intrinseco principio vitali : ergo hoc debet supponi intrinsecè potens ; ergo per virtutem sibi intrinsecam supernaturalem. Probatur secundò ex Gonet num. 23. Causa physicè potens præcontinet in se saltem virtualiter effectum : aliàs illum non posset extra se emittere; sed intellectus creatus nequit in se præcontinere, virtualiter visionem, nisi ratione alicuius virtutis supernaturalis in se receptæ, & inhærentis, quæ quidem est lumen : ergo.

22. Respondetur; concedo maiorem, & nego minorem. Ad primam probationem distinguo antecedens: actus vitalis debet provenire ab intrinseco principio vitali, vitaliter se habente respectu talis actûs, transeat; non se habente vitaliter respectu ipsius, nego. Solutio constat ex quinta probatione : non enìm omnia principia actûs vitalis vitaliter se habent respectu actûs, sed vnicè ità se habet intellectus, vndè nec omnia dicuntur principia intrinseca, sed ipse intellectus, qui vivit per talem actum, in quo ipse actus intrinsecè recipitur.

23. Replicabis: ergo actus ille non provenit à principio intrinseco, quod quatenùs principium sit supernaturale, cum supernaturalitas illi sit extrinseca : ergo nec à principio intrinsecè potente, cum potentia proveniat illi à supernaturalitate extrinseca : ergo nec à principio intrinseco proportionato, ac per consequens non erit vitalis.

24. Omnes hę consequentiæ equivoco laborant, pro quo explicando

cando ſuppono, quod vt actus ſit vitalis, non requiritur, quod tota, & adæquata potentia principij ſit intrinſeca, ſed ſufficit, quod vna pars ſit principium intrinſecum, ea nempè, quę vivit, non ea quæ non vivit per talem actum. Sic tota potentia amandi non eſt intrinſeca voluntati, cum Deus etiam operetur mecum amorem; ſed ſufficit, quod voluntas ſit pricipium intrinſecum amoris, eô quod voluntas,& non Deus vivit per amorẽ: ergo nec requiritur, quod tota potentia productiva viſionis beatificæ, ſit intrinſeca, ſed ſufficiet, quod intellectus ſit principium intrinſecum ipſius, quia vivit per illam, non tamen, quod virtus ſupernaturalis conſtituat principium intrinſecum, vt intrinſecum eſt, ſeù intrinſecè, cùm talis virtus non vivat per actum. Suppono item, ad ſupernaturalitatem actûs ſufficere neceſsitatem vnius principij ſupernaturalis, ſicut ad vitalitatem immanentiam alteriùs. Eo enim ipſo, quod vnum principium neceſſariò requiſitum ab actu ſit ſupernaturale, ſivè hoc ſit intrinſecum, ſivè hoc ſit extrinſecum, actus eſt ſupernaturalis, cum ſuperet continentiam naturæ. Eo ipſo, quod aliud immanenter operetur, ſit nempè producens, & recipiens actum, vivit per illum, ac proindè actus eſt vitalis; ſed actus immediatè elicitus ab intellectu per auxilium extrinſecum ſit ab vno principio indebito naturæ, & alio immanenter operante: ergo erit vitalis, & ſupernaturalis. Nunc detego conſequentiarum æquivoca

25. Diſtinguendo primam conſequentiam: ergo ille actus non provenit à principio intrinſeco, quod quatenus intrinſecum ſit ſupernaturale, id eſt, cui ſupernaturalitas ſit intrinſeca, concedo: quod ſit immanenter operans, & egeat ad operandum auxilio indebito, nego. Similiter diſtinguo ſecundam: ergo nec à principio intrinſecè potente, id eſt, cui ſit adæquata potentia, & virtus intrinſeca, concedo: cui ſit virtus immanenter operans intrinſeca, nego. Item diſtinguo tertiam: ergo nec à principio intrinſeco proportionato, id eſt, cui proportio ſit intrinſeca, concedo: quod proportionetur ab extrinſeco, nego.

26. Ad ſecundam probationem deſumptam ex Gonet reſpondetur, diſtiguo maiorem: cauſa phyſicè potens præcontinet in ſe, ſaltem virtualiter effectum; præcontinet eô modô, quo eſt phyſicè potens, concedo: alio modo, quo non eſt phyſicè potens, nego: & nego minorem. Intellectus eſt phyſicè potens producere viſionem non naturaliter proprijs viribus, aut viribus debitis, ſed obedientialiter viribuſque gratiæ indebitis elevatus, & hoc modo præcontinet in ſe effectum, id eſt, capacitatatem illum producendi ità elevatus, quæ quidem non eſt ſupernaturalis. Cum autem hæ vires præſtantur, ſivè ſint

intrin-

intrinsecæ, sivè extrinsecæ, effectum extra se emittit, id est; virtus illa, & capacitas exercetur.

27. Objicies sextò ex Thomista Alvarez: quod est incompletum in aliquo genere, debet compleri per aliud in eodem genere; sed intellectus est incompletus respectu visionis in genere principij vitalis: ergo cum compleatur per lumen, in genere principij vitalis completur, ac proindè lumen erit insupplebile.

28. Respondetur distinguendo maiorem: si compleatur in ordine ad aliquod totum homogeneum, concedo: heterogeneum, quale est causa productiva visionis, nego. Nàm si effectus, nempè visio, est heterogenea resultans ex vitalitate, & supernaturalitate, ità & causa. Et sicut lumini non affertur supernaturalitas, sed vitalitas ab intellectu concurrente, ità nec intellectui affertur vitalitas, sed supernaturalitas à lumine.

29. Objicies septimò: lumen gloriæ non solùm concurrit efficienter, sed etiam formaliter: ergo non potest suppleri. Probatur antecedens: ad quancumque visionem requiritur lumen præcedens, quod manifestet objectum, quarè visioni corporeæ manifestatur objectum per lucem corpoream, judicio per apprehensionem conclusioni per præmissas; ergo visioni Dei per lumen; sednon manifestatur efficienter: ergo formaliter.

30. Ex argumento, nil contra nos. Hîc enim, vt constat ex suppositis, solùm defenditur, lumen posse suppleri quoad virtutem effectivam ipsius, quidquid sit, an quoad alios effectus, aut munera suppleri queat.

31. Respondetur tamen, nego antecedens. Ad probationem, nego maiorem. De facto enim visione intellectivâ videtur sonus sine vlla luce manifestante.; & Deus similiter sine vlla luce conspicitur à Beatis. Lumen enim non est propriè lux manifestās, sed habitus elevans, & efficiens. Deus enim, qui est lux inaccessibilis nō requirit aliam lucem, vt manifestetur, sicut vna lux corporea non manifestatur per aliam. Insuper: lux materialis non manifestat formaliter objectum, sed ad summum reducitur ad causam purè efficientem. Dicitur enim manifestare objectum, quia requiritur, vt color producat, & emittat suam speciem ad potentiam visivam. Apprehensio enim, & præmissę manifestant formaliter, quia sunt actus intellectûs: lumen autem non ità.

32. Objicies octavò: Natura ex se est intrinsecè impotens, & improportionata ad efficiendam visionem beatificam: ergo nequit constitui absolutè potens absque aliquo principio intrinseco eam elevante. Probatur consequentia: nequit reddi potens intrinsecè, seu transire de impotente intrinsecè ad intrinsecè potentem sine intrinseca mutatione; sed nisi accipiat intrin-

secè aliquam virtutem, quam ante non habebat, non mutatur intrinsecè, sed manet eadem: ergo.

33. Respondetur: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem, nego suppositum ipsius, quod vt Natura dicatur potens, producatque de facto actus supernaturales, sit necessarius hic transitus intrinsecus, ac proindè nec intrinseca mutatio. Aliud enìm est, quod Natura intrinsecè ex se, seù naturaliter sit absolutè impotens producere actus supernaturales, quod est verum, & aliud, quod connotando vires supernas, seù obedientialiter sit intrinsecè impotens, quod est falsum. Hæc ergo intrinseca obedientialis potentia sine vlla intrinseca mutatione, additis ipsi viribus supernis extrinsecis, redditur absolutè, proximè, & completè potens: nàm hęc potentia, & facultas completa est partim intrinseca, quatenùs includit entitatem Naturæ, & partim extrinseca, quatenùs includit divinum auxilium elevans. Denominationes autem, quæ omninò intrinsecæ non sunt, possunt advenire rebus sine intrinseca mutatione ipsarum ob solam variationem extrinsecam eorum, quæ eas denominationes constituunt. Sic eadem albedo modò existit similis, modò non existit similis, solâ positione, aut destructione termini similitudinis. Deus transit de non domino in dominum, de non creatore in creatorem solâ variatione termini extrinseci. Sic & eodem modo facultas proxima naturalis producendi calorem in igne est partim intrinseca consistens in entitate ignis, & partim extrinseca consistens in divino concursu. Eodem ipsissimo modo se habet potentia Naturæ ad actus supernaturales, cum hac tamen vnica distinctione: quod ibi concursus Dei generalis est connaturalis, & debitus igni: hîc tamen concursus Dei specialis, nec est connaturalis, nec debitus Naturæ. Vndè hęc non dicitur absolutè potens, sed semper cum respectu ad talem concursum indebitum.

34. Obijcies nonò ex Gonet. num. 20. Ex vi visionis beatificæ datur specialis assistentia, & vnio Dei cum creatura; sed nequit dari hæc assistentia, & vnio absque eo, quod recipiatur in intellectu aliqua virtus, per quam elevetur, & fiat intrinsecè potens ad videndum Deum: ergo. Probatur minor primò: quãdò duo vniuntur, vel vtrumque, vel saltẽ vnum extremum debet intrinsecè mutari; sed nequit Deus intrinsecè mutari: ergo intellectus: ergo per aliquam virtutem receptam. Secundò: juxta D. Thomam, Deus non est in aliquo nisi per operationem: ergo si Deus est in intellectu ex vi visionis specialiter, & per specialem vnionem, & assistentiam, debet in eo aliquam virtutem producere, per quam mutetur intrinsecè.

35. Respõdetur: vi visionis beatificæ non dari aliam vnionem inter Deum, & intellectum creatum, nec

nec aliam specialem assistétiam, nisi intentionalem, quæ sit media ipsa visione, quæ dicitur possessio Dei intentionalis. Hoc supposito, nego minorem ad primam probationem, transeat maior, concedo minorem, & primam consequentiam; nego tamen secundam. Certum est, intellectum per visionem mutari intrinsecè, & recipere aliquid intrinsecè, hoc tamen non est necessariò aliqua virtus, quę se teneat ex parte actûs primi, sed ipsamet visio, quæ vtpotè actus vitalis, & consequéter immanens in ipso intellectu debet recipi intrinsecè. Hinc cõstat solutio pro secunda probatione. Admisso ergo, quod Deus non sit in aliquo, nisi per operationem, dico, Deum esse specialiter in intellectu per ipsam visionem beatificam, quam per specialem concursum operatur, cum ipso tamen intellectu.

36. Obijcies decimò ex eodem num. 24. Implicat, causam aliquam constitui potentem in actu primo per aliquid se tenens ex parte actûs secundi, cum actus primus præcedat secundum prioritate naturæ; sed concursus simultaneus Dei se tenet ex parte actûs secundi, est enim ipsa actio causæ secundæ, prout est à Deo simul operante cum illa: ergo implicat, quod ad Deum videndum fiat intellectus intrinsecè potens per solum concursum simultaneũ. Confirmatur: intellectus nequit elevari per id, ad quod eget elevatione; sed eget elevatione ad illud, quod se tenet ex parte actus secundi, & quod est idem cum ipsa visione: ergo.

37. Respondetur: concedo maiorem, & nego minorem, cuius probatio exorbitat à terminorum intelligentia. Concursus enim Dei in actu primò se tenens ex parte intellectûs elevati, non est actio egrediens simul à Deo, & intellectu, sed Omnipotentia specialiter applicata ipsi intellectui confortans illum, & præstans vires pro effectu mediâ actione, quæ est concursus in actu secundo producendi. Hinc patet confirmationis solutio: nàm cum concursus Dei elevans non se teneat ex parte actûs secundi, ad illum non eget elevatione intellectus.

38. Obijcies v. decimò: si Deus suppleret defectum luminis, esset per voluntatem applicantem Omnipotentiam diverso modo, ac illam de facto applicat; sed eam nequit diverso modo applicare: ergo. Probatur minor; non est assignabile objectum talis voluntatis applicativæ: ergo. Probatur antecedens: hoc nequit esse Omnipotentia secundùm se, quia hæc secundùm se applicatur de facto, quandò concurrit simul cum lumine.

39. Hoc argumentum evertit omnes quæstiones de potentia absoluta, in quibus Omnipotentia aliter debet applicari, quàm de facto pro effectibus ordinarijs applicatur. Objectum ergo talis voluntatis divinæ non esset Omnipotentia secundùm se, sed Omnipotentia in ordine ad diversam operationem:

nunc de facto applicat Deus suam Omnipotentiam, quatenùs vult concurrere cum creaturis; vndè objectum huius actûs est Omnipotentia in ordine ad operationem egredientem simul à creatura, & Omnipotentia. De possibili verò eam diverso modo applicaret, quatenùs vellet se solo, vel alio extraordinario modo, indebito tamen, concurrere cum creaturis. Vndè objectum huius actûs erit Omnipotentia in ordine ad actionem indebitam, & operationem extraordinariam.

40. Obijcies duodecimò: voluntas divina solùm potest applicare Omnipotentiam, vt producat effectum se solá, vel cum creatura potente illum producere, adjuvans ipsam vt producat, non verò cum creatura impotente; ità enìm sola Omnipotentia producet, nàm impotens producere, nec alteri conjunctum producit: ergo hæc applicatio Omnipotentiæ supponit iam intellectum potentem; non per se: ergo per aliquam virtutem elevantem. Vndè nec Omnipotentia poterit huius virtutis deffectum supplere.

41. Respondetur distinguendo antecedens: solùm potest applicare Omnipotentiã &c. vel cum creatura illum potẽte producere ex se, & naturaliter, vel obedientialiter, concedo: ex se necessariò, & tantùm, nego. In intellectu enim supponitur potentia obedientialis ad operandum, cum auxilio tamen indebito, ideòque dicitur absoluta impotentia secundum se, & ex se, quià scilicèt concursus, & auxilium est indebitum à distinctione potentiæ naturalis, quę etiam si nequeat sine concursu Omnipotentiæ producere, cum tamen hic sit debitus, & naturalis, dicitur absolutè potens. Nequit enim applicari Omnipotentia alicui creaturæ pro effectu, si hæc & careat potentia naturali, & obedientiali pro illo. Ità enim sola Omnipotentia & non ipsa produceret, benè tamen si etiam si careat potentia naturali, gaudeat obedientiali.

42. Obijcies decimo tertiò: si non requireretur vnio, seu inhærentia inter principium elevans, & elevatum, sequeretur, quod si Angelus, sivè anima beata penetraretur Dœmoni (vt naturaliter contingere potest) intellectus Dœmonis haberet lumen sufficienter applicatum pro visione producenda, & consequenter haberet naturaliter potentiam completam ad eam, Deusque teneretur illi conferre suum concursum. Omni namque causæ completæ, vel naturaliter, vel supernaturaliter debetur concursus. Vndè esset naturaliter beatus.

43. Ex argumento ad summum sequitur, requiri inhærẽtiã luminis vt dispositionẽ naturalem pro visione producenda. Cum enim lumen intellectui Dœmonis non inhęreat, sed vnicè Angeli, licèt sit intimè præsens intellectui Dœmonis, hic non erit ad visionem dispo-

positus: vndè, nec illi debitus concursus Dei pro visione producenda, nisi solùm Angelo. Ex hoc tamen non sequitur, non posse Deum supplere vices luminis in ratione principij efficientis. Imò nec sequitur, non posse sine tali dispositione cum intellectu cōcurrere: hoc tamen esset, concursu indebito, & omninò libero. Respondeo tamen, quod licèt non requiratur essentialiter inhærentia principij elevantis in elevato pro effectione, requiritur tamen naturaliter, & juxta providentiam ordinariam. Vndè operari lumen cum intellectu, cui non inhæret, esset miraculosum, & indebitum, ac proindè concursus similiter indebitus: ergo licèt lumen esset intimè præsens intellectui Dæmonis, cum ipsi non inhæreret, non esset ei debitus concursus pro visione beata producenda, ac proindè non posset producere naturaliter visionem, nec esset naturaliter beatus.

QVÆSTIO VIII.

VTRVM A PERFECTIORI intellectu, cæteris paribus, evadat perfectior visio?

1. Disputant hìc latiùs, quàm par esset aliqui DD. An visione, beatificæ hominum, & Angelorū differant specificè, nec nè juxta diversitatem specificā principiorum? Ripalda judicat, quod, si consistat intellectio in actione modali, vel eam includat ob respectum essentialem ad determinata principia, specificè differre. Hoc judico extra dubium. Si verò consistat in qualitate absoluta, insuper judicat, quod si visiones indifferenter sehabeant (vt possunt de facto se habere) ad intellectum Angelicum, vel humanum, differunt specie: hoc etiam certum teneo. Vtrùm autem de facto ità indifferenter se habeant, vel non, sed saltem naturaliter visio Angelica exigat intellectum Angelicum, & visio humana intellum humanum? dubitatur etiam. Ripalda iam citandus, probabilior censet; exigere suum determinatū principium, & ob hanc exigentiam differre specificè. Compt. d. 16. de visione. num. 9. eam connaturalem indifferentiam de facto tenet; & consequenter, nullatenus differre specificè. Probabiliùs, & connaturaliùs Naturæ rerum loquitur Ripalda: cum autem inter actus specie diversos, posśit dari etiam inæqualitas, pręsens quæstio præscindit ab eo, quod sint, vel non eiusdem speciei.

2. Dari de facto visiones inæquales constat ex Concil. Florent. Item ex Apost. ad Corinth. 15. vbi: *Si Stella differt ab Stella in claritate, sic erit in Resurrectione mortuorum.* Vbi de visionibus loquitur. Ex illo Christi Domini: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ratio est; quià, cum merita sint inæqualia, visiones, quæ rationes præmij sortiuntur, inæquales debent esse:

Nàm qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: nec obest parabola de Operarijs accipientibus singulos denarios, ac proindè æquale præmium, quæ objicitur pro suo errore tuendo à Joviniano. Tùm quià potiùs indè arguitur visionum inæqualitas: nàm eo, quod novissimi brevi tempore tantum in intensione, quantum primi fecerunt, eis datum est æquale præmium: ergo si inæqualiter mererentur, inæqualiter præmiarentur. Tùm, quià (vt optimè notat Maldonatus) in parabola, quædam sunt de intento, & quædam de solo ornatu; in accommodatione enìm, quæ sunt de intento, tantùm attendenda sunt. Intentum ergo parabolæ contra Judæos vnicè fuit, quod primogenitura temporalis nil cōducit per se ad vitę eternæ augmentum.

3. Hoc ergo supposito. Certum est, inęqualitatem luminis conducere ad visionum inæqualitatem. Vndè inæquale lumen cum æquali vi intellectivâ inęqualem visionem parturit. Quod enìm nunc quęritur, est: an è contra inæqualitas intellectûs (quem supponimus concurrere vt causam partialem) conducat ad inæqualitatem visionum, taliter, vt inæquales intellectus cum æquali lumine parturiant inæquales visiones? In quô

4. Prima sententia tenet: visiones (idem dicitur de omni actu supernaturali) non edi, nec posse edi perfectiores à perfectiori intellectu æquali lumine gaudente. Ità communiter Thomistæ, quos sequitur Gonet d. 4. de visi. art. 2. num. 11. & Mag. Lumb. quæst. 10. de visio. art. 4. num. 508. Ex nostris Suarez, Vazquez, Valent. Salas, Fasol. & alij plures apud Ripalda tom. 1. lib. 2. de 37. num. 2. quibus add. Sparf. lib. 1. de Deo, quæst. 13. art. 14. & Compt. d. 16. de visi. sect. 2.

5. Secunda sententia docet: ab intellectu perfectiori, cæteris paribus, posse evadere visionem perfectiorem. Ità subt D. in 3. dist. 13. quæst. 3. Mai. Gabr. Palud. & ex nostris Molina, Herice, & alij apud eundem Rip. num. 3. quibus adjunge Lumb. qui & si contrariam teneat, hanc & probat, & defendit à num. 497. Mastri. d. 6. de visi. quæst. 7. art. 1. num. 194.

6. Tertia sententia asserit: actus Supernaturales viæ ab inæqualitate potentiarum inæqualitatem summere; non verò visionem, & actus supernaturales Patriæ. Ità P. Lesius lib. 12. de visio. perfec. num. 80. & probabilem judicat P. Coninc. d. 5. de supernaturalitate dub. 6. conclusio. 3.

7. Quarta sententia potest esse P. Joannis Martinez de Ripalda, qui asserit, à potentia naturali perfectiori cum æquali habitu posse elici actus perfectiores. Ità sect. 2. num. 4. Posse item aliquando non elici ità, sed æquales, vel imperfectiores; ità sect. 4. num. 18. De fa-

facto tamen visionem non evadere perfectiorem à perfectiori intellectu in ratione beatitudinis saltem. Ità sect. 3. num. 15.

SECTIO I.

NOSTRA SENTENTIA proponitur, & probatur.

8. ANTE conclusionem nota primò: quęstionem non loqui de maiori perfectione entitativa, & materiali, quam gratis admittunt Arriaga, & Oviedo, & consistit in eô, quod visio perfectioris intellectûs sit ex natura sua spectans ad perfectius principium, & consequenter ex tali ordine perfectior. Tùm, quia de ea non est controversia inter Thomistas, & Schotistas, sed de majori perfectione formali, & intensiva consistente, in intensiori, & clariori visione objecti. Tùm, quia de hoc nequit esse dubium, cum supponatur, vnam egredi à perfectiori intellectu, quàm aliam. Tùm quia hoc quod est procedere à perfectiori principio, si principium non refundat aliquam majorem intrinsecam perfectionem in effectum, non est aliqua perfectio formalis. Nec item est quæstio de majori perfectione extensiva, ad videnda scilicet plura objecta, quia non provenit formaliter à potentijs, sed ab ipsissimis objectis, & ab speciebus provenit. Solú ergo quærit quæstio de majori perfectione formali, & intensiva, hoc est, an cęteris paribus, lumine scilicèt, & specie, præcisè eô quod visio proveniat à perfectiori intellectu, (vel specificè, vt intellectus humanus, & Angelicus, vel substantialiter individualiter, vt intellectus humani, inter quos substantialem individualem inęqualitatem ex tract. de anima suppono) evadat visio clarior, & intensior respectu objecti.

9. Nota secundò: quæsitum posse esse, vel de facto, vel de possibili tantùm: hoc est, an, attentis naturis rerum, & potentijs suæ naturæ relictis, à perfectiori potentia evadere possit perfectior visio, & ità evaderet, si Deus aliàs eas non cohiberet; vel an de facto eas non cohibeat, ac proindè defacto visio proveniens à perfectiori intellectu sit perfectior? Mastrius num. 193. notat, inter Thomistas, & Schotistas quæstionem exagitari in primo sensu, seù de possibili tantùm, negantibus illis posse à perfectiori potentia oriri perfectionem visionem, affirmantibus his: in secundo verò sensu, seù de facto ipsos Schotistas esse divisos: nàm Tartar. Aretin. Vulpes, & alij tenent, quod licèt potentia perfectior ex natura rei pollet intensiùs Deum videre cum æquali lumine; attamen de facto perfectio visionis in Patria est juxta mensuram, & meriti proportionem; Smisinch verò, Faber, Pon. quos sequitur ipse Mastrius tenent; de facto etiam à perfectiori intellectu

ctu evadere visionem perfectiorem. De vtroque loquar.

10. Dico primò: *à perfectiori intellectu posse evadere, cæteris paribus, perfectiorem visionem*: hoc est, ab intellectu habente acumen, vt quatuor potest elici perfectior visio beatifica, quàm ab intellectu habente acumen vt duo, etiam si vterque gaudeat pari lumine, vt tres v. g. Probatur primò evertendo precipuum fundamentum oppositum: eatenùs per vos visio ab intellectu perfectiori non evaderet perfectior, quatenùs intellectus solùm concurrit vt intellectus, non vt major intellectus, & acumen excedens impertinenter, & materialiter se habet ad visionem; sed intellectus non cōcurrit, vt intellectus tantùm, sed vt intellectus perfectior, habente se acumine de formali: ergo. Probatur minor: per vos intellectus non elevatur ad productionem visionis vt ens, sed vt tale ens: ergo neque vt intellectus, sed vt talis intellectus, acutior scilicèt: ergo acumen non se habet omninò impertinenter. In physicis enim defendimus contra P. Leonar. quod licèt ens creatum sit principium *quo* pro elevatione instrumentali, omnes formalitates entis creati elevari, constituereque principium formale *quod*, quin vltimę formalitates se habeant de materiali, sed de formali: ergo pro elevatione ad actum intellectûs, qualis est visio, licèt intellectus vt talis non sit principium *quo* elevabilitatis, omnes perfectiones intellectûs constituent principium formale *quod*: ergo majoritas intellectûs, & acumen excedens, non se habent impertinenter, & materialiter, sed formaliter ad productionem visionis: ergo potest visionem perfectiorem producere.

11. Probatur secundò evertendo etiam aliud fundamentum: absque vllo periculo commercij cum errore Pelagiano, vel semipelagiano, & conformiùs experientiæ, & naturis rerum, stat, à perfectiori intellectu evadere perfectiorem visionem: ergo ità tenēdum est. Probatur antecedens quoad primam partem: absque periculo commercij cum errore defenditur, intellectum concurrere ad visionem; & vitalitatem potentiæ, licèt naturalē, non se habere impertinēter ad vitalitatem visionis supernaturalem, quià scilicèt nec intellectus, nec vitalitas ipsius concurrent proprijs viribus, sed vt elevati; sed similiter, nec præstantior intellectus, nec acumen ipsius cōcurrerent proprijs viribus, sed vt elevati: ergo sine periculo dicetur, intellectū perfectiorem concurrere ad perfectiorem visionem, licèt hæc major perfectio sit supernaturalis, & acumen potentiæ licèt naturale, non se habere impertinenter ad majoritatem visionis supernaturalem. Probatur quoad secundam: quia sæpè experimur, homines fortioris, & intensioris genij, & ingenij, tenaciùs adhęrere Fidei, vt constat in Æthiopibus comparatione Indorum; sed non semper ha-

bitus

bitus Fidei est major: ergo hoc provenit à genio vt elevato: ergo singularitas genij non se habet materialiter, & impertinenter: ergo nec major perfectio intellectûs.

12. Et pro confirmatione suppono, ad actû Fidei supernaturalem expresſiorem, expresſiorem speciéquoque concurrere ex parte objecti, à quâ provenit illa major claritas, & perfectio actûs. Sic expresſiori actu creditur ab homine docto, quàm à rustico Mysterium Trinitatis, eò quod habeat expresſiores species circa tale Mysterium. Suppono etiã, has species posse esse naturales, vt tenent Ripalda d. 37. Sec. 2, & Godoy hic, d. 16. n. 313. & communiter alij. Quo supposito, sic argumentor: species illæ Trinitatis concurrunt, ex parte objecti, non solùm, vt sunt species Trinitatis in genere, sed etiam secundùm suam specialem claritatem, & perfectionem, quin hæc se habeat impertinenter, sed formaliter; si quidem ab illa vt tali provenit illa major expresſio actûs Fidei, quam experimur; sed tales species & acumé ipsarum sunt omninò naturales, & actus Fidei, & expresſio supernaturalis ipsius: ergo sicut ex parte objecti acumen naturale, quia concurrit vt elevatum deservit ad perfectiorem cognitionem supernaturalem, ita similiter ex parte potentię, vt elevatum poterit deservire ad perfectiorem visionem.

13. Probatur quartò vniversaliter: ab inæquali potentia naturali v. g. Angeli, & hominis cum ęquali principio supernaturali potest provenire actus supernaturalis inæqualis: ergo. Probatur antecedens: omnis actus independens, à phantasmatibus, cæteris paribus, est perfectior actu depédenti à phãtasmate; sed actus Angelicus Fidei, vel prudentię profluens ab habitu fidei, vel prudentię infusæ ęquali in homine, & in Angelo, in homine est dependens à phantasmate, & in Angelo independens: ergo perfectior erit Angelicus, quã humanus. Tũ sic: sed hęc perfectio independétiæ à phantasmate provenit formaliter ab excessu perfectionis intellectûs Angelici præ humano: ergo.

14. Confirmatur: clarior, & expresſior est cognitio vnionis extremorum, cum clarè, & expresſè cognoscuntur extrema, quàm cum ità non cognoscuntur: v. g. clarior, & expresſior esset cognitio Fidei humanę Petri v. g., qui haberet species claras & Limæ, & Proregis, eo quod vtrumque vidisset, si crederet alteri dicenti, Proregem fuisse Limam ingressum; quàm Pauli, qui hoc crederet, carens claris speciebus & Limæ, & Proregis, eo quod vtrumque nunquam vidisset. Nunc sic: Angelum gaudere speciebus perfectioribus objectorum naturalium, quàm hominem, certum est; vndè perfectius cognoscit & hominem, & mortem, quàm ipse homo. Ponamus nunc hominem, & Angelum gaudentes æquali habitu Fidei credere

ex Fide, hominem esse mortalem, seù vnionem mortis cum homine. Certè clarior, & expreſsior esset actus Fidei Angeli, quàm hominis, cum ille evidenter, & comprehensivè, vel quasi comprehensivè cognosceret extrema, non ità homo; sed hæc maior perfectio, & expreſsio actûs proveniret à maiori perfectione intellectûs Angelici præ humano: ergo.

15. Dices tamen: eam maiorem claritatem, & perfectionem cognitionis Angelicæ pręhumana, non esse intrinsecam, sed extrinsecam ipsi, provenientem scilicèt ab apprehẽsionibus perfectioribus pręcedentibus in Angelo.

16. Contra primò: vel hæ apprehensiones præcedentes sunt naturales, vel super naturales? Si naturales? Ergo sicut maior perfectio earum, & si naturalis, non se habet impertinenter, sed conducit ad majorem perfectionem actûs, ità & maior perfectio intellectûs, & si naturalis sit. Si supernaturales? ergo sicut, non obstante earum supernaturalitate, perfectiores sunt, quià proveniunt ab intellectu perfectiori, non solùm extrinsecè, sed etiã intrinsecè, ità & visio supernaturalis. Contra secundò: quià sicut conclusio deducta ex præmiſsis perfectioribùs est intrinsecè perfectior, quià ex natura rei proportionatur ipsis, ità & judicium subsequens perfectiores apprehensiones ob cõformitem cum eis perfectius erit intrinsecè.

17 Contra tertiò: nàm forte judicium est qualitas composita ex ipsis apprehensionibus: ergo cum eas intrinsecè includat, evadet intrinsecè perfectius. Contra quartò: nàm forte judicium non supponit necessariò apprehensiones prævias, licèt amor semper supponat cognitionem, quià ad actum potentiæ cæcæ prævia lux est necessaria. Ad judicium verò, quod & est lux, & actus potentiæ oculatæ, alia lux necessaria, & indispensabilis non est. In hoc ergo casu tota perfectio vnicè sisteret in judicio.

18. Dico secundò: *De facto ab intellectu perfectiori, cæteris paribus, evadit perfectior visio.* Probatur: à perfectiori potentia, debet attentâ rerum, & principiorum naturâ, provenire actus perfectior; in contrario enim reluceret violentia, & miraculosa providentia: ergo à perfectiori intellectu, cæteris paribus, evadit perfectior visio, maximè vbi connaturalitas statûs beatifici exigit violentiam omnem excludere, & miracula, quantum fieri potest, evitari. Ergo semel probato, vt probatum manet conclusione antecedenti, à perfectiori intellctu posse, attentis naturis rerum, perfectiorem visionem provenire, ità de facto fieri, tenendum est.

19. Roboratur: si omnes beati habentes merita æqualia, & æquale lumen de facto haberent æquales visiones, & si essent in intellectu inęquales, hoc esset vno è duobus modis. Vel conferendo

Deus

Deus concursum minorem potentiæ perfectiori, vt minoritate concursûs compensaretur maioritas perfectionis comparatione alterius, vel conferendo maius lumen potentiæ imperfectiori, vt maioritate luminis compensaretur minoritas perfectionis potentiæ; sed hæc de facto fieri nequeunt absque violentia, & miraculorum fictione: ergo ità de facto non fiunt. Maior est modus discurrendi contrarię sententiæ. Minor quoad primam partem constat: quià connaturale est, imò & debitum, quod causis secundis conferat Deus concursum commensuratum activitati ipsarum, & sicut denegando concursum, dum completæ sunt, ad operandum, violentiam inferret ipsis, ità denegando talem concursum juxta ipsorum perfectionem, & activitatem, cum ità sint completæ ad operandũ: ergo Deus subtrahens concursum vt quatuor, & conferens vt duo, intellectui perfecto vt quatuor, violentiam illi inferret. Quoad secundam etiam constat: quià cum supponatur, perfectiorem potentiam tantùm luminis meruisse quantum meruit imperfectior, tantum luminis conferendum est ipsi; aliàs propria perfectio, à Deô non attentis vllis meritis, sed liberaliter collata, illi obesset; quod inconveniens videtur. Vel illi iam pro præmio conferetur id ipsum, quod antea liberaliter collatum supponitur; quod indecorum est magnificentiæ divinæ. Cum ergo aliàs ex maiori perfectione visionis, lumine, & meritis æqualibus, nullum sequatur inconveniens, vt ex solutione argumentorum constabit, & hoc connaturalius sit, & cõformius Naturis, tenendum est, ità de facto evenire: vndè maiores Deo grates rependant, qui perfectiori intellectu, & acumine donati sunt.

20. Dices: lumen non esse præmium, sed dispositionem ad præmium consistens vnicè in visione: ergo, dum visio correspondeat meritis, sitque æqualis ipsis, nil interest, quod lumen sit inferius; sed in casu potentiæ perfectioris ità esset, cum lumen commensuretur intellectui, & principium totale resultans ex lumine, & intellectu sit juxta meritorum proportionem, taliter vt si intellectus sit vivax vt sex, & merita sint vt quinque, conferatur lumen vt duo pro pincipio adæquato producẽte visionem vt quinque; si verò vivacitas intellectûs sit vt duo, conferatur lumen vt sex pro eodem, si merita sint æqualia: ergo.

21. Contra tamen primò: ergo saltem dispositio proxima, nempè lumen, non erit conformis, & proportionata dispositioni remotæ, qualia sunt merita. Contra secundò: ergo similiter pro vivaciori, & perfectiori potentia volitiva dabitur imperfectior, & minùs intensus habitus charitatis, & imperfectiori potentiæ intensior, & perfectior habitus. Supponamus voluntatem per charitatem sanctificari, vel non

 distin-

distingui habitum charitatis à gratia habituali. Etiam Angelo dabitur habitus charitatis minùs intensus quàm homini, cum gaudeat vivaciori potentiâ, Ex quô vtique deducitur, hominem reddi magis sanctum, quàm Angelum, & quod æqualibus meritis homini correspondeat maius augmentum gratiæ, quàm Angelo, cedatque consequenter Angelo sua perfectio in præjudicium, & homini sua imperfectio in vtilitatem. Idem argumentum fit de vno homine comparatione alterius, è quibus imperfectior magis evadet sanctus, quàm alius.

SECTIO SECVNDA.

ARGVMENTA SOLVUNtur.

22. Obijcies primò; actus supernaturalis procedit à potentia naturali juxta mensuram concursûs divini; sed hic concursus solùm commensuratur habitui, & non potentiæ naturali: ergo. Probatur minor: concursus solùm exhibetur ad exigentiam creaturæ, sed ad actum supernaturalem solùm datur exigentia in habitu supernaturali, & non in potentia naturali: ergo concursus Dei tantum est ad actum juxta perfectionem habitûs, non verò juxta perfectionem Naturæ.

23. Respondetur: concedo maiorem, & distinguo minorē: sed hic concursus solùm commensuratur habitui, & non potentię; habitui seorsim sumpto, nego: habitui prout in potentia, & cum potentia, concedo. Habitus enim seorsim sumptus non exigit illum determinatum concursum, sed indeterminatum juxta naturam, & perfectionem potentiæ, cui conjungitur, cum natura humana concursum ad actū minùs perfectum, & cum naturâ angelicâ ad actum perfectiorem. Vndè secundùm se exigit, vt conjunctus inæqualibus potentijs inæquali concursu societur. Vel aliter respondetur: nego minorem: ad probationem nego item minorem. Habitus enim seorsim à potentia nullum exigit concursum, sed exigentia est in complexo resultante ex habitu, & potentia: quod complexum, cum perfectius sit, cæteris paribus, quando perfectior est potentia, perfectiorem exigit concursum, & concursum perfectiorem, quē sejunctus à potentia perfectiori non exigit, ei conjunctus exigere potest. Sic cum conjunctum ex habitu, & potentia sit heterogeneum, exigit concursum perfectiorem, quem nec habitus secundùm se, nec potentia secundùm se exigere queunt. Sic gratia non diligitur amore amicitiæ à Deo seorsim, nec natura rationalis seorsim, & tamen complexum exigit amorem amicitiæ. Ità similiter &c.

24. Obijcies secundô, & simul replicabis: si cum æquali lumine perfectior intellectus perfectiores

res eliceret visiones, excessus visionis provenientis à perfectiori intellectu corresponderet Naturæ, & non gratiæ: quod Pelagianismum sapit. Talis namque excessus supernaturalis est, & nil supernaturale potest in naturam refferri. Casus rem declaret. Ponamus, vnum intellectum perfectiorem alio vt duo; ponamus item, quod vterque intellectu gaudeat lumine perfecto vt sex. Tali casu, intellectus perfectior videbit Deum vt decem, & intellectus minùs perfectus vt octo: ergo hi duo gradus excessûs non corresponderent lumini, sed intellectui. Cum lumen sit æquale in vtroque, & vnicè ex excessu illo naturali dimanat excessus visionis. Indeque inferretur; Beatum per sua naturalia se discernere in supernaturalibus ab alio minùs Beato.

25. Faber in tertiò d. 33. cap. 2. absque vllo scrupulo concedit, actus supernaturales, quà perfectiores in solam naturam referri: cum ex eo, non inferatur, in ea dari vires se solâ ad entitatem actûs. Sed hac loqutione, vt periculosâ, relictâ, respondetur: nego sequelam tam argumenti, quàm casûs: talis enim excessus duorum graduum non est referendus in intellectum, nec in majorem perfectionem intellectûs nudè sumptam, sed in majorem perfectionem, vt elevatam per lumen, seù in complexum resultans ex lumine, & perfectiori intellectu, quod quidem complexum cum sit perfectius complexo ex æquali lumine, & inæquali intellectu, perfectiorem edit visionem. Sic propositum supernaturale faciẽdi aliquid, in viro robusto & constanti, est immobilius, quàm in fæmina: qui excessus immutabilitatis, & constantiæ supernaturalis est, & tamen provenit à robustiori natura viri præ fæminâ, non secundùm se, & nudè sumptâ, sed vt elevatâ ab auxilio supernaturali. In quo nil contra supernaturalitatem: nec Beatus se discerneret à minùs beato per naturalia nudè sumpta, sed per naturalia, vt elevata à supernaturalibus.

26. Obijcies tertiò, & simul replicabis ex Lumb. num. 508. Intellectus solùm est elevabilis secundum quod lumen est elevativum; sed lumen vt sex solùm est elevativum intellectûs ad visionem vt sex, juxta vires ipsius luminis, non verò ad visionem vt octo, juxta maiores vires intellectûs: ergo ea major intellectûs perfectio omninò materialitèr se habet pro visione. Maiorem probat numero sequenti, ità: natura non elevatur supra virtutem elevantem, sed omninò commensuratur cum illa in producendo. Habet enim se, sicut candela accensa circundata toto sole, & vna fax eodem modô toto sole possessa. Licèt enim fax excedat in virtute candelam, hic excessus absorberetur casu posito à sole non permittente facem lucere magis, quàm candelam. Vndè si sit vnus intellectus malus, & alius bonus,

dicet

dicet lumen; parum interest: ego namque vtrumque faciam æqualem ad visionem eliciendam,

27. Retorqueo in maiori immutabilitate propositi supernaturalis eliciti à viro robusto præ fæmina. Sæpè enìm cum ęqualitate habitûs, seù auxilij immobilius evadit propositum viri, attentâ ipsius naturâ, præ proposito fæminæ.

28. Respondetur, concedo majoré, & nego minorem, & suppositum ipsius, quod lumen vt sex, non habeat vires ad producendam visionem vt octo cum intellectu perfectiori: in elevando enìm nonminûs conmmensuratur lumen naturæ intellectûs, quàm intellectus naturæ luminis. Cum enìm principium producens sit tàm intellectus, quàm lumen, hoc est complexum ex vtroque, & complexum ex lumine vt sex, & intellectu vt octo sit perfectius complexo ex eodem lumine vt sex, & intellectu vt sex; indè est, quod perfectior visio evadat illìc, quàm hìc. Hìnc patet solutio ad probationem, quæ solùm vocibus constat: nec enìm exemplum est ad rem. Solùm enîm excessus infinitus simpliciter absorbet maioritatem, vel minoritatem perfectionum excessarum: sic attributa divina per nos sunt æqualia formaliter. Vndè aliqui dicunt, facem sole cinctam plus lucere candelâ eodem sole circundatâ, quin exhauriatur illa maioritas, vel minoritas lucis. Vel saltem excessus quasi infinitus, qualis datur in sole comparatione facis, & candelæ, & nullatenùs reperitur in lumine comparatione intellectuum, est sufficiens disparitas. Dictum illud luminis probet Lumbier, vel à dicto & conclusione recedat.

29. Obijcies quartò: ergo duo homines æquales in meritis, si fortè inæquales sint in intellectu, necessariò erunt inæqualiter beati: nàm, qui perfectiori gauderet intellectu, perfectiori necessariò visione gauderet: quod absurdum videtur, & contra Concil. Trident. dicens, visionem esse perfectiorem pro ratione meritorum; non ità esset ibi, sed pro ratione perfectionis naturalis intellectûs. Vndè etiam poterit dici, hominem majori meritorum pondere ornatum, sæpè minori gaudere visione, si alius fortè majori, & perfectiori gaudeat potentiâ.

30. Varias solutiones, variè tamen impugnatas, exhibent huic argumento DD. Pater Ripalda num. 15. iudicat, consequentiam non inferri, eo quod, non omnes actus eliciti à potentia perfectiori debent esse perfectiores: sic homo, licèt perfectior, non videt perfectiùs quàm Aquila, non odoratur perfectiùs, quàm canis, neque audit perfectiùs, quàm serpens: ergo neque intellectus perfectior cum habitu æquali eliciet necessariò perfectiores visiones, sed quandoque equales, juxta æqualitatem luminis. Ratio est: quià Deus non tenetur præparare semper potentiæ cum

re-

requisitis concursum, vt operetur, quantum potest in actu primo, sed quantum petit, non autem potentiæ diversæ petunt inæqualitatem in omni operatione, & sic posset Deus concursum temperare, vt vterque juxta æqualitatem luminis æqualiter videret. Doctrina vniversalis est vera, vt autem hìc, & nunc applicatur, non placet. Certum enìm est, quod sicut à principio perfectiori potest quandoque oriri actus imperfectior, potest etiam actus perfectior oriri. Imò hoc frequentius est. Cur ergo semper ab inæquali intellectu æquali lumine ornato de facto semper evadent ęquales visiones, cũ possint naturaliter evadere inæquales juxta inæqualitatem intellectuum? Si recurras ad concursum Dei æqualiter semper collatum æquali lumine gaudentibus, contra erit: ergo, cum non semper principia inæqualia æqualem concursum exigant, sed iam majorem, iam minorem juxta intensionem, quâ se applicant, in collatione cõcursûs æqualis semper non attendet Deus exigentijs principiorum, sed luminis tãtùm. Et iam incidit Ripalda in solutionem ab ipso impugnatam. num. 14.

31. Ipse Ripalda num. 15. secundam exhibet solutionem: nempè, visionem intellectûs perfectioris esse perfectiorem aliâ entitativè, perfectione scilicèt desumpta à principio; non tamen in esse beatitudinis, perfectione nempè desumpta ab objecto beatificante; siquidem ab æqualitate luminis, vtraque visio esset æqualis expressio objecti. Displicet: nàm hoc est in campos, & arma adversariorum transfugere: nemo enim dubitare potest, à principio perfectiori actus desumere aliquam perfectionem; vndè evadant physicè, & entitativè perfectiores. Et si hoc dubitetur, erit res, & negotium purè philosophicum. Quod autem hìc inquiritur, & dubitatur est: an à perfectiori intellectu communicetur aliqua major perfectio visioni, in ratione visionis, expressionis, majoris vè claritatis repræsentativæ objecti? Si autem hæc non communicatur, transfugis in contrariam sententiam.

32. Responderi potest primò, nè inconveniens argumenti sequatur: Deum non conferre gradus luminis juxta æqualitatem meritorum absolutè; sed attenta perfectione, & qualitate intellectûs. Vndè Angelo v.g. cui æqualiter meretur homo tantò minus luminis gloriæ confertur, quantò eius intellectus superior est humano, & homini, tantò plus luminis, quantò inferior eius intellectus est Angelico. Taliter denique commensurantur, vt complexa intellectûs, & luminis in ordine ad visionem evadant æqualia.

33. Si insurgis primò cum Ripalda, etiam lumen esse præmium, ac proindè, si æqualibus meritis inæquale conferretur lumen, sequeretur, lumen ipsum inæqualiter præmiari, & aliqua Angeli me-

li merita impræmiata manere? Respondebitur: lumen non esse præmium secundum se, nisi in ordine ad visionem, & pro visione, quæ est præmium formaliter tale, juxta illud *visio tota merces*. Cum enim in casu argumenti, licèt lumen sit inæquale, visio esset æqualis, præmium vt tale esset æquale, nec aliqua merita impræmiata manerent. Exemplum sit: Si pro certamine vestis purpurea apponeretur vt præmium, & dupplex homo procerus alter, alius pucillus æquè certarent, æquè certè præmiarentur, si juxta vniuscujusque staturam vestis adaptetur, nàm licèt in homine altiori plures purpuræ vlnę exhauriantur, hoc de materiali se habet, & solùm vestis de formali, quæ in vtroque æqualis est.

34. Si insurgis secundò cum eodem Ripalda: æqualiter merentes æquali gratiâ gaudent: ergo æquali lumine, & æquali Charitatis habitu; cum sint proprietates gratiæ, & proindè debeant dari ad mensuram radicis. Respondetur: complexum ex habitu, & potentia debere esse æquale gratiæ in ratione principij, non verò in gradibus habitûs. Nàm licet lumen, & habitus sint proprietates gratiæ, non sunt proprietates omninò physicæ, sed habent multum de morali, vt patet in habitibus Fidei, & Spei remanentibus in peccatore sine gratia. Cum autem non observent totum rigorem proprietatum physicarum, non debent æquari gratiæ in gradibus, sed in principio productivo actuum. Relictis ergo alijs solutionibus, quas impugnat Cōpton. à n. 5.

35. Respondetur meliùs, & faciliùs concedendo absque vlla restrictione, quod, & si æqualiter meruerint homo, & Angelus, hic penes perfectiorem intellectum, perfectiorem eliceret visionem, perfectiùsque bearetur: hæc autem maioritas visionis non se haberet, vt præmium formaliter, neque correspenderet meritis vt talibus, sed vt donum gratuitum, & ex liberalitate radicali præmiantis; qui, sicut, & Angelo omninò liberaliter dedit intellectum perfectiorem, quàm homini, consequenter perfectiores operationes, ac proindè perfectiorem visionem præstat. Vndè præmium vt tale est omninò æquale, cum sit debitum, & titulus inducens obligationem sit æqualis; liberalitas tamen, quæ est omninò gratiosa, & voluntaria, est inæqualis. Et sicut Angelo dedit perfectiorem intellectum, quàm homini, sine hominis injuria, ita & dat perfectiorem visionem. Dummodò enim homini non deneget visionem suis meritis æqualem, illi injuriam non facit, & si Angelo æqualiter, imò & inæqualiter merenti maiorem conferat.

36. Replicabis: ergo tota illa visio non esset merces, & præmium, sed aliquid ita esset & aliquid correspenderet viribus, & perfectioni naturali: quod videtur contra Sacram

-cram Scripturam vocantem visionem præmium, & mercedem, videturque favere errori Pelagianorum, & Beguardorum: vndè ex dicto cap. 21. n. 5. judicat hoc parum tutum, & Fidei principijs minùs conforme.

37. Respondetur: certum esse, totam illam visionem secundum totum, quod dicat, non esse mercedem: sed ex eô, nec infertur primò, excessum illum visionis ita adscribi naturæ, vt nullo modo fundetur in gratia, seu naturæ nudè sumptæ, & secundum se, vt hæc non supponatur elevata per gratiam. Hoc affirmant Hæretici, Nos verò contrarium. Nec infertur secundò, aliquos, vel aliquem esse gradum in visione, in quem non influat simul lumen cum intellectu. Nàm intellectus, & lumen sunt causæ partiales partialitate causæ tantùm, non verò partialitate effectûs simul. Vndè in omnes illos gradus, in quos influit intellectus, influit & lumen, licet intellectus perfectior cum eodem lumine plures gradus, seù potiùs clariorem visionem producat, quàm imperfectior. Hinc, & ex dictis supra, constat quàm distans sit nostra à sententia Hæreticorum gratiam, & elevationem negantium.

38. Item cum Scriptura & PP. vocant mercedem, & præmium nostram visionem, non debent ità intelligi, vt secundum se tota in omnibus sit præmium, & merces proprij laboris personæ præmiatæ. In pueris non est merces proprij laboris ipsorum, nec in adultis, quoad illum gradum, qui correspondet gratiæ Sacramentali. Vndè dic, eos gradus excessûs correspondere liberalitate Dei, seù titulo liberalitatis, vel hæreditatis per Christum esse collatos, correspondereque non meritis ipsius Beati, sed meritis Christi, ob quæ datus est melior ille intellectus velut effectus prædestinationis. Et in hoc sensu, si vis, dic: totam illam beatitudinem esse mercedem, dari propter merita, & proportionari ad merita, vel propria vel Christi nobis applicata, & apropriata. Et ita distingue propositiones oppositas.

39. Replicabis: ergo excessus visionis erit purè Philosophicus, & non Theologicus: quod non negatur ab adversarijs. Vt consequentiam negem, vel concedam, dic, quid intelligis per voces: *excessus Theologicus*, vel *Philosophicus*? Si intelligas, rationem præmij, vt talis per vocem *Theologicus*, & contrarium per vocem *Philosophicus*, illam libenter concedo: sed ex hoc non sequitur, talem visionem non esse intrinsecè clariorem, perfectiorem, & intensiorem, in quo vnicè stat quæstio, & quod negat contraria sententia, posse provenire nisi à lumine intensiori, & perfectiori, & quidem nil aliud posse intelligi, congruè per visionem Theologicam, seù theologicè acceptam judico. Et dummodò hoc concedas,

parum disputabo, si velis eas visiones æquales Theologicè appellare, quia vt sortiuntur rationem præmij æqualiter se habent: ita certè est.

40. Replicabis primò: hinc jam instaurabitur operariorum querela. *Math.* 20. v. 10. *venientes autem primi arbitrati sunt, quod plùs essent accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversùs Patrem Familias dicentes. Hi novissimi vna hora fecerunt, & pares nobis illos fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstûs.* Id ipsum certè poterat dicere, qui eò quod imperfectiori gauderet intellectu, & si majori meritorum cumulo polleret, æqualem tantùm visionem eliceret ei, qui minori merito majori intellectu frueretur.

41. Ipse tamen Christus Dominus replicæ respondet egregiâ doctrinæ confirmatione. *At ille respondens vni eorum dixit: Amice non facio tibi injuriam: non nè ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est.* Hoc est, cum nihil auferatur à pretio conventionis, quod labori respondet, tibi nulla irrogatur injuria: *Volo huic novissimo dare, sicut & tibi. An non licèt mihi, quod volo facere?* Addit Vatablus *in rebus meis.* Hoc est: in rebus meis, quales sunt specialissimè dona supernaturalia, vt visio, quod ex liberalitate, & voluntate mea faciam, nemini debet esse querelarum occasio.

42. Replicabis secundò: major activitas intellectûs, cum sit ordinis naturalis, est beneficium naturæ, non gratiæ, est à Deo creatore, non à Deo glorificatore: ergo in hoc beneficio nequit fundari, vt in radice, augmentum gloriæ, & maioritas visionis, utpotè quid supernaturale excedens omnem Naturæ exigentiam, & proveniens à Deo glorificatore formaliter.

43. Respondetur, concesso antecedenti, distinguendo consequens: ergo in hoc beneficio nequit fundari vt in radice augmentum gloriæ, vt in radice exigente, & connaturali, concedo: nàm vt sic esset debitum illud augmentum; vt in radice capaci, & obedientiali, nego: vt sic enim nõ exigit, sed non repugnat, vt elvata juxta potentiam obedientialem producat visionem eo augmento, & maioritate gaudentem.

44. Obijcies quintò Angelicum Doctorem 1. part. quæst. 12. art. 6. Vbi statuit, totam perfectionem visionis refundi in lumen gloriæ, non verò in intellectum his verbis: *facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundùm suam naturam; sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam Dei conformitate constituit. Vndè intellectus plùs participans de lumine gloriæ perfectiùs Deum videbit.* Insuper, in solutione ad tertium argumentum hæc habet. *Diversitas videndi Deum erit per diversam facultatem intellectûs*

ctùs, non quidem naturalem, sed gloriosam.

45. Respondetur: S. Doctorē solùm affirmare, à perfectiori lumine perfectiorem visionem egredi. Insuper: potentiā videndi Deum, seù producendi visionem, non esse à natura nudè sumpta, & secundùm se. Vtrumque etiam, & nos affirmamus: non tamen negat, à natura perfectiori vt elevata non progredi perfectiorem visionem. Imò potiùs affirmare videtur, primò in illis verbis: *non competit intellectui creato secundùm suam naturam*. Hæc enìm reflexio arguit, quod illi competit vt elevato per gratiam. Secundò in illis verbis: *Diversitas erit per diversam facultatem intellectùs*: nàm licèt addat, *non quidem naturalem, sed gloriosam*, hoc etiam, & nos addimus.

46. Obijcies tertiò pro tertia sententia. Actus supernaturales viæ procedunt liberè, & juxta conatum naturæ, qui æqualiter se habet ad actus supernaturales, ac ad naturales; non ità actus supernaturales Patrię, qui fiunt juxta conatum gratiæ necessitantis naturam: ergo licèt actus vię possint evadere inæquales juxta inęqualitatem naturæ; non tamen actus Patriæ ab inæqualitate gratiæ vnicè regulabiles.

47. Respondetur: argumētum nō probare vniversaliter de omni actu supernaturali Patriæ: nàm etiam in Patria plures fiunt liberè, & juxta naturæ conatum, vt plures actus obedientiæ, & religionis. Insuper: nec ex maiori conatu naturæ erga actus liberos, quàm erga necessarios infertur essentialis inæqualitas actuum viæ, & Patriæ, nec actuum viæ inter se, sed solùm graduales penes maiorem, vel minorem intensionem, de quâ inæqualitate non loquimur in præsenti, sed de prima, quę, cum proveniat à perfectione principij, ęquè potest reperiri tàm in actibus liberis, quàm in necessarijs, quomodocunque comparentur.

48. Obijcies quartò ex Patr. Suarez (& est communis nostris probationibus Thomistarum solutio) Intellectus non agit, nisi vt elevatus. Item nisi elevaretur, nullatenùs ageret: ergo solùm agit juxta quantitatem elevationis; sed per æquale lumen fit ęqualis elevatio: ergo, & si intellectus sit inæqualis, & perfectior, stante æquali lumine, ęqualis evadet visio, eius perfectione commensurata ad principium elevans, & non ad potentiam elevatam.

49. Respondetur, distinguendo antecedens: intellectus non agit, nisi vt elevatus, id est, elevatio est tota ratio agendi, nego: id est, nisi elevaretur, non ageret, quæ est secunda pars antecedentis, concedo: cum autem intellectus simul agat, & producat, non est cur eius vis, & activitas comprimatur. Vndè non est taxanda cum principio vnicè elevante, scilicèt lumine, sed cum toto principio producente, resultante ex lumine, & intellectu: Sic nec

oculus agit sine specie visibili, nec intellectus sine specie intelligibili, & nisi haberent illas, non agerent, & tamen cum æquali specie, perfectior potentia visiva, & vivacior intellectus perfectiorem visionem, & intellectionem producunt.

50. Obijcies quintò ex eodem cap. 21. num. 15. & simul replicas: lumen gloriæ in quocunque intellectu ponatur, nullo intellectûs defectu impeditur, sed juxta totam suam activitatem elevat potentiam ad visionem; sed quoties aliqua operativa causa determinans aliam ad certum effectum adimplet suam efficaciam, nequit cum alia & si perfectiori, efficaciùs operari: ergo nec lumen positum in perfectiori intellectu perfectiorem visionem: quod eildē exemplis confirmat. Species enim vt quatuor si excerceat in potentia visiva, vel intellectiva totam suam activitatē vt quatuor, in alia potētia, etsi perfectiori, nequit effectus perfectiores producere. Quod visiones sint inæquales, ex eo provenit, quod in potentia perfectiori nō excercet totam suam activitatem: vndè in vna potentia elicit visionem vt tria, & in alia vt quatuor; in nulla verò potest elicere visionem vt quinque.

51. Tota doctrina, & deductio argumenti falsa est. Vndè negatur minor, & applicationem potentiæ visivę. Ratio est: quia licèt causæ præcipuè æquivocæ, quales sunt intellectus, & lumen nequeant aliquem effectum intensiorem sê producere, cum illum non contineant in sua virtute, conjunctæ tamen illum producere queunt, & continent: tùnc enìm pensanda est activitas complexi, in quô datur virtus proportionata. Vndè experimur duo pondera vt vnum producere impulsum vt duo, qui in nullo eorum seorsim continetur: quapropter, & si lumen in quocunque intellectu secundùm totam suam activitatem operetur, in intellectu perfectiori perfectiorem elicit visionem, tum comparatione ad aliam elicitam ab imperfectiori intellectu, tùm comparativè ad se; idem dic de specie visiva, & intelligibili in potentia visiva, & intellectiva: quàpropter lumen, & species vt quatuor possunt producere visionē perfectā vt quinque, cum hæc, licèt excedat perfectionem luminis, & speciei, non excedat perfectionem principij adæquati resultantis ex lumine, & intellectu, cui comparanda, & commensuranda est.

52. Obijcies sextò: intellectus est de se indifferens ad quamcunque intensionem visionis, ad hancque determinatur à lumine, non verò lumen determinatur ab intellectu, cum hoc tribuatur sub certa mensura meritorum: ergo lumen, & non intellectus debet esse mensura visionis.

53. Confirmatur: intellectus concurrit ad visionem vt elevatus, & secundùm potentiam obedientialem ipsius: ergo non concurrit vt specificè, & individualiter diversus

ſus ab alio, ſed ſolùm vt intellectus, & genericè conveniens cum reliquis in ratione intellectivi, capax ſcilicèt elevari magis & minus juxta intenſionem, & qualitatem luminis elevantis: ergo major ſpecifica, & individualis perfectio intellectûs materialiter ſe habet, & vnicè attendenda eſt intenſio luminis.

54. Reſpondetur: quod cum indifferētia intellectûs ad viſionem non ſit merè paſsiva, ſed activa, licèt per lumen determinetur ad perfectionem ſpecificam actûs, ſupernaturalitatem nempè, & non è contra, non tamen ità determinatur ad gradualem, vt ſimul non determinetur lumen ab intellectu, quô cum juxta perfectionem naturalem ipſius, jam magis, jam minus intenſam viſionem producit, etiam ſe ipſâ intenſiorem, dummodò intenſior, & perfectior non ſit principio adæquato reſultante ex lumine, & ipſo intellectu. Vndè menſura viſionis non debet eſſe lumen tantùm, ſed principium adæquatum. Sic intellectus ex ſe indifferens ad viſionem, & intenſionem viſionis determinatur ab ſpecie, & tamen eadem ſpecies in intellectu vivaciori determinatur etiam ad intenſiorem viſionem.

55. Confirmatio, cui precipuè innititur Amicus, ſoluta manet ex noſtris probationibus. Licèt enim potentia obedientialis fundetur in ratione entis creati, non ſolùm elevatur, & concurrit ad productionem ratione entis creati, ſeù intellectivi genericè ſumpti, ſed tota entitas ſpecifica, & individualis. Tùm quià juxta Ariſtotelem, actiones ſunt ſingularium, & circa ſingularia, & ità ſicut nequit produci à parte rei viſio genericè, quia non datur à parte rei gradus genericus ab ſpecifico, & individuali ſejunctus, ità neque à parte rei poteſt dari intellectus genericè ſumptus, & ſecundùm rationem intellectivi producere. Cum ergo tota entitas, ſeù totus intellectus concurrat, & producat, conſequens eſt, perfectiorem viſionem producere, ſi perfectior ſit.

56. Obijcies ſeptimò: ſigillum aureum non magis confert ad impreſsionem ſigni, quàm ferreum, licèt ſit perfectius: idem ergo dicendum de intellectu perfectiori reſpectu viſionis. Confirmatur: etiam ſi aurum ſit perfectius aquâ, ſi Deus ſtatueret conferre gratiam per aurum, vt modò confert per aquam in Baptiſmo, perfectio auri nil conferret ad conferendam majorem, ſeu magis perfectam gratiam. Sic ergo major perfectio intellectûs comparatione viſionis.

57. Reſpondetur, conceſſo antecedenti & argumenti, & confirmationis, negando conſequentiam vtriuſque. Diſparitas pro vtroque eſt eadem. Maior perfectio auri præ ferro ad impreſsionem ſigni, & præ aqua ad gratiam, omninò impertinenter ſe habet ad eos effectus, cum quibus nullam dicunt pro-

por

portionem ; & correſpondentiam ; aliter autem perfectio intellectûs cum viſione, cum intellectivus ſit ille, & ipſa intellectio, ille repræſentativus, & ipſa repræſentatio, & cum in eam totus intellectus concurrat, totuſque elevetur à lumine, totus, totaque ejus perfectio ſe habet de formali, & communicat perfectionem viſioni.

58. Obijcies octavò: ex noſtra doctrina ſequi, hominem in via ob perfectiorem voluntatem poſſe elicere cum æquali auxilio perfectiorem actum meritorium; quod videtur non conſentaneum doctrinæ SS. Patrum in materia de gratia, ex qua debet oriri dignitas, & major dignitas actûs.

59. Reſpondetur: inconſentaneum eſſe doctrinæ Patrum; quod voluntas abſque elevatione eliciat actum meritorium; non verò, quod ſemel elevata eliciat actum perfectiorem, & intenſiorem ipſo habitu juxta perfectionem voluntatis. Sic vivacior intellectus hominis docti v. g. cum æquali habitu Fidei, elicit aſſenſum Fidei firmiorem, quàm eliciet Ruſticus. Neque enim elevatio eſt gradualis, ita vt ſi habitus ſit intenſus vt quatuor, ſolùm elevet quatuor gradus perfectionis voluntatis, reliquos inelevatos relinquens, ſed elevat totam potentiam, vt tota potentia concurrat cum habitu. Cum ergo tota potentia ſit perfectior, perfectiorem quoque producit effectum. Indeque exhortamur ad diligendum Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, non ſolùm quantum fert intenſio habitûs, ſed quantum fert activitas potentiæ.

QVÆTIO IX.

DE TERTIO PRINCIPIO pro viſione conficienda, nempè objecto.

1. Certum eſt, ad quamcunque cognitionem requiri duo principia, nempè potentiam, & objectum, juxta illud: *Ex potentia, & objecto paritur notitia.* Egimus jam de his, quæ requiruntur ex parte potentiæ, intellectu ſcilicet, & lumine gloriæ, vel auxilio extrinſeco eius vices ſupplente. Reſtat nunc agere de alio principio, nempè objecto. Cum autem objectum ſit cauſa efficiens cognitionis, & hoc munus poſsit adimplere vel per ſe ipſum, vel mediante aliquâ ſpecie ſui,

2. Rogas: an Deus de facto concurrat ad viſionem ſui per ſe ipſum immediatè, vel mediâ ſpecie impreſsâ? Prima ſententia tenet concurrere per ſpeciem impreſſam. Ità Vazquez, & Granad. Secunda communis Theologorum, per ſe ipſum concurrere, tenet. Probatur; quià Angelus eſt objectum ſibi ſatis præſens, & proportionatum, ſe cognoſcit abſque vlla ſpecie impreſſa, ſed potius ipſomet gerente vices ſpeciei, juxta Theologos; ſed

Deus est intimè præsens, estque objectum proportionatum intellectui beatorum: ergo vt cognoscatur ab ipsis, non est necessaria vlla species impressa, sed ipse immediatè concurrit.

3. Si obijcias primò: omnia principia partialia cognitionis debere esse intrinseca potentię, vt connaturaliter operetur, ideòque lumen infunditur intellectui, vndè iam si Deus se ipso, & non mediâ specie concurreret, cum nequeat inhærere intellectui, neque hic operaretur connaturaliter. Respondebitur: omne principium se tenens ex parte potentiæ debere inhærere ipsi, & quià lumen ità se habet, ità inhæret; non tamen omne principium se tenens ex parte objecti: vndè si hoc sit intimè pręsens absque inhærentia, naturaliter se habebit. Sic objectum tactûs, & gustûs sine inhęrentia, & specie impressa determinat potentias.

4. Si obijcias secundò: quod si non concurreret Essentia divina mediâ specie impressâ, deberet concurrere se ipsâ, & non per Omnipotentiam: concurreret enim vt causa partialis. Item motivum per se visionis esset ipsa, vt talis, & non vt Omnipotentia; sed objectum motivum visionis est, quod debet concurrere: ergo. Denique ità efficienter concurrere, non dicit imperfectionem: ergo concedendum est ipsi Essentiæ? Respondebitur: nego sequelam, quam cum aliquibus admittere possem. Ad primam probationem: non obstat, quod causa vniversalis hîc particulariter se habeat. Ad secundam dic, quod sufficit, quod motivum actûs concurrat ad illum per aliquam potentiam sibi realiter identificatam. Vndè essentia, quę est motivum actûs concurrit ad illum, non quatenus essentia, sed quatenus essentia productiva, seu realiter identificata cum Omnipotentia. Ad tertiam dic, supposita distinctione formali inter essentiam, & Omnipotentiam (quæ hîc debet supponi, nàm si adhuc formaliter identificentur non est quæstio) non quidquid non dicit imperfectionem, debere cōcedi formaliter Essentiæ secundùm expressionem Essentiæ: huic enìm non conceduntur in communi sententia formaliter omnia prædicata attributalia, & tamen non dicunt imperfectionem. Stet ergo de facto non dari speciem impressam intuitivam Dei, mediâ quâ efficiatur visio beatifica. Vtrùm autem sit possibilis talis species impressa, hæc certè non parva, nec contemnenda difficultas, pro qua sit

SECTIO I.

VTRVM SIT POSSIBILIS *species impressa Dei.*

5. SVppono primò: quæstionem procedere de cognitione intuitiva, & clara Dei: dari enim speciem impressam in ordine ad cognitionem ipsius abstractivam, certum judico.

6. Suppono secundò: dubitari non posse, stando nostris principijs admittentibus tùm potentiam obedientialem activam, tùm intellectionem in sola qualitate consistere, posse elevari lapidem v. g. aliudvè ens ad producendam obedientialiter cognitionem intuitivam Dei; hic tamen non est casus præsentis quæstionis, nec talis lapis diceretur tunc species impressa Dei. Hæc autem in sensu præsentis quæstionis debet esse qualitas, quæ ex natura sua habeat vim talem visionem producendi, & ad id ordinetur. Et de hac inquirimus, vtrum sit possibilis? In eo sensu, quô in physicis, licèt non dubitemus, esse possibile instrumentum obedientiale creationis, rogatur, an sit possibile instrumentum naturale creationis? quod licèt ex defectu æqualis perfectionis, sit instrumentum, non tamen ex defectu virtutis connaturalis, vt calor respectu ignis.

7. Suppono tertiò cum communi Theologorum sententia contra Vazquez primâ part. d. 43. cap. 7. Alarcon, & alios, Deum de facto non videri per speciem impressam, sed se ipso immediatè objectivè causare sui visionem: nàm quando objectum ipsum est præsens, & proportionatum, otiosa videtur substitutio, & quod aliud loco illius concurrat. Ad quid enim Legatus præsente Legatario? Prorex ad Regis præsentiam, & Vicarius Episcopo asistente? Sed de facto Deus est præsens intellectui, potensque agere visionem: ergo illam de facto se ipso producit. Hinc est, quod naturaliter nequeat dari species impressa Dei, cum sit omninò otiosa; ast cum hæc otiositas possit divinitùs vinci, inquirimus: vtrum sit divinitùs possibilis?

8. Suppono quartò: Deum respectu visionis beatificæ dupliciter se habere, & in eam influere. Primò, vt causam vniversalem, & titulo causæ primæ, in quô æqualis evadit visio cum reliquis effectibus creatis à Deo vt à causa prima dependentibus per immediatum influxum. Secundò, vt causam partialem, & titulo objecti, quatenus scilicèt repræsentat Deú, & sub hac cõsideratione Deus est causa partialis illius, eo modo, ac quodlibet objectum est causa cognitionis ad ipsum terminatæ. Vndè in visione duæ reperiuntur formalitates, & formalitas *entis creati*, & formalitas *repræsentationis*: vt est ens creatum, respicit Deum vt causam primam, & vniversalem. Vt repræsentatio eundem respicit vt causam par-

particularem, & per modum objecti influentis, sicut alia objecta influunt in sui cognitiones.

9. Suppono quintò cum communi Philosophorum sententia, objecta concurrere effectivè ad proprias ipsorum repræsentationes, vel se ipsis immediatè, si sint sufficienter approximata ad potentiam, vel medijs speciebus impressis ab ipsis productis in intellectu receptis, & illorum loco effectivè concurrentibus, si ad potētiam satis approximata non sint, & ideò species objectorum semen appellantur: hoc deducitur ex mente D. Augustini lib. 9. de Trinitate cap. 2. sic dicentis: *Tenendum est, quod omnis res, quancumque cognoscimus, generat in nobis notitiam sui, ab vtroque enim notitia paritur, cognoscente, & cognito.* Ex quibus Sancti Doct. verbis ortum habuit illud Philosophorum dicterium: *ex objecto, & potentia paritur notitia*, sumptâ metaphorâ à generatione viventium: nàm objectum se habet vt Pater, intellectus vt mater, species vt semen loco patris sæpè distantis concurrens, & notitia vt Filius.

10. Suppono sextò (nè quæstio nominibus misceatur) hìc à DD. sub notiori nomine speciei impressæ re ipsa inquiri: vtrùm sit possibilis aliqua qualitas, quę vices Dei gerat quoad specialem influxum objectivum in visionem beatam? Vndè concedere ex vna parte, possibilem esse hanc qualitatem, & negare esse appellandam speciem impressam, est totùm quæstionis intentum concedere in re, & solùm negare illud in voce.

11. Suppono septimò: hìc non loqui de concursu vniversali, & communi erga omnes effectus creaturarum, quem Deum cedere non posse, nec posse committere alicui creaturæ loco ipsius concurrenti, potiùs supponunt, quàm probant communiter DD. licèt nos contrarium defenderimus in Physicis: sed de concursu particulari objectivo, quem habet in visionem. De hocque inquirimus: an possit Deus illũ committere alicui qualitati, quæ vices ipsius Dei gerat in hoc? Et an possit Deus se habere erga visionem sui, sicut de facto se habet color erga sui cognitionem, quam non immediatè, & se ipso, sed mediâ specie impressâ producit. In quô

12. Prima sententia tenet, impossibilem esse talem speciem impressam. Ita Thomistę omnes. Cayet. Ban. Carmel. dist. 2. dub. 14. Joann. à S. Thoma dist. 3. de Anima. Mag. Gonet. dist. 2. de vis. §. 3. num. 16. Ex Nostris PP. Granad. Arrub. Tann. Recup. vterque Lugo. Ripal. Ald. Amic. Quiros. Tum tract. de vis. Tum hìc dist. 25. His adde Magist. Lumb. tract. de vis. q. 11. à 22. num. 146.

13. Secunda, & nostra sententia, possibilem esse, defendit. Ita illustrissima Schotistarum Familia cum suo Subtili Doct. Mastr. tom. 1. dist. 6. de vis. artic. 1. Nomi-

 nales,

nales, & ex Nostris, præter citatos omnes, Eximius, & Acutissimus Molin. Ual. Alarc. Arriaga dist. 6. de anima sect. 2. Oviedo contr. 3. punct. 6. Sparsa, Leon. & Compt. dist. 17, sect. 1.

14. Probatur primò conclusio ratione communi in quæstionibus de potentia absoluta: nulla datur repugnantia in prædicatis speciei impressæ Dei: ergo non repugnat species impressa Dei. Antecedens, præter quam quod ex solutione argumentorum constabit, constabit etiam ex ipsis prædicatis constituentibus speciem impressam rectè consideratis, quæ ita sunt: *qualitas objectivè, seu vice objecti determinans ad visionem*: in quibus certè pro Deo positis nulla inveniri poterit repugnantia.

15. Probatur secundò ad hominem, evertendo primum scilicet adversariorum fundamentum: ideo per vos est impossibilis species impressa Dei, quia per speciem impressam inferioris ordinis, qualis esset creata, nequit attingi objectum superioris ordinis, nempè Deus; sed hoc est omninò falsum: ergo possibilis est species impressa Dei. Probatur minor: possibilis est species expressa Dei, verbum mentis, seu qualitas intentionalis, quę sit imago Dei, vtpotè ipsius repræsentativa: sed vt Thomistas omnes comprehendam, è quibus, aliqui has voces negant in visione, sic argumentor: possibilis est visio clara Dei: ergo possibilis est species impressa Dei, quin inferioritas ordinis speciei, & superioritas ordinis objecti se impediant. Antecedens nullus Catholicus negare potest. Consequentia probatur: non est cur requiratur maior proportio inter speciem impressam, & objectum, quàm inter speciem expressam, seu visionem intuitivam, & ipsum objectum, immò maior inter visionem, & objectum requirenda videtur, siquidem hæc est imago, seu repræsentatio immediata Dei, illum immediatè in se attingens, vt objectum visum, non ita species impressa, quæ solùm est imago virtualis, & mediata illius, quatenus est productiva visionis, vndè proximiùs accedit ad Deum visio, quàm species; sed hoc non obstante possibilis est species expressa, seu visio creata Dei, quin officiat proportioni requisitę ad rationem visionis inferioritas ipsius, & superioritas objecti: ergo, & possibilis erit species impressa Dei, quin officiat proportioni requisitæ ad rationem speciei inferioritas ordinis ipsius, & superioritas ordinis objecti.

16. Confirmatur primò: non obstante inferioritate ordinis, potest intellectus creatus causare cognitionem, qua immediatè, & in se attingatur objectum superioris ordinis, nempè Deus, posito lumine gloriæ intrinsecè, & concursu Omnipotentiæ extrinsecè proportionátibus: ergo similiter posito vtroque concursu, poterit species crea-

ta ordinis inferioris cognitionem claram objecti superioris ordinis, Dei nempè, producere.

17. Confirmatur secundò: juxta plures ex adversarijs, possibilis est species quidditativa, non intuitiva Dei: v. g. relicta ex visione transeunte Dei in mente Divi Pauli, quin obstet inferioritas ordinis ipsius comparatione objecti: ergo, quin obstet ejusdem inferioritas, possibilis quoque erit species intuitiva Dei.

18. Probatur tertiò evertendo secundum Adversariorum fundamentum: indè per vos repugnat hæc species, quià concurrerent ex natura sua concursu speciali proprio Dei, objectivo scilicèt, & motivo visionis; sed non repugnat qualitas, quæ sit connaturale instrumentum ad concursum specialem proprium Dei: ergo. Probatur minor primò: juxta probabilem sententiam à nobis defensatam in Physicis, non repugnat instrumentum connaturale creationis, quo Deus vtatur ad creandum Angelum v. g, nec item qualitas connaturaliter productiva, & infusiva gratiæ; sed creatio Angeli, & infusio gratiæ sunt actiones Dei proprissimæ: ergo. Probatur eadem minor secundò: lumen gloriæ, & habitus supernaturales concurrunt vt instrumenta connaturalia ad visionem, & actus supernaturales concursu supernaturali elevativo naturæ; sed hic est specialis, & proprius modus concurrendi Dei, quandoquidem concursus supernaturalis, quô Omnipotentia elevat potentiam naturalem sine habitu, & cujus loco connaturaliter concurrit habitus, non est concursus communis, & vniversalis, sed specialis, propriusque Dei: ergo.

19. Probatur quartò evertendo tertium Adversariorum fundamentum: ideò per vos repugnat hæc species impressa Dei, quià Deus est intimè præsens intellectui, & species impressa requirit absentiam objecti, cuius vices gerit; sed, licèt Deus sit intimè præsens intellectui, nec ab eo formaliter, & positivè absens, potest dari species impressa ipsius: ergo. Probatur minor: magis intimè præsens est sibi, minusque absens à se Angelus Michael, quàm Deus est præsens ipsi Michaeli, siquidem Michael est sibi præsens per identitatem, & Deus solùm per penetrationem in eodem loco; sed Michael potest se videre per speciem impressam intuitivam sui, quam habet Gabriel de ipso, si nimirùm in Michaele ea species divinitùs collocetur: ergo multò magis poterit ipse Angelus Michael videre Deum per speciem impressam intuitivam Dei.

SVBSECTIO I.

ARGVMENTIS THOMISTARUM respondetur.

20. OBijcies primò S. Thomam, qui varijs in locis, præcipuè 1. part. quæst. 12. art. 2. in terminis expresè negat, posse videri Deũ per speciem. Mens Ang. Doct. ità dubia est in hoc puncto inter eius Interpretes, vt P. Arriaga hìc num. 123. dicat, meritò posse Div. Thomam à Doctoribus pro vtraque sententia citari. PP. Suarez, Herice, Salas, & alij fatentur, loquutum fuisse de specie impressa, sed eius rationes non concludere, nisi solùm de specie objectiva, seù objecto. P. Valencia 1. part. quæst. 12. punct. 2. judicat, Sanct. Doctorem loquutum de potentia ordinaria. Judico tamen pro reverentia debita tanto Doctori cum PP. Vazquez, & Hurtado d. 12. de anima. sect. 3. illum tantùm negasse, esse possibilem speciem, seù qualitatem, in quâ priùs visa, cognoscatur intuitivè Deus; non verò speciem, seù qualitatem concurrentem tantùm effectivè ad visionem immediatè terminatam ad Deum, quod defendimus.

21. Hoc judico: tùm, quià cum rationes Divi Thomæ efficaces sint de similitudine, seù specie objectiva: at verò de specie impressa non habeant pondus illud, quô D. Thomas solet argumentari: *Veri eius discipuli* (verba sunt Hurtado) *tenemur sentire; eum esse loquutum de specie priùs cognita, cum hæc expositio honorabilior sit Divo Thomæ.* Tùm, quià loco cit. in corp. propè finem, vbi totam controversiam cõcludit, sic habet: *Vndè dicere, Deum per similitudinem videri, est dicere, divinam essentiam non videri.* Ex quibus verbis satis efficaciter infertur, loquutum fuisse, non de specie impressa, sed de similitudine priùs visa. Nam ipse Sanctus Doctor quæst. 8. de ver. cap. 1. tenet, Angelum videre alium Angelum præsentem clarè, & immediatè per speciem: ergo videri per speciem, juxta mentem Angelici D. est propriè, & simpliciter videri: ergo si videri Deum per similitudinem, juxta ipsum, est propriè non videri, videri Deum per similitudinem, aliquid aliud erit, quàm videri per speciem.

22. Optimè ergo convincit Angelic. D. repugnare similitudinem objectivam, in qua, vt in medio priùs cognito, videatur Deus intuitivè: nàm eo ipso, quod videretur in medio, jam visio non esset objecti in se, immediatè, & intuitivè, sed mediatè, abstractivè, & ænigmaticè. Species ergo impressa, quam nos possibilem concedimus, non est medium objectivum, in quô priùs cognito objectũ cognoscatur. Tùm, quià experientiâ constat, species coloris, quin videantur, colores repræsentare. Tùm, quià species solùm est virtualis quædam objecti repræsen-

sentatio, quatenus habet virtutem causandi effectivè repræsentationem formalem. Tùm denique, quià ad id solùm, & vnicè requiruntur species, vt determinent potentiam ad cognitionem, non modo repræsentativo, sed effectivo: ergo.

23. Obijcies secundò: res ordinis superioris cognosci nequit per speciem ordinis inferioris; sed quæcumque species creata est ordinis inferioris comparatione Dei: ergo. Probatur maior: vt intellectus rem cogoscat, debet fieri ipsum objectum per speciem impressam inferioris ordinis: ergo.

24. Hcc argumentum aliter efformat Lumb. num. 553. hac propositione maiori vsus: species rei inferioris ordinis nequit repræsentare rem superioris ordinis vt est in se. Et nontat: dixi, *species rei inferioris ordinis*, non verò dixi, *species inferioris ordinis*: etenim species repræsentans Angelum est entitativè inferioris ordinis Angelo. Per speciem ergo creaturæ repræsentativam non poterit repræsentari Deus, quia omnis species creata est species rei inferioris ordinis. Mirabilis certè emendatio, in quâ cencesso antecedenti, & consequentiâ, nego consequentiæ probationem, quod scilicèt omnis species creata sit repræsentatio rei ordinis inferioris ordine, in quo est objectum, cum hoc sit in ordine Divino, & substantiali. Aliud verò est, ipsam esse repræsentationem rei inferioris ordinis, quod est falsum, cum sit repræsentatio ipsius Dei; & licèt sit ipsa inferioris ordinis, poterit repræsentare rem superioris ordinis, vt patet in intellectu, & visione beatifica Deum repræsentantibus.

25. Argumenti solutio constat ex quarta nostra probatione. Facta ergo retortione in visione; seù specie expressa, retorqueo etiam illud in speciebus impressis Angelorum, vi quarum, juxta Thomistas, vnus Angelus alium cognoscit, & tamen, utpotè accidentia, sunt ordinis inferioris comparatione objecti substãtialis cogniti: quapropter nego maiorẽ. Ratio est: quia species impressa ex se non exigit hanc ordinis æqualitatem, vt patet in specie abstractiva, nec de ratione speciei intuitivæ hoc est, nàm ratio hujus differentiæ solùm habet hoc, quod est determinare potentiam ad cognitionem claram objecti in se. Maioris probatio continet (si eius verba, vt sonant, accipiantur) doctrinam falsissimam fundatam in illo Aristotelis dicto: *intellectus intelligendo lapidem, fit lapis*. Ex quo, si non explicetur, absurdissima sequuntur absurda. Scilicèt intellectum intelligendo Deum, fieri Deũ, & intelligẽdo equum, fieri equũ, & hoc non solùm vi speciei impressæ, sed etiam vi expressæ speciei, seu cognitionis, ac proindè, nec intellectus divinus huius damni expers evadet, & intelligendo mulum, fiet mulus, quod statim dissonat. Sensus ergo tum Philosophi, tum Tho-

Thomistarum, in illa, & similibus propositionibus nequit esse alius, nisi quod intellectus debeat fieri objectum, vt intelligat, hoc est, repræsentativè, cum debeat habere in se virtualem repræsentationem objecti potentem producere formalem repræsentationem illius, sed ita potest intellectus fieri objectum per rem inferioris ordinis, quemadmodum potest illud per cognitionem inferioris ordinis repræsentare.

26. Objicies tertiò ex Magistr. Gonet. num. 26. species impressa est ipsa quidditas rerum, non quidem in esse naturali, sed in esse intelligibili, sicut idea domûs in mente Artificis existens, & domus ad extrà, licet habeant diversum modum essendi, habent tamen eandem formam domûs; sed nulla species creata potest esse essentia, & quidditas Dei, etiam in esse intentionali, & intelligibili: ergo. Probatur minor: nil creatum potest esse idem cum Deo, nec habere cum eô vnivocam, & atomam convenientiam secundùm aliquod esse reale, & non fictum; esse autem intentionale, & repræsentativum in specie intelligibili non est aliquod esse fictum, aut aliqua denominatio extrinseca, sed verum, & reale esse intrinsecum: ergo.

27. Verba ipsius Gonet transtuli, nè eius difficultatem alijs verbis propositam aliquid efficacitatis amittere, judicet; sed claritatis gratiâ rogo, quid significet, speciem impressam esse quidditatem rerum? Si dicas, debere esse virtualiter repræsentativam quidditatis objecti, quatenus scilicèt habet virtutem causandi speciem expressam, seu formalem repræsentationem ipsius, non negabimus, esse quidditatem objecti, sed negabimus, qualitatem creatam non posse esse in hoc sensu quidditatem Dei ipsius; imò & idem cum ipso Deo, non obstante inferioritate ordinis, eô modo, quo intellectus creatus, & cognitio creata sunt quidditas intentionalis objecti, quia totam quidditatem objecti, vt est in se repræsentant, & species impressa Raphaelis quidditas ipsius intentionalis in intellectu Michaelis cognoscentis illum. Si verò esse speciem impressam quidditatem objecti significet aliquid amplius, seu id, quod sonat, habere nempe vnivocam, & atomam convenientiam in aliquo prædicato reali cum objecto, est omninò falsum. Vel dicas in quo prædicato reali habent vnivocam, & atomam convenientiam species impressa Raphaelis cum ipso Raphaele, & hanc etiam ponam inter speciem impressam Dei, & ipsum Deum.

28. Vndè aliud est, quod species lapidis repræsentet verè, & realiter ipsam quidditatem lapidis specificam, & numericam, & non aliam; aliud, quod ipsa species sit quidditas lapidis, & hæc juxta sua prædicata essentialia verè sit in specie lapidis: nàm repræsentare, di-

cis

cit tãtùm connotare objectũ cũ aliqua convenientia intentionali, & & distinctione, esse autem ipsam quidditaté lapidis dicit, non distingui, sed esse ipsum lapidem. Primum est verum, secundũ falsum, quô ruit penitùs difficultas: nàm creatura nequit esse quidditas metaphysica Dei, benè tamen connotare, & repræsentare ipsam quidditatem Dei, modo tamé finito: sicut de facto eam connotat, & repræsentat species expressa, seù visio beata. Nec necesse est, quod species sit objectùm, nisi solùm repræsentativè, id est, non identicè quoad esse, sed quoad repræsentare illud ipsissimum: & hoc tantùm sibi volunt Aristotel. & S. Thomas. Sic ergo eo modo, quô domus intra mentem artificis est idem cum domo ad extra, repræsentativè scilicèt, ità non repugnat, quod species sit idem cum Deo, & quidditas ipsius Dei, & hoc tantùm probant omnia Thomistarum argumenta, quæ videri possunt apud Lumb. à num. 582.

29. Objicies quartò: ex Mag. Lumb. num. 568. Si daretur species impressa Dei, talis species esset verè, & entitativè Deus, & non solùm repræsentativè; sed hoc repugnat: ergo. Probatur maior: talis species deberet esse in eodem gradu immaterialitatis cum Deo; sed entitas eiusdem gradûs immaterialitatis cũ Deo non solùm repræsentativè, sed verè, & entitativè est Deus: ergo. Probatur maior: species in gradu materialitatis inferior nequit repræsentare rem gradu superiorem: ergo. Probatur antecedens: ideò per speciem sensibilem, & materialem, nequit attingi res spiritualis, nec Angelus vt est in se per species adhuc spirituales, si dependeant à corpore, quià species sensibilis, & res spiritualis, Angelus vt est in se, & species spirituales dependentes à corpore non sunt in eodem gradu immaterialitatis: ergo.

30. Confirmatur: gradus immaterialitatis Dei est, quod sit suum esse, suum existere, & subsistere, hoc est, sit actus purissimus sine vlla potentialitate; sed repugnat, quod res, quæ Deus non sit, careat omni potentialitate, præcipuè si loquamur de specie, quæ necessariò debet componere, & inhærere subjecto spirituali: ergo.

31. Vt argumentum, vocesque Thomisticas percipias, scias, hic ab ipsis per vocem *Materia* non significari rem corpoream, seù materialem, sed rem potentialem, seù dicentem ordinem ad cõpositionem; ac proindè è contra per *immateriale* non significari rem carentem corpore, sed carentem compositione. Triplex ab ipsis assignatur materia. Prima appellatur materia singularis. Secunda sensibilis, sivè corporea abstrahens ab individuatione, id est, à materia individuali. Tertia materia intelligibilis, quæ reperitur in rebus spiritualibus, in quibus datur vera ratio causæ materialis, & formæ informativæ. Juxta hanc triplicem materiam, supra quam

quam potest fieri elevatio alicuius entis, assignatur etiam triplex gradus immaterialitatis. Prima elevatio datur in rebus corporeis, & sensibilibus, cum elevantur supra materiam singularem, & extrahuntur ab individuo: & ideò res corporeæ, & materiales collocari possunt in primo gradu immaterialitatis. Secunda elevatio datur in rebus spiritualibus, dum extrahuntur à re materiali, sensibili, & corporea, & ideò collocantur in secundo gradu immaterialitatis, sed quià dicunt physicam. & entitativam componibilitatem, v. g. forma rationalis cum materia, substantia Angeli cum subsistentia, intellectus cum cognitione. species cum intellectu, non perveniunt ad tertium immaterialitatis gradum. Tertia elevatio est supra omnem materiam, potentialitatem,& ordinationem ad componendum, in quô gradu, cum requirat actum purissimum, & totius compositionis expertem, solùm collocatur Deus. His ergo vocibus, maiori, quà potui claritate,ex tenebris erutis, & libenter admissis, ad argumentum.

32. Respondetur: nego maiorem. Ad probationem.vel nego maiorem, vel illam distinguo ità: debet esse in eodem gradu immaterialitatis cum objecto,sumpta immaterialitate pro spiritualitate, cōcedo: sumpta pro compositione, aut componibilitate, nego. Quapropter si objectum fuerit spirituale, eius species spiritualis debet esse, & in eodem gradu spiritualitatis, in quô sensu caret omni materialitate (sumpta materialitate pro corporeitate) & est tam spirituale, & immateriale, ac objectum,etiam si hoc sit ipse Deus, nàm spirituale consistit in indivisibili, & non accipit magis, & minus. Sumpta verò materialitate pro compositione, & immaterialitate pro carentia compositionis,aut simplicitate,perfectione vè in ratione entis, falsum est,quod species sit æquè immaterialis cū objecto. Tùm quià potest esse species divisibilis objecti indivisibilis,species accidētalis objecti substantialis. Tùm quià major, & immediatior proportio requiritur inter potentiam, & objectum, vel saltem inter actum, & objectum, quàm inter speciem, & objectum, ideòque per actum, & potentiam materiales nequit attingi objectum spirituale,sed potentia, & actus non requirunt eundem immaterialitatis gradum cum objecto, nàm de facto intellectus, & voluntas, volitio, & amor creata capacia compositionis attingunt objectum totius compositionis incapax, Deum nempè: ergo & species creata, finita, & ordinata ad componendum, poterit ipsum Deum virtualiter repræsentare: quo manet soluta confirmatio.

33. Vndè, quod objectum spirituale, nequeat per speciem materialem attingi, nec Angelus, vt est in se per species dependentes à corpore, non provenit ex diversitate graduum immaterialitatis,nàm

stan-

ſtante eadem diverſitate juxta plures, & graves DD. poſsibilis eſt potentia materialis, quæ per ſpeciem etiam materialem objectum ſpirituale perciperet. Sed hoc reduci debet ad omnes eas rationes, ob quas tenent communiter DD. potentias materiales de facto exiſtentes, non poſſe attingere objectum ſpirituale, quæ etiàm militát eodem modo circà ſpeciem materialem de facto etiam exiſtentem. Nàm ſicùt objecta ſpiritualia ſunt extra ſphęram potentiarum materialium, hocque deducitur ab experientia fundata in authoritate DD. ad quos de facto ſphæras potentiarum exiſtentium taxare attinet, ità ſunt extra ſphæram ſpecierum materialiũ de facto exiſtẽtium.

34. Nota tamen, quod, licet potentiæ materiales non poſſent elevari ad percipienda objecta ſpiritualia ob rationem allegatam, poſſent tamen ſpecies materiales determinare intellectum ad actus ſpirituales, cum ſolùm effectivè concurrant. Immò de facto Schotus Nomin, & Hurtado tenent, Angelum, & intellectum noſtrum per ſolas ſpecies materiales rerum ſenſibilium determinari ad actus ſpirituales. Ratio verò, ob quam nequit videri Angelus vt eſt in ſe per ſpecies dependentes à corpore, eſt, quià cum hæ mutuentur à rebus corporeis, & ad ſimilitudinem rerum, quas videmus, non ſunt intuitivæ, ſed abſtractivę, ac proindè nec objecti vt eſt in ſe: quid ergo mirum, quod per ſpecies, quæ non ſunt objecti vt eſt in ſe, objectum vt eſt in ſe non cognoſcatur?

35. Objicies quintò: effectus ſpeciei impreſſæ eſt reddere rem intelligibilem; ſed Deus nequit reddi formaliter intelligibilis, per aliquid creatum, ipſique ſuperadditum: ergo non eſt poſsibilis ſpecies impreſſa Dei. Probatur minor: quià Deus eſt ſua ſumma actualitas in omni linea, nequit reddi formaliter intelligens, durans, vbicatus &c. per aliquid ſibi ſuperadditum, ſed ſecum identificat ſuam intellectionem, durationem, & vbicationem: ergo cum ſit etiam ſua ſumma actualitas in eſſe intelligibilis, non poterit ità reddi per qualitatem ſuperadditam, ſed ſibi ſuam intelligibilitatem identificabit.

36. Confirmatur: implicat, aliquid habere per formam diſtinctam, & extrinſecã, quod habet per ſe, & intrinſecè; ſed Deus per ſe, & intrinſecè eſt intelligibilis: ergo nequit ità reddi per ſpeciẽ impreſſam.

37. Reſpondetur: tranſeat maior, & nego minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens: quià Deus eſt ſua ſumma actualitas, nequit reddi formaliter intelligens, durans &c. per aliquid ſibi ſuperadditum: quià eſt ſua ſumma actualitas, in linea intelligentis & durantis neceſſariò, concedo; liberè, & dependenter ab ipſius voluntate nego: & nego rationem conſequentiæ, vel ſuppoſitum ipſius quod Deus in linea intelligibilis ſit

sua summa actualitas necessariò, & independenter à propria volũtate. Nec valet argumentum inter ea attributa; aliàs hoc valeret: repugnat, quod Deus actu non excerceat attributa sapientiæ, immensitatis, & durationis, ac proindè; quod actu non intelligat omnia, non duret, & non sit vbique, & hoc nõ vtcumque, sed ea maiori perfectione possibili: ergo repugnat, quod Deus actu non excerceat suã intelligibilitatem, & cognoscatur ab omnibus, & hoc ea maiori perfectione possibili: quæ consequentia ex ipsis terminis cognoscitur falsa. Vndè ex dictis in physicis circa cessionem concursûs generalis Dei, distinguendum est duplex attributorum genus, vnum eorum, quæ salvantur in actu primo, & quoad actum secundum, & exercitium dependent à voluntate libera ipsius Dei, & ità Omnipotentia se habet, & ità dicitur, non quià producit actu, sed quià potest producere, si velit. Aliud eorum, quæ non salvantur in actu primo, & necessariò requirunt actum secundum, & exercitium, quin in hoc, vllo modo dependeant à libera Dei voluntate, & ità se habent sapientia, immensitas, & æternitas. Quapropter Deus necessariò est intelligens, durans, & vbicatus, & in hoc sua vltima actualitas; non verò est necessariò operans, aut operativus in actu, nec sua vltima actualitas in hoc.

28. Hoc secundo modo se habet denominatio *intelligibilis* in Deo. Deus enim non est summè, & proximè intelligibilis se ipso essentialiter necessariò. Hoc enim prçter potentiam producendi visionem, quam se ipso necessariò habet Deus, nec potest ab extrinseco accipere, importat voluntatem liberam Dei ad talem visionem concurrendi, vel se ipso immediatè, si velit, vel mediâ qualitate loco ipsius concurrente. Si enim auferretur voluntas cõcurrendi, se ipso non esset proximè potens intelligi, seù proximè intelligibilis. ablatio enim cuiusvis conditionis aufert potentiam proximam, vt per se notum est.

39. Vel aliter dic: quod, sicut, etiam si Deus sit summè productivus ad extra, tamen admittit consortium causæ secundæ pro suo libito, etiam ad effectus, quos se solo naturaliter posset producere attemperando suum concursum, ità licèt Deus sit summè intelligibilis, poterit in actu secundo ex libera sua voluntate attemperare concursum, & admittere cõsortium speciei impressæ, cum eaque partialiter objectivè concurrere. De quô modo concurrendi postea loquar.

40. Ad confirmationem respondetur distinguendo maiorem: implicat, aliquid habere per formam distinctam, & extrinsecam, quod habet per se, & intrinsecè, si habeat illud per se, & intrinsecè necessariò, & essentialiter, concedo: si habeat illud liberè, & accidentaliter, nego, & distinguo minorem: per se, & intrinsecè est intelligibilis, id est, capax intelligi, vel per se ipsum im-

immediatè, vel mediâ ſpecie impreſſâ, ſi velit, concedo: per ſe ipſum, & immediatè neceſſariò, nego. Deus intrinſecè, & ex ſe neceſſariò tantùm habet, poſſe immediatè, ſi velit, & mediâ ſpecie impreſſâ, ſi velit, intelligi, ſeù viſionem producere, hanc potentiam ab extrinſeco nequit accipere; at verò cum hoc, quod eſt intelligi de facto, ſeù producere viſionem per ſe ipſum immediatè, habeat accidentaliter, & dependenter à libera ipſius voluntate, poteſt iam hoc, iam illo modo ſe habere. Sic Deus per ſe immediatè eſt productivus gratiæ, & tamen poteſt illam producere per aquam, aliudvè inſtrumentũ creatũ.

41. Objicies ſextò: ſpecies impreſſa producitur neceſſariò ab objecto; ſed poſsibilis non eſt creatura, quæ à Deo producatur neceſſariò: ergo poſsibilis non eſt ſpecies impreſſa Deì. Probatur major primò, ab inductione aliorum objectorum, quæ producunt ſpeciem ſui non liberè, ſed neceſſariò. Probatur ſecundò: ſpecies procedit ab objecto vt cognoſcibili, & emiſsivo ſpecierum; ſed objectum neceſſariò eſt cognoſcibile, & emiſsivum ſpecierum: ergo. Probatur tertiò ex P. Arrubal: ſpecies procedit ab objecto, non vt vult, ſed vt eſt: procedit namque vt ſemen intentionale ipſius: ergo, & ſi aliàs objectum ſit agens liberum, procedit ab illo neceſſariò. Probatur quartò: quia ſpecies eſt ſignum naturale objecti: ergo non liberum; aliàs jam eſſet ad libitum.

42. Retorquetur argumentum in ſententia contraria: omne objectum immediatè concurrens ad ſui cognitionem, vel ſenſationem, concurrit neceſſariò; ſed Deus nequit ad aliquid creatum concurrere neceſſariò: ergo nec concurrere. Major hæc eaſdem habet probationes. Tum ab inductione aliorum objectorum concurrentium immediatè. Tum, quia objectum concurrit immediatè ad ſui viſionem vt viſibile, & productivum viſionis; ſed eſt neceſſariò viſibile, & productivum viſionis: ergo. Tum, quia cõcurrit, nõ vt vult, ſed vt eſt: ergo.

43. Reſpondeo diſtinguendo majorem; ſpecies impreſſa producta â proprio objecto creato, concedo: ab objecto increato, nego. Non omnes ſpecies producuntur neceſſariò. Sic ſpecies creatæ, quas habent Angeli, & quæ animæ ſeparatæ infunduntur, juxta probabiliſsimam ſententiam, liberè producuntur à Deo. Species ergo à proprio objecto producta creato, neceſſariò producitur, non verò producta à Deo, nec in hoc puncto à creaturis ad Deum valet paritas. Sicut non valet comparatione ſpeciei expreſſæ, ad quam omne objectum creatum immediatè concurrens, neceſſariò concurrit, non ità Deus, ea enim, quæ in creatis neceſſariò contingunt, in Deo ſæpè liberè fiunt ob ſummam ipſius perfectionem. Ad ſecundam probationem, conceſſa majori, diſtinguo

 mi-

minorem: objectum est necessariò cognoscibile, & emissivum specierum, id est, objectum habet necessariò, & non liberè virtutem emissivam specierum, concedo: virtutem emissivam specierum, quæ operetur necessariò, nego, & nego consequétiá. Falsitas argumenti in hoc omninò simili dignoscetur. Ignis procedit à Deo, quatenus Deus habet virtutem productivam illius; sed necessariò habet talem virtutem: ergo Deus necessariò producit ignem.

44. Ad tertiam probationem distinguo illam: species procedit ab objecto non vt vult, sed vt est, id est, procedit ab objecto eô ipso, quod sit, & non eô ipso, quod velit illam producere, nego: id est, procedit ab objecto repræsentans illud, vt est in se, & non vt objectum vult repræsentari, si velit aliter, ac est in se repræsentari, concedo. Sic liberè producitur à Deo ignis, & fumus, non tamen semel producto fumo, est signum naturale ignis liberè, ità vt posit Deus facere, quod non sit signum naturale ignîs, sed aquæ. Et hęc solutio quartæ probationis. Species licèt sit signum, productum ad placitum Dei, seu liberè, non tamen est signum ad placitum objecti, eô modo, quo fumus producitur ad placitum Dei, & lacrimę sæpe emittuntur ad placitum deplorantis, & tamen nec fumus est signum ad placitum, sed naturale ignis, nec lacrimæ doloris interni. Ad illud, quod additur de semine intentionali, respondeo, speciem esse semen objecti metaphoricè, & ità non in omnibus debet procedere ab objecto eô modo, quo procedit semen à vivente, à quo deducitur.

45. Objicies septimò ex Gonet num. 29. Talis species haberet ex se, & ex natura sua vim repræsentativam extensivè infinitam. Primò: quia repræsentaret divinam essentiam, quæ est aliquid incircumscriptum, & illimitatum. Secundò: quia, quantum est ex se, repræsentaret totam collectionem effectuum possibilium, qui in divina Omnipotentia continentur. Quod probat ità: repræsentaret aliquem effectum possibilem: ergo & omnes. Nàm cum repræsentaret ex se, & ex natura sua, non esset magis determinata ad repræsentandum potiùs hunc effectum, quàm alios: ergo ad omnes extenderetur. Tum sic; sed repugnat species infinitæ extensionis in repræsentando: nàm esset infinitæ immaterialitatis, cum repræsentatio in immaterialitate fundetur: ergo.

46. Infinitudinem talis speciei aliter probant alij, præcipuè Ald. sect. 7. num. 22. Talis species non haberet, vndè limitaretur. Non ex parte intellectûs, qui potest perfectiorem, & perfectiorem recipere speciem in infinitum. Non ex parte objecti, quod similiter est infinitum. Non ex parte causæ efficientis ob eandem rationem. Non denique ex parte ipsius speciei, nàm

hæc

hęc faceret, quod objectum faceret; sed Deus potest causare perfectiores, & perfectiores visiones vsque in infinitum: ergo & species.

47. In primis potest concedi tali speciei vis hæc extensivè infinita absque vllo inconvenienti, sicut conceditur potentię obedientiali intellectûs, & ipsi Deo, vt objecto, & sicut potentia obedientialis, & Deus vt objectum limitant concursum ad visionem juxta exigentiam gratiæ, & luminis gloriæ, ità eundem limitaret species. Et vltra retorquetur argumentum in concursu, quo Deus objectivè immediatè concurrit ad visionem, qui quidem non haberet vndè limitaretur. Non ex parte objecti, cujus cognitionem causat, quia est incircumscriptum, & infinitum. Non ex parte causæ efficientis ob eandem rationem. Non ex parte intellectûs, quia hic est capax perfectiorem, & perfectiorem cognitionem producere vsque in infinitum: ergo.

48. Respondetur tamen, nego antecedens. Ad primam probationem dic: nec ex eo, quod talis species repræsentet objectum infinitum, sequi, quod sit infinita; aliàs & cognitio abstractiva Dei, vel saltem quæcumque visio beatifica esset infinita, cum repræsentent objectum infinitum, nec ex eo quod tale objectum repræsentetur per talem speciem amittit suam incircunscriptionem, vt patet in exemplis jam positis, nec talis species esset productiva speciei expressæ comprehensivæ Dei, quod quidem repugnat. Ad secundam probationem responde, notando pessimum modum arguendi in alio simili: *Petrus habet vires ad sublevandum lapidem ponderis vt sex; sed non ad hunc potiùs, quam ad alios lapides eiusdem ponderis vt sex: ergo ad omnes.* Conjunctim nimirum sumptos, vt intendit Gonetus de specie. Itaque licèt species illa virtualiter repræsentaret aliquod, vel aliqua possibilia, nō tamen omnia, sicut nec omnes actus liberos, aut præcōtinentias, sed limitaretur à Deo volente se eò vsque manifestare, & non amplius. Vel dici potest, latiorem, vel minus latam speciem in repræsentado produci ad exigentiam luminis gloriæ, Hinc etiam patet solutio probationis Alderet. cum enìm species ex conceptu speciei solùm habeat hoc, quod est determinare potentiam ad objectum, dum hoc habeat, potest habere minus extensam virtutem determinatam, quàm objectum ad talem scilicèt, & tantam intentionem cognitionum, & nil amplius.

49. Obijcies octavò: Deus necessariò videtur per essentiam à Beatis: ergo nequit videri per speciem: nàm videri per speciem, & videri per essentiam opponuntur.

50. Retorqueo: Deus de facto videtur à Beatis per speciem expressam: ergo non videtur per essentiam. Respondetur, distinguēdo antecedens æquivocum: Deus necessariò videtur per essentiam, id est, Essentia Dei necessariò videtur,

tur, concedo: id est, necessariò debet essentia Dei objectivè cócurrere, nego: & hoc tantùm significamus, dum dicimus, Deum videri per essentiam: & in hoc sensu etiam dici potest, Angelum videri per essentiam, dum essentia Angeli intitivè, & in se videtur, licèt hæc phrasis nō sit in vsu erga Angelum, sed solùm erga Deum. Et distinguo consequens: ergo nequit videri per speciem, vt per causam efficientem visionis, nego: vt per objectum visionem terminans, in qua vt in speculo videatur Deus, concedo. Videri Deum immediatè in se ipso habente se specie effectivè respectu talis visionis, non repugnat, & in hoc sensu, nec repugnat videri Deum per essentiam, & per speciem.Ità vnus Angelus videt alium clarè, & immediatè, juxta ipsos adversarios, per speciem impressam: & hoc modo se haberet species in casu conclusionis. Videri Deum immediatè, & videri in specie vt in medio objectivo, & terminativo visionis, hoc repugnat, & in hoc sensu repugnat etiam, videri Deum per essentiam, & per speciem, ità tamen non se haberet species in casu cōclusionis.

***

SVBSECTIO SECVNDA.

ALIA NOSTRORVM Argumenta.

51 OBijcies nonò: species impressa natura sua ordinatur ad supplendum vel absentiam, vel proportionem objecti. Ideò enìm à Philosophis ponitur, vel quià objectum absens est, & non intimè penetratum cum potentia, vt videre est in specie coloris, quæ ponitur, quià color est extra potentiam cognoscitivam, vel quià est improportionatum. Sic ponitur species intelligibilis spiritualis pro objecto materiali improportionato ad causandam cognitionem spiritualem; sed Deus nequit esse absens à potentia, neque improportionatum ipsi: ergo nequit dari species impressa Dei,

52. Retorqueo: multo minus potest Angelus à se abesse, quàm Deus ab intellectu, cum Angelus sibi sit præsens per identitatem, & Deus intellectui per solam penetrationem; sed per vos Angelus potest per specié impressam, se cognoscere: ergo hæc non requirit ex natura sua absentiam objecti. Nec dicas; Angelum posse abesse ab alijs, & consequenter posse esse specié impressam de ipso pro aliorum intellectu. Data ergo hac specie, posse divinitus Angelum se per ipsam cognoscere, Deum autem nulli intellectui posse esse absentem, & improportiona-

tum

tum, ideòque respectu nullius possibilem esse speciem impressam Dei: nè, inquam dicas: quià licèt vera sit disparitas, ad rem est omninò materialis. Nàm quidquid sit, an Angelus possit esse absens ab alijs, non verò Deus; certum est, hìc, & nunc Angelum non esse à se ipso absentem, & aliàs per vos se cognoscere per speciem impressam: ergo hæc non requirit absentiam objecti, ad cuius cognitionem physicè concurrit.

53. Certum est, Deum non posse esse physicè, & realiter absentem ab intellectu. Vndè, si hæc physica, & realis absentia requireretur ad speciem impressam, certum etiam esset, non esse possibilem. Sed non obstante hâc præsentiâ intimâ Dei, possibilis est aliqua qualitas creata, quæ loco ipsius concurrat, & cui Deus committat suum concursum particularem objectivum, vel in totum, vel saltem partialiter. Hoc de re defendimus: quod autem qualitas sit species impressa compellanda, ad nomen pertinet, & in re, de nomine (cum pro nobis stent omnes DD. vno vel altero dempto, qui ad rationem speciei impressæ absentiam, & improportionem intrinsecam rei, cuius loco ponitur species, non requirunt) probabilius teneo.

54. Respõdetur tamen primò: nego maiorem, species namque impressa ex natura sua solùm habet hoc, quod est determinare ad speciem expressam, illam effectivè producendo simul cum intellectu, quoties objectum non concurrit, vel quià non habet virtutem concurrendi, vel quià absens est, vel quià liberè non vult per se ipsum immediatè concurrere, & si aliàs habeat virtutem concurrendi, & præsens sit, & ità se habet Deus in casu quæstionis. Et licèt occasio inveniendi nomen speciei impressæ fuerit objecti absentia, & existentia illius ex objecti absentia probetur à Philosophis, non ideò exigit connaturaliter eam absentiam. Tùm, quià (vt optimè Arriaga num. 130.) nomen speciei impressę iam vniversaliùs accipitur, sicut, licèt primò vsurpata fuerit substantia pro recipiente accidentia, iam tamen significatio extensa est, & vniversalior facta. Tùm, quià ratio probandi multum differt à ratione essendi. Sic qualitates accidentales, seù instrumenta, medijs quibus, substantiæ, v. g. astra, producunt metalla, & alios effectus distantes, probantur ex distantia, & absentia causarum, neque ideò exigunt connaturaliter causarum absentiam, optimè enim cum illis penetrativè vniuntur.

55. Respondetur secundò: speciem impressam requirere absentiam non necessariò physicam objecti, sed vel physicam, vel virtualem. In casu ergo, quo Deus nollet se ipso immediatè concurrere ad visionem, esset virtualiter absens: hoc est, in ordine ad illum effectum determinandi potentiam, vt

vt visionem producat, se haberet quasi esset physicè absens. Item: non ex defectu virtutis, aut approximationis, sed ex defectu voluntatis liberè concurrendi se ipso immediatè ad sui visionem, esset physicè proximè impotens, & improportionatus ad illam, essetque possibilis species impressa, loco Dei ad visionem concurrens.

56. Replicabis tamen contra primam solutionem: species est vicaria, semen, & substitutum objecti: ergo requirit absentiam physicam ipsius: ad quid enim, præsente causa principali, substitutum? Respondetur, ad vicariatum, & substitutionem non requiri necessariò physicam absentiam personæ principalis. Sic sæpè præsente superiori, si nolit liberè per se ipsum plura propria sui muneris exercere, illa operatur, & exequitur Vicarius, & substitutum. Item, nec ad rationem seminis requiritur absentia. Sic præsente fæmina, semen ejus concurrit ad prolem in probabili sententia illi semen concedente. Insuper, impropriè conceditur hæc vox *Vicaria* speciei impressæ, eo scilicèt, quod faciat quidquid facturum esset objectum, si adesset, & haberet virtutem, vel si vellet se ipso immediatè concurrere, si alias adest, & habet virtutem vt Deus.

57. Replicabis cōtra secundam solutionem: repugnat, dari aliquid ex natura sua ordinatum ad supplendum impedimentum in Deo merè ortum ex eo, quod nolit agere per se ipsum. Aliàs etiam erit possibilis alia species secunda ad supplendas vices primæ, & alia tertia ad supplendas vices secundę, & sic in infinitum, posito, quod Deus nolit concurrere per primam, secundam, vel tertiam. Insuper dabitur etiam species speciei.

58. Respondetur: primum inconveniens nullum est, nec est repugnantia vlla in eo, quod detur aliquid ordinatum ex natura sua ad effectus aliquos cum hac subordinatione ad voluntatem liberam divinam nollentem concurrere. Tota enim hæc subordinatio stat in eo, quod hæc species naturaliter existere nequeat, & consequenter, nec concurrere ad visionem, nisi posito, quod Deus nolit objectivè per se immediatè concurrere ad visionem, quod non repugnat. Sic concursus Dei ad actus Fidei, Charitatis, vel visionis per auxilium extrinsecum, nequit connaturaliter existere, nisi cum hac subordinatione, quod scilicèt Deus nolit producere habitus infussos, qui sunt principia connaturalia talium actuum. Sic etiam concursus Dei ad aliquos effectus se solo producendos, v. g. calorem in igne, frigus in aqua &c. est cum hac subordinatione, quod scilicèt, Deus nolit cum causis secundis, igne scilicèt, & aquâ tales effectus producere: ergo non repugnat species impressa, quæ concurrat ad visionem, cum hac subordinatione ad voluntatem divinam nollētem liberè se ipsa immediatè

diatè concurrere ad illam, seu casu quo ita liberè nolit.

59. Ad secundum inconveniens, quod scilicèt, jam erit possibilis secunda species, seu qualitas, quæ connaturaliter concurrat ad visionem, & sic tertia, quarta &c. casu, quo Deus nolit concurrere per primam, vel secundam, respondet Noster Hurt. dist. 12. sect. 3. num. 47. affirmativè asserens, possibilem esse secundam speciem albedinis v.g. quæ concurrat ad visionem materialem illius, cum hac subordinatione, quod scilicèt Deus nolit cum prima concurrere. Noto tamen cum Compt. num. 11. hoc inconveniens omnes vrgere in dupli casu numero antecedenti posito. Nam rogo: quandò nollente Deo concurrere cum habitibus ad actus illos supernaturales, vel cum causis secundis ad productionem frigoris, & caloris, & datur concursus ille specialis Dei subordinatus voluntati liberæ nollenti concurrere cum habitibus, & causis secundis, vel possibilis est alius concursus subordinatus secundo concursui, & alius subordinatus tertio, vel non, sed hi concursus disparatè se habent? & quidquid dixeris in hoc, tibi in speciebus respondebo.

60. Neque ex hoc infertur vltimum inconveniens, esse scilicèt possibilem speciem speciei in infinitum. Licet enim dai tur species ex natura sua ordinata ad concurrendum loco speciei impressæ A. hæc tamen non esset species speciei A. sicut si esset species expressa ordinata ad repræsentandum Deum loco speciei expressæ A. non esset illa species expressa speciei A. sed vtraque esset species expressa Dei. Adde tamen, quod, si concedatur, esse possibilem speciem impressam alterius speciei impressæ, idque in infinitũ, non videtur magnum inconveniens, cum id omnes admittant in specie expressa: potest enim dari vnus actus reflectens supra alium vsque in infinitum.

61. Objicies decimò ex P. Ripal. Deus nequit delegare vlli creaturæ concursum vniversalem, munusque causæ primæ: ergo neque concursum particularem, & munus causandi motivè visionem. Probatur consequentia primò: sicut est proprium Dei, esse causam primam, ita & esse primum intelligibile: ergo, sicut nequit munus causæ primæ gerere mediâ aliquâ creaturâ, ità neque munus primi intelligibilis mediá aliquâ qualitate. Probatur secundò: ideò Deus nequit alicui creaturæ delegare suum concursum vniversalem in opera creata, quia læderetur ejus dominium in talia opera; factâ nanque tali delegatione, non posset Deus ea opera impedire, & quia immediatus concursus pertinet ad perfectius Dei dominium; sed etiam factâ delegatione concursûs objectivi in qualitatem, Deus non posset visionis productionem impedire: ergo læderetur dominium Dei in illam.

Aliàs etiam immediatus concursus objectivus in visionem pertinet ad perfectius dominium Dei partiale in illam : ergo.

62. In nostris principijs statuentibus, posse Deum cedere concursũ immediatũ erga opera creata absque vlla dominij læsione, argumentum ruit; immò efficax à majori ad minus pro nobis efformatur. Nàm si Deus potest à concursu vniversali immediato pro libito cessare, illumque creaturis committere, quantò magis à concursu particulari objectivo in visionem, illumque qualitati creatæ delegare? Sed admisso pro nunc antecedenti, nego consequentiam vniversaliter. Nàm, sicut Deus nequit à se abdicare dominium altum, & vniversale, quod habet titulo Creatoris, benè tamen dominium, quod habet ob alios titulos particulares salvatoris, benefactoris &c. ita licèt Deus nequeat non concurrere ad omnes effectus, vt causa vniversalis; potest tamen pro libito erga eos, vt causa particularis non se habere. Sicut potest se solo producere omnes effectus creatos, & de facto eos se solo non producit, sed simul cum causis secundis. Habet enim se Deus erga visionem, quemadmodum se habebat tempore Judicum erga Populum Israeliticum; in quem supra vniversale dominium in omnes populos, & nationes, vi cujus dicitur *Rex Regum, & Dominus dominantium*, habebat dominium quoddam particulare, eo quod eligeret illum in peculium, juxta illud. Ex. 19. v. 5. *Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus*: vi cujus dicebatur Rex particularis illius, *quia volebat Deus* (verba sunt Nostri Cornelij supra versum 6. capitis 18. libri primi Regum) *esse proprius, & immediatus Rex, & dominus Hebræorum*. Ita Deus vltra vniversalem influxum, quem habet erga omnes effectus creatos; vi cujus dicitur causa prima, habet alium particularem objectivum in visionem, vi cujus dicitur causa particularis, & immediata illius. Ergo sicut Deus cessit dominio particulari, quod habebat in Israelem præcipiens Samueli, vt annueret Populi petitioni, eique Regem constitueret, qui ejus loco regnaret, juxta illud Reg. 18. v. 22. *Dixitque Dominus ad Samuelem; audi vocem eorum, & constitue super eos Regem*; ita vt jam Deus non diceretur Rex particularis, & immediatus Israelis, juxta illud v. 6. *Non te abjecerunt sed me, nè regnem super eos, sed Saul*: non tamen cessit, nec potuit cedere vniversale dominium, vi cujus dicitur Rex, & Dominus vniversalis tàm Israelis, quàm omnium Nationum, ità & eodem modo poterit Deus cedere dominiũ, & influxum particularẽ, quod habet in visionem, vi cujus dicitur causa immediata particularis ipsius, taliter vt deinceps ità non appelletur, nisi qualitas in ejus locum succedens; non tamen dominium, & influxum vniver-

versalem, vi cujus æqualiter se habeat ad visionem, & reliquos effectus creatos.

63. Sed dupliciter potest Deus se habere erga talem visionem, adhuc positâ specie impressâ. Primò: ità, vt Deus retineat & influxum vniversalem, & influxum etiam objectivum particularem erga illam. Secundò: ità vt retento influxu causæ vniversalis, nullatenùs retineat influxum objectivum particularem, sed illum adequatè committat qualitati. Primo modo se habere potest Deus, quià non repugnat, quod Deus ipse simul cum ipsa specie impressa attemperando concursum ipsam visionem producat; sicut de facto attemperando concursum effectivum Omnipotentiæ cum lumine gloriæ producit illam: non enìm est de ratione speciei impressæ excludere concursum partialem immediatum objecti. Vt videre est in specie reflexa experimẽtali actuum, quæ simul cum ipsis actibus, quorum est species, concurrit ad cognitionem reflexam eorum. Immò probabile est, ipsa objecta directa, & distincta in sui cognitionem immediatè cum specie concurrere, quin officiat distantia: eo modo, quô sol cum luce, & calore concurrit immediatè ad distantissimos effectus. Juxta quem modum discurrendi, adhuc concessâ paritate inter concursum vniversalem, & particularem, & quod Deus, sicut nequit cedere vniversali, nequeat etiam cedere particulari, salva manet possibilitas speciei impressæ, retento à Deo & influxu causæ vniversalis, & particularis etiam. Hoc confirmari potest ex Doctrina P. Lince num. 10. asserentis possibilem esse qualitatem creatam, quæ, non obstante Dei dominio, eius concursum per modum causæ universalis, saltem inadæquatæ suppleat. Deus enìm ratione concursûs vniversalis inadæquati, quem sibi reservaret, causam creatam, etiam eâ qualitate instructam, ab operatione cohibere posset. Multò ergo meliùs poterit hoc in influxu particulari objectivo evenire.

64. Secundo modo potest se habere Deus erga visionem: eo scilicèt, quod totaliter, & adæquatè committat concursum particularem objectivum speciei, quod potest facere, & si aliàs nequeat suum concursum vniverselem delegare. Nàm hoc semel delegato, iam Deus nequiret cum creatura ità independenti in operando concurrere: cum non posset concursu causæ primæ, in quô facta est cessio: non concursu causæ secundæ, quià est ipsi repugnans; nec posset talis creaturæ operationes cohibere, si velit, quod nunc suppono repugnare. At verò ex cessione concursûs immediati objectivi, hoc non sequeretur; permanente in Deo concursu vniversali, per quem & concurreret immediatè cum creatura, & adhuc positâ tali qualitate, posset effectus creatos impedire, si vellet.

65. Nec dicas, in casu cessionis esse minus perfectum dominium Dei, quàm si vtroque concursu tàm vniversali, quàm particulari objectivo concurreret: quià non repugnat, quod dominium Dei pro suo libito secundùm quid, & merè extensivè sit minus perfectum. Fateor, in creaturis esse quid simpliciter melius habere plura dominia circa aliquam rem, quàm habere vnum tantùm, non verò in Deo. Ratio disparitatis est, quod creatura potest carere omni dominio, & consequenter prudenter judicatur, esse quid simpliciter melius habere plura, quàm vnicum dominium, eo quod, si fortè vnum deficiat, possit alterum stare; ast verò cum Deo nequeat deficere omne dominium circa visionem beatam, indè est, quod prudenter non censeatur perfectius simpliciter multiplex, quàm vnicum dominium in visionem.

66. Si tamen faciliorem solutionem argumento exhibere velis, dic, adhuc respectu visionis Deum non habere duplicem concursum; sed vnicum tantùm ab Omnipotentia ortum (omnia enim opera ad extra per Omnipotentiam fiunt) vndè concurrere ad visionem objectivè, nil aliud est, quàm esse objectum illius, & aliàs per propriam virtutem, nempè Omnipotentiam, eam effectivè producere, sicut & reliquos effectus creatos. Hoc supposito, posset Deus cum specie impressa attemperando suum concursum visionem producere, quemadmodum de facto illum attemperat concurrendo cum lumine, nullâ factâ cessione concursûs; non particularis, quià illum non habet; non vniversalis, quià per illum de facto concurrit; ergo. Pro hoc modo discurrendi citat noster Linc. n. 11. P. Lucam Guadin Salmanticæ primariũ Theologiæ professorè, quẽ pluribus prosequitur encomijs, qui apud ipsum tenet, hoc, quod est, Deum concurrere per modum causæ vniversalis ad claram visionem sui, & concurrere ad illam per modum objecti, sibi æquipollere, cum fieri nequeat, Deum efficere vt causam vniversalem visionem sui, & non esse illius objectum.

67. Nunc ad primam probationem antecedentis, & paritatem inter primam causam, & primum intelligibile respondetur, Deum non esse primum intelligibile, sicut est prima causa. Aliàs sicut nullus effectus fit sine Deo, vt causa, nulla cognitio fieret sine Deo vt objecto. Dicitur enim Deus primum intelligibile, quatenus à se, & non indigens alio est intelligibilis, sicut est primum agens, quià à se, & non indigens alio effectus absolutos producit. Sicut ergo potest non ex indigentia, sed ex liberalitate agere simul per causas creatas, quin amittat rationem primi agentis, ità & potest causare visionem sui per speciem, non ex indigentia, sed ex liberalitate, quin amittat rationem primi intelligibilis in hoc vnicè consistentem. Ad se-

secundam probationem satis responsum est, permanente nàmque concursu vniversali Dei, & facta cessione circa concursum particularem, permanere dominium perfectissimum in visionem.

68. Replicabis tamen: ideò per nos potest Deus committere adæquatè speciei impressæ influxum objectivum sui in visionem, quià in concursu vniversali causæ primæ sibi reservato salvaretur perfectissimum dominium Dei erga visionem beatam; sed in solo concursu particulari objectivo videtur etiam salvari perfectissimum dominium Dei erga visionem: ergo hoc concursu sibi reservato, poterit Deus cedere concursum vniversalē in visionem, illumque alicui creaturæ cōmittere.

69. Respondeo concedendo totum cum Linc.num.11.& inprincipijs, quæ nunc suppono, certum videtur. Nàm si totum dominium Dei in opera creaturæ stat in eo, quod ità concurrat in ea immediatè, vt possit sine creaturæ destructione eam impedire, si velit, & totum hoc salvatur vi concursûs specialis objectivi, per quem, & concurrit immediatè ad visionem, & potest eam impedire, non concurrendo, poterit vtique, salvo dominio, concursum vniversalē immediatū in talem visionem cedere, retento particulari, sicut è contra, retento vniversali cedere particularē.

70. Objicies vndecimò: per nos Deus potest cedere concursum vniversalē immediatū in opera creaturæ & consequenter in visionem beatam: ergo nequit cedere concursum particularē in ipsam. Aliàs si vtrumque concursum cederet, nec staret dominium Dei in tale opus, nec illud posset impedire, si velit.

71. De hoc argumento, quod in visionem nullam affert specialem difficultatem, quæ non militet in quodcumque aliud opus, circa quod non datur concursus specialis Dei, sed vniversalis tantum, quē per nos potest cedere, iam satis lib. 2. Phys. tract. 3. sect. 2. ad 10. argumentum. Recole ibi dicta: vbi invenies, adhuc positis omnibus requisitis ex parte causæ creatæ, & facta cessione erga concursum immediatum, posse Deum impedire operationes creaturæ, vel nollens positivè, vel saltem non permittens, eam operari: cum ratione insitæ, & naturalis subjectionis, nequeant creaturæ operari, nisi annuente, & permittente Deo. Ità Hurtado. Invenies etiam, permissionem, vel licentiam Divinam esse conditionem necessariò requisitam, vt creatura operetur, quemadmodū approximatio, vt ignis cōburat; & sicut ablata solùm approximatione (quin hæc influat in ignem) non daretur ignis, ità ablata vnicè permissione divina, non daretur effectus. Ità Arriaga. Invenies denique quod, licèt semel facta tali cessione ex suppositione, & consequenter nequeat Deus opera creaturæ impedire sine causæ destructione, vel ablatione alicuius ex comprincipijs, cum tamen possit ab-

absolutè, & antecedenter, non læditur eius perfectissimum dominium erga talia opera.

72. Obijcies duodecimò, & simul replicabis: visio beata est supernaturalis: ergo Deus erga eam nequit cedere omnẽ cõcursum immediatũ, tàm vniversalẽ, quàm particularem. Probatur consequentia; quià Deus dicitur causa specialis omnium actuum supernaturalium, eique vt authori speciali tribuuntur: ergo quià in illos specialiter influit.

73. De hoc argumento iam etiam in appendice ad quæstionem de cessione concursûs Dei. Ex ibi dictis respondetur: concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo Deus erga eam nequit cedere omnem concursum immediatum tàm vniversalem, quàm particularem objectivum, nego: effectivum, subdistinguo: si intellectus absque tali influxu sit completus in ordine supernaturali, nego: si non sit completus, concedo. Solutionem explico. Vltra concursum vniversalem in omnem effectum creatum, & particularem objectivum in visionem beatam, habet Deus influxum quendam effectivum in actus supernaturales, ratione cuius dicitur causa specialis, & moralis talium actuum. Nunc defendimus, posse cedere concursum specialem objectivum immediatum in visionem. In physicis tenuimus; posse etiam cedere concursum vniversalem, & nunc permittimus, possę cedere vtrũque simul erga visionem. Vtrùm autem possit cedere cõcursum specialem effectivum exactum ab actu titulo supernaturalitatis per identitatem, dubitatur? In duplici sententia respondebo. P. Arriaga, & alij communiter tenent, ex potentia naturali v. g. intellectu, & ex habitu supernaturali, v. g. lumine glorię resultare causam cõpletam, & particularem actûs supernaturalis, visionis scilicèt (idem dic de reliquis actibus supernaturalibus, Charitatis, Fidei &c. positâ vitalitate ex parte intellectûs, & supernaturalitate ex parte habitûs.) Si hoc ità sit (de quô non curo) posset complexum ex intellectu, & lumine gloriæ, licèt specie concurrente loco objecti, absque vllo immediato influxu Dei visionem producere. In quô casu visio illa tribueretur Deo, licèt non vt causæ speciali effectivæ ipsius, vt causæ scilicèt speciali effectivæ tùm speciei, tùm habituum supernaturalium, per quos redditur potẽs intellectus ad visionẽ, ac proindè vt causæ morali, cum tribuat eos habitus potentijs indebitos, & auxilia supernaturalia animo, & intentione, vt intellectus visionem eliciat, & voluntas actus Charitatis &c.

74. Alij DD. in quos propendeo, judicant; adhuc complexum ex intellectu, & lumine gloriæ manere improportionatum, & intra causam instrumentalem respectu visionis, ex deffectu scilicèt æqualis perfectionis, nàm licèt in complexo intellectus, & luminis reluceat vitalitas, & su-

ſupernaturalitas, quæ ſunt formalitates, & perfectiones effectûs; at ex parte principij ſunt tantùm per vnionem, & in effectu ſunt per identitatem. Habere per identitatem eſt perfectior modus habendi: cum autem hic exceſſus perfectionis relucens in effectu non compenſetur per ſpeciem impreſſam poſitam ex parte principij, neceſſum eſt, quod Deus vt cauſa particularis concurrat; non concurſu vniverſali, & cõmuni, nec concurſu ſpeciali objectivo, cum vtrumque ceſſerit, ſed concurſu ſpeciali elevativo complexi intellectûs, luminis, & ſpeciei.

75. Objicies decimò tertiò ex P. Derchen. Ens eſſentialiter ſuperfluum eſt eſſentialiter impoſsibile, cum ſit eſſentialiter malum, & ideo ad vnam rationem formalem alia eſt impoſsibilis, quia eſſet eſſentialiter ſuperflua, & ideo eſt eſſentialiter ſuperflua, quia ſupponit eſſentialiter ſuum effectum formalem, & actum ageret; ſed ea ſpecies ſupponeret eſſentialiter Deum objectivè concurrentem, & ſummè, ac infinitè intelligibilem, ad quem ſolum effectum ſpecies poterat deſervire: ergo actum agit, eſtque eſſentialiter ſuperflua, ideoque impoſsibilis.

76. Reſpondetur: tranſeat major, & omnes ejus cauſales examine dignæ, & nego minorem. Nàm vel Deus committeret adæquatè influxum ſpecialem objectivum ſpeciei, & ſic nullatenùs ſupponeret Deum concurrentem objectivè, vel ſaltem illum inadæquatè committeret, & ſic non ſupponeret Deum adæquatè cauſativum, & proximè intelligibilem in actu ſecundo, ad quod deſerviret ſpecies, ſicut cauſę ſecundæ non ſunt eſſentialiter ſuperfluæ, quia non ſupponunt in Deo effectum formalem adæquatè cauſativi proximè, quandò ipſe pro libito concurrit inadæquatè, & attemperando concurſum.

77. Objicies decimò quartò ex P. Recupito: ſpecies eſt cõnaturale principium actûs; ſed nequit dari ſpecies impreſſa, quę ſit connaturale principium viſionis: ergo. Probatur minor primò: quia Deus connaturaliter exigit, eſſe principium adæquatum viſionis; ergo non admittit aliud principium cõnaturale. Secundò: quia de facto daretur talis ſpecies; nam de facto exiſtit connaturaliter viſio, ac proindè cum omnibus ſuis principijs connaturalibus. Tertiò quia intellectus ſolo lumine glorię diſponitur connaturaliter ad viſionem: ergo ſpecies ad eam non concurrit, vt principium connaturale.

78. Reſpondetur: concedo majorem, & nego minorem. Ad primam probationem reſpondetur, Deum ſolùm exigere connaturaliter eſſe principium adæquatum viſionis, quando non datur aliud principium creatum inadæquatum, vel adæquatum illius pro libito ipſius Dei. Sic de facto fuit principium adæquatum Adami, quia nullum aliud principium inadæquatum ipſius

ſius inventum fuit, eſſet tamen cõnaturaliter principiũ inadæquatum illius, ſi concurreret aliud generans, ſicut de facto concurrit erga Petrum v. g. Hic ergo influxus objectivus Dei eſt connaturaliter, ſed liber in actu ſecundo; ſicut connaturaliter producit Deus creaturas, liberè tamen. Ad ſecundam probationem reſpondetur, viſionem connaturaliter exiſtere, ſivè producatur à ſolo Deo objectivè, ſivè à ſola ſpecie, aut ab vtroque ſimùl, nec exigere connaturaliter hoc potiùs principium, quàm aliud, cum hęc omnia poſsint illam connaturaliter producere. Nec ex hoc ſequitur, quod de facto exiſtant omnia. Sic non repugnat, juxta probabilem ſententiam, connaturale inſtrumentum creationis, nec connaturalis Pater Adami, & tamen de facto nõ exiſtunt. Sic etiam habitus, dum exiſtit, eſt connaturale principium actûs, & tamen non exiſtit neceſſariò ad cujuſque actûs productionem. Ad tertiam reſpondetur: intellectum ſolo lumine diſponi per modum potentiæ ad actum; objectivè tamen diſponi, vel per ipſum objectum immediatè concurrens, vel per ſpeciem ejus loco poſitam.

79. Obijcies decimò quintò ex eodẽ: ſpecies impreſſa eſt accidẽs ſe tenens ex parte objecti: eſt namque accidens objectivum complementum activitatis, & inſtrumentum objecti in eſſe intelligibilis; ſed accidens debet eſſe perfectivum ſui objecti: ergo ſpecies impreſſa Dei eſſet perfectiva ipſius; ſed hoc repugnat: ergo, & ſpecies.

80. Argumentum voces purè attingit. Certum eſt, objectum media ſpecie impreſſa producere cum intellectu ſpeciem expreſſam ſui: item objectum illam ſpeciem impreſſam producere effectivè. Denique in caſu quæſitionis ſpeciem impreſſam facere, vel inadæquatè, vel adæquatè id, quod Deus faceret, ſi talis ſpecies ibi non eſſet. Si hoc tantùm velit ſignificare per illas voces, concedo, ſpeciem impreſſam eſſe accidens objectivum, complementum activitatis, & inſtrumentum objecti. Sed ad hæc omnia non requiritur, quod ſpecies ſit perfectiva objecti, nec quod hoc ſit ſubjectum receptivum ipſius. Solùm enim recipitur ſubjectivè in intellectu. Vndè potius ſe tenet ex parte potentię, quacum vnum principium adæquatum viſionis conſtituit, illam complens in ratione principij activi, illamque perficiens, & non objectum.

81. Obijcies decimo ſextò ex P. Anton. Perez: per ſpeciem impreſſam redditur objectum clarius, & intelligibilius, vt conſtat in omnibus objectis, quorum ſpeciem acquirimus: ſed per quid creatum nequit reddi Deus clarior, & intelligibilior cũ in ſe ſit infinitè clarus, & intelligibilis: ergo repugnat ſpecies impreſſa Dei. Retorqueo in ſpecie expreſſa, ſeu cognitione, per quam certum eſt, fieri nobis clariorem, & intelligibiliorem. Reſpondetur: ſo-

lùm

lùm est insecè proximè, & quoad nos fieri Deum clariorem, & intelligibiliorem per speciem impressam; non verò in se, & intrinsecè: hoc solùm repugnat, non illud. Sicut enim, licèt Deus se solo, & sine indigentia creaturę est causativus, & potens, redditur tamen extrinsecè potentior, & proximè causativus per causas secundas, quibus cum non ex indigentia, sed ex liberalitate concurrit, ità licet secundum se sine indigentia speciei sit infinitè clarus, & intelligibilis, potest tamen hìc, & nunc extrinsecè, & ex liberalitate reddi clarior, & intelligibilior per speciem.

82. Obijcies decimò septimò ex eodem: Deus per suam essentiam gerit munus speciei repręsentando veritates oppositas, & contradictorias, vt actus liberos, Mysterium Trinitatis &c. ergo non est possibilis species impressa Dei. Probatur consequentia: solius Dei proprium est, posse per terminationes secum identificatas connecti cum veritatibus oppositis: ergo in hoc munere nequit substitui aliqua creatura. Respondeo, retorquendo in specie expressa actuum liberorum, & Mysterij Trinitatis, quæ non solùm virtualiter, vt species impressa, sed formaliter connectitur cum veritatibus oppositis, easque clariùs, & expressiùs repræsentat. Respondeo directè concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens; soliûs Dei proprium est, posse per terminationes secum identificatas connecti cum veritatibus oppositis, involvendo constitutivè ipsas veritates objectivas oppositas, concedo: dicendo illas purè terminativè, & objectivè, nego. Hoc est, solus Deus est Trinus, & vnus, solus vult, & non vult liberè sine intrinseca mutatione; at verò species repræsentat ipsam Trinitatem, & actus liberos virtualitèr.

SVBSECTIO TERTIA.

ALIJS ARGVMENTIS, PRÆcipuè Quiros, & Aldrete, fit satis.

83. OBijcies decimò octavò ex P. Quiros: repugnat, creaturam rationalem posse beatificari alio bono, quàm infinito, seù sine reali præsentia Dei vt objecti; sed semel admissà possibilitate speciei impressæ Dei, possibile etiam esset creaturā beari alio bono, quàm infinito, seù sine præsentia Dei vt objecti: ergo. Maior videtur certa; beatitudo namque nostra in bono infinito summè satiativo consistit. Probatur minor: visio, quæ fit per speciem, non dependet per se ab objecti existentia. Sic visio colorum in Iride fit sine talium colorum reali, & physica existentia, & eodem modo sine illis, ac si re ipsa darentur, quià fit per eorum species: ergo si visio fieret per speciem, dummodò hæc per sisteret, etiam si per imposibile Deus non exis-

existeret, eodem modo daretur visio, & consequenter beatitudo.

84. Non posse dari visionem claram, & intuitivam Dei sine Deo re ipsa existente, etiam si talis visio fiat per speciem non minùs, & eodem modo ac si fieret objectivè immediatè ab ipso Deo, mihi certum est primò: quià ad illam cōcurreret Deus cum specie partialiter objectivè, & non minùs requiritur existentia ad causandum inadæquatè, quàm ad causandum adæquatè. Secundò: quià etiam si, nec inadæquatè concurreret objectivè, deberet concurrere, vt causa vniversalis, quæ non minùs requirit veram causæ præsentiam, quàm concursus per modum objecti. Immò longè magis, quià influxus per modum objecti potest esse mediatus, vbi non requiritur semper præsentia. Tertiò: quià illa species producitur à Deo vt objecto, ac proindè ratione sui requirit Deum præsentem ad hoc, vt producat ipsius Dei visionem. Quartò: quià, cum visio producta sit essentialiter supernaturalis, illi essentialiter repugnat falsitas, vndè vt objectum repræsentatum necessariò requiritur Deus vt verè existens: quæ omnia non militant pro visione colorum Iridis: quæ, nec est essentialiter vera, nec producitur verè à coloribus Iridis, nec species productiva visionis verè producitur ab ipsis, vndè eis verè non existentibus, datur vera eorum visio ab specie producta. Inferes primò, visionem beatam non posse esse illussoriam sicut visionem Iridis. Secundò, existentiam Dei non se habere materialiter ad visionem, sicut existentiam colorum. Tertiò, non esse vniversaliter verum, quod, quoties aliquis actus fit per speciem alterius rei, fiat actus independenter ab existentia objecti, habente se illa omninò materialiter. Quartò, impossibile esse absolutè, manere visionem, ablatâ verâ existentiâ Dei, sicut impossibile est, manere creaturam possibilem, ablatâ possibilitate Dei.

85. Inferes quintò, quod cum talis visio nequeat fieri independenter ab existentia, & præsentia Dei vt objecti, salvatur, nullam creaturam posse aliam beare independenter à Deo vt objecto; & licèt, suppositâ cessione adæquatâ influxûs objectivi, non influeret in visionem objectivè immediatè; mediatè tamen influeret in illam influens immediatè in speciem, quæ dependentia sufficeret, vt salvetur, quod Dei existentia, & pulchritudo infinita in se verè existens, non ficta, nec apparens sit, quæ nos beatificat.

86. Sed & si hoc verum sit, ac proindè impossibile, quod ablatâ verâ & physicâ existentiâ Dei detur visio ipsius intuitiva; nihilominus tamen hæc suppositio, *si ablato Deo permaneret species intuitiva ipsius, fieret visio intuitiva Dei*. non est implicatoria in adjecto, sed se habet eodem modo, ac hæc: *Si reddito impossibili Deo, maneret animal rat*io-

rationale, maneret homo: nàm, ſicut Deus non eſt hominis conſtitutivum, licèt ſit terminus eſſentialis relationis illius, ac proindè ablatio Dei ſolùm facit illam ſuppoſitionem impoſsibilem, non verò implicantem in adjecto, ità vera Dei exiſtentia non eſt conſtitutivum, ſed ſolùm terminus eſſentialis connexionis illius viſionis, illamque reddit impoſsibilem, non implicantem. In quò caſu (vt cum Arriaga num. 139. loquar) cõciperemus, manere viſionem Dei, ipſo realiter non exiſtente; ad eum modum, quô per vitrum, quod vocatur *philoſophicum* hiſpanè *Triangular* gratioſiſsimos, diverſiſsimoſque colores videmus, qui tamen realiter non exiſtunt (& idem contingit in viſione Iridis) Mihi certiſsimum eſt, recreationem, ac jucunditatem formalem tantam manſuram eſſe tunc, quanta nunc éſt; vtî ea delectatio ex viſione colorum eadem formaliter eſt, quæ eſſet, illis coloribus realiter à parte rei exiſtentibus, & idem dicendum de delectationibus omnium ſenſuum, ſi Deus eaſdem perceptiones objectorum, his abſentibus, conſervaret, quæ ſunt, illis præſentibus. Hoc ſuppoſito.

87. Vtrùm autem in eo caſu impoſsibili talis viſio, & voluptas dicenda ſit beatitudo formalis, necnè? eſt quæſtio de nomine. Aliqui cum P. Suar. Tan. Ovied. & alij. apud ipſum controv. 2. de Beatitudine punct. 3. tenent, non eſſe appellãdam beatitudinem eo, quod judicent, exiſtentiam veram, & realem Deî pertinere ad eſſentiam, & conſtitutionem beatitudinis æquè reſultantis ex ipſa, & viſione: vndè tali exiſtentiâ verâ deficiente, & ſi maneret viſio, non tamen beatitudo, nàm de bono apparenti non datur felicitas vera. Alij verò cum Vazquez, Hurtado, & Arriaga. d. 48. de Beatitud. num. 36. & hic numero 140. dicunt talem viſionem debere appellari beatitudinem. Poſſeſsio namque conſtitutiva beatitudinis non eſt phyſica, ſed intentionalis, quæ non deſumitur ab exiſtentia phyſica objecti. Etſicut quis intentionaliter poſsidet colores, fruendo eorum delectabilitate cognita, eſto realiter eos non tangat, neque hi realiter exiſtant, ità poſsideret intentionaliter Deum, etiam ſi hic phyſicè non exiſteret. Dic, quod volueris, ſed nec in vna, nec alia ſententia invenies ſpeciei noſtræ repugnantiam, nec dices hominem beatificari objectivè, per quid creatum, & finitum.

88. Obijcies decimò nonò ex eodem: objectum poſsidetur per cõcurſum ipſius objectivum; ſed ſuppoſitâ ſpecie impreſsâ, Deus non concurreret objectivè, ſed ſpecies dumtaxat: ergo non Deus, ſed ſpecies diceretur poſſeſſa, ac proindè nõ per Deum, ſed per ſpeciem bearetur intellectus.

89. Reſpondeo negando maiorem, quæ falſiſsima eſt: nàm vel ibi loquitur abſolutè de omni objecto, etiam creato, & tunc evidenter res eſt

est falsi; quià his solis objectis, quæ ad tactum, & gustum spectant, exceptis, reliqua verè posſidemus sine eo concursu, vt posſidemus musicam, spectacula, flores, odores &c. si hi mittant species, prout multi dicunt. Item: quis dicet, non tàm futurum gratum cibum, si Deus suppleat ipsius concursum in ordine ad sensationem, quàm sit de facto concurrens? Cibus autèm per eam delectationem, & florum pulchritudo per eum visum posſidetur, & non per concursum. Ità similiter Deus posſidetur non per concursum ipsius in visionem, sed per ipsam visionem; sed ablato immediatè Dei objectivo concursu daretur visio Dei: ergo & possesſio. E contra verò posito speciei concursu, ipsa species non cognosceretur objectivè: ergo non diceretur possessa formaliter, prout sufficit ad beandum.

90. Replicabis tamen: in speculo videtur facies intuitivè non minus, quàm in se ipsa; ac proindè dicitur, faciem posſideri à vidēte; sed solùm videtur in specie reflexa speculi, quæ est imago objectiva faciei, seù quod idem est species solùm videtur: ergo species solùm posſidetur: ergo similiter concurrente solùm specie impressa immediatè objectivè in visionem, ipsa, & non Deus, posſidebitur, vel Deum solùm ratione speciei dicetur posſideri.

91. Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem. In speculo namque non videtur species, aut aliqua imago objectiva condistincta ab objecto viso, ipsum enim obiectum, seù facies immediatè in se, ac proindè intuitivè videtur; per species tamen suas reflexas, & refractas in speculo, quæ non videntur. Vndè sola facies dicitur obiectivè possessa, non verò species. Ita communis sententia cum Conimb. Rub. Arriaga, & Alph. d. 8. sect. 11. Probatur primò: quià si non esset visio immediata objecti in se ipso, non esset intuitiva. Secundò: quià cognoscere in medio, seù mediatè, est proprium solius potentiæ discursivæ, qualis non est potentia visiva. Tertiò: quià si id, quod videtur in speculo, esset species, videretur in ipsa superficie speculi, in qua sunt species, non verò in tanta distantia intrinseca speculi, quantam obiectum habet extrinsecè. Alias rationes vide apud citatos.

92. Obijcies vigecimò ex eodem Quiros: sicut Deus est primum principium, ità & vltimus finis creaturarum. Immò in ratione principij admittit creaturarum cōsortium, non verò in ratione vltimi finis, ipse namque solus est bonum faciens, & beans; sed hæc ratia vltimi finis consistit in finalizatione, seù motione obiectiva, quâ Deus influit, & determinat obiectivè ad visionem beatam: ergo in hoc modo influendi nequit Deus admittere consortium creaturæ, quantò minùs illum totaliter creaturæ committere.

93. Respondetur, concedo ma-

maiorem, & nego minorem, quæ falsissima est. Primò: quià sicut Deus dicitur principium, ità dicitur finis omnis creaturæ; sed solùm in Angelis, & hominibus excercet tale munus finalizandi, & determinandi obiectivè, vt per se patet: ergo ratio vltimi finis vniversalis in alio prædicato debet poni. Secundò: Deus independenter ab eo, quod simus elevati ad ordinem supernaturalem, ac proindè ad videndum ipsum, est noster vltimus finis; sed independenter ab elevatione nequit dari talis visio, & influxus in Deo: ergo aliter debet explicari ratio vltimi finis in Deo. Tertiò: quiâ si, vt probabilis, & à nobis defenssanda sententia tenet, intellectus creatus redderetur intelligens, & beatus per intellectionem divinam, sine vllo influxu obiectivo in talem visionem esset vltimus finis talis creaturæ. Quartò: quià, licèt probabilior sententia teneat, exigi cõcursum obiectivũ in visionẽ; multorũ Catholicorum sententia tenet, non dari talem obiectivum concursum, nec in obiectis se ipsis, nec in speciebus, sed solùm requiri tamquàm cõditionẽ vt à potẽtia excitetur cognitio; & tamen nullus Catholicorum dubitabit, Deum esse vltimum finem nostrum: ergo à tali influxu non provenit Deo denominatio vltimi finis. Dicitur ergo vniversaliter vltimus finis omnium rerum, quià omnes ad eius gloriam ordinantur, & nil amplius.

94. Sed loquendo de creaturis rationalibus, & circa subjectam materiam de fine beatificativo, respondeo, concessâ majori, distinguendo minorem: hæc ratio vltimi finis consistit in finalizatione, seu motione objectivá terminativâ, concedo: motivâ, seu causativâ, nego. Duo munera excercet bonum in sui cognitionem, & fruitionem: alterum terminandi, quod dicitur objectum terminativum; alterum causandi, quod dicitur objectum motivum. Ex munere terminandi, non verò ex munere causandi, oritur tota sacietas, & delectatio, quæ in objectis percipitur, totaque eorum possessio, vt constat in exemplis supra positis. Sic si in me poneretur visio prati, eodem modo delectabor, ac si illam causarem. Munus terminandi non communicat Deus speciei, nec alteri creaturæ: cum nec species, nec alia creatura per talem visionem objectivè attingatur; munus verò causandi ei communicat, quod ad rationem vltimi finis beatificativi omninò materialiter se habet, vndè Deus manet adæquatè beatificans, licèt non maneat adæquatè producens.

95. Objicies vigesimò primò ex eodem: quò cognitio intuitiva magis conectitur cum objecto, eò est clarior: & ideo cognitio objecti proximi clarior est cognitione objecti remoti; sed visio Dei per speciem facta minùs cõnectitur cum Deo, quàm visio facta sine specie, siquidem ablato per impossibile Deo, & manente specie ipsa ma-

maneret: ergo non est summè clara, & consequenter nec beatificativa.

96. Maior, minor, & consequentia sunt falsæ. Maior est falsa, quia claritas, & connexio cum obiecto sunt prædicata disparata. Primò: quia visio colorum in Iride tàm clara est, quàm visio albedinis in pariete, & non tàm connexa, cum hæc fiat ab obiecto, non verò illa. Secundò: assensus Fidei plùs, vel ad minùs æquè connectitur cum obiecto, ac assensus scientificus, & tamen non est æquè clarus, sed obscurus. Vndè non ideo cognitio obiecti proximi clarior est cognitione obiecti remoti, quia magis connectatur cum obiecto, sed quia species obiecti remoti minùs intensè, & perfectè veniunt in potentiam. Minor etiam est falsa, quia sive fiat per Deum immediatè, sive per speciem, æquè connectitur visio cum Deo, vel quia cum specie partialiter obiectivè influit, vel quià influit vt causa vniversalis sivè immediata, sive mediata, per se tamen semper iuxta dicta in Physicis. Suppositio enim illa impossibilis solùm arguit, Deum non esse beatitudinis, seù visionis constitutivum; non verò, non esse terminum connexionis essentialis. Consequentia subsumpta est etiam falsa: nàm prima concessa, quod scilicèt talis visio non esset summè clara, nec tàm clara, quàm visio, ad quam Deus per se immediatè concurreret, non sequitur, non esse beatificativam. Tum, quia non repugnat vna beatitudo minùs clara, quàm alia. Tùm, quia visio summè clara creata in nostris principijs renuentibus possibilitatem creaturæ omnium perfectissimæ, repugnat.

97. Obijcies vigesimò secundò ex P. Amico: repugnat species expressa Dei: ergo, & species impressa, cum hæc ordinetur essentialiter ad illam.

98. Respondetur, antecedens esse omninò falsum, vt tenent omnes Nostri contra Thomistas: quæcumque enim cognitio creata est species expressa obiecti. Sed adhuc permisso, quod vox speciei expressæ repugnet, sub nomine visionis aut cognitionis Dei non repugnat. Ad hanc ergo cognitionem, seù visionem loco Dei concurrentis non repugnat, concurrere speciem, quæ non ordinatur per se ad speciem expressam, sed ad cognitionem, & visionem objecti.

99. Obijcies vigesimò tertiò ex Aldrete totis viribus intendente, talem speciem debere esse comprehensivam, ac proindè esse repugnantem. Omnis species quidditativa est objecti sui comprehensiva, sed ità se haberet species impressa Dei; ergo. Maior probatur primò: species immediatè proveniens ab objecto adæquat virtutem objectivam ipsius objecti, & ideò, quando ipsa concurrit, non permittit concursum adhuc inadequatatum objecti; sed species adæquata objecti est comprehensiva; ergo. Probatur secundò

dò: ſpecies immediata objecti eſt ipſa illius intelligibilitas juxta modum, quô petit cognoſci; ſed comprehenſio eſt adæquatio intelligibilitatis objecti juxta modum, quô petit cognoſci: ergo.

100. Probatur tertiò: menſura adæquandi cognitionem cum objecto cognito ad comprehenſionem deſumitur à cognitione propria, quâ objectum ſe cognoſcit, ſi ſit intellectivum: ergo ſimiliter menſura adęquandi ſpeciem cum objecto ad hoc, vt æqualis, & comprehenſiva dicatur, deſumi debet ab ſpecie, quam objectum de ſe cauſat; ſed illa ſpecies impreſſa Dei eſſet cauſata ab ipſo Deo de ſe: ergo.

101. Probatur quartò: ſpecies, quam de ſe ipſo producit Angelus, eſt comprehenſiva, & ideò eſt, quià eſt immediata intuitiva, & quidditativa, ideòque ſuæ intelligibilitati adæquata; ſed ſpecies impreſſa Dei ità ſe haberet: ergo.

102. Probatur quintò: ſi illa ſpecies non eſſet adæquata objecto, ac proindè comprehenſiva, poſſet eſſe minor, ac proindè non diſcernere Deum à creaturis, quod repugnat; & poſſet eſſe maior, ac proindè ſuper comprehenſiva Dei, quod pluſquàm repugnat.

103. Probatur ſextò: quià ſi non eſſet comprehenſiva, defectus æqualitatis tribueretur Deo, cum eſſet defectus ſpeciei, quæ eſt virtus objecti, ac proindè ipſius Dei, & aliàs ab intellectu creato capaci maioris, & maioris perfectionis non limitetur. Alias eiuſdē propoſiti probationes, omitto quià in dictas incidunt.

104. Retorqueo argumentum in Deo objectivè immediatè concurrente. Nàm cum Deus ità concurrens gerat munus ſpeciei impreſſæ, vel gerit munus ſpeciei impreſſæ comprehenſivæ reſpectu intellectûs creati, ac proindè intellectio creata, omniſque viſio beatifica eſt comprehenſio Dei, vel non? Quidquid reſponderis, tibi dicam pro ſpecie impreſſa. Reſpōdeo directè nego maiorē. Primò, quià ſpecies intuitiva non eſt comprehenſiva: ergo nec quidditativa ſimul; parùm namquè addit ad rationem comprehenſivæ ratio quidditativæ. Secundò, quià ſpecies ſolùm facit, quod obiectum erat facturum, cum loco illius ſubſtituatur; ſed Deus munus ſpeciei impreſſæ adæquatæ erga intellectum creatum nunquàm erat acturus: ergo nec ſpecies hic faciet. Tertiò, ſpecies, quam habet Angelus inferior de ſuperiori, eſt intuitiva, & quidditativa, & tamen non eſt comprehenſiva: ergo. Ad primam probationem reſpondetur: diſtinguo maiorem adæquat virtutem obiectivam obiecti, quam habet in ſe, nego: quam habet reſpectivè ad potentiam, cui immittitur ſpecies, tranſeat. Deus in ſe habet virtutem obiectivam adæquabilem, & comprehenſibilem, ſed non per intellectum creatum, ſed per intellectum divinum. Species propotionatur intellectui, cui immittitur, & vir-

virtus objectiva objecti similiter exercetur juxta capacitatem intellectûs, cuius est objectum: cum ergo intellectus creatus non sit capax comprehendendi Deum, nec Deus immittit illi speciem adæquatam sui, nec exercetur respectu illius tota virtus objectiva Dei. Dixi in distinctione *transeat*, quià non cõfertur necessariò intellectui species juxta totam capacitatem ipsius, quià ipse Deus objectivè immediatè concurrens non se communicat necessariò ea maiori claritate, & extensione, qua potest communicari intellectui humano; sed plùs, vel minùs juxta merita hominum, & beneplacitum ipsius, ità speciem produceret iam plùs, iam minùs intensam, vel extensam. Minor subsumpta solùm probat, speciem habere virtutem adæquatam respectu visionis, ideòque non admittere aliud comprincipium (quod ex dictis sæpè constat etiam esse falsum) non verò habere virtutem productivam visionis adæquatæ cognoscibilitati objecti cum eis circunstantijs, quæ ad comprehensionem requiruntur.

105. Ad Secundam probationẽ in primis noto: falsum esse, speciem esse cognoscibilitatem obiecti, hæc enim non distinguitur ab obiecto, & species realiter distinguitur ab illo, estque illius effectus. Vel propositionem æquivocam, vel confusam ità distinguo: species est cognoscibilitas objecti juxta modũ, quô petit cognosci à potẽtia, cui immittitur species, cõcedo: juxta modum, quô petit cognosci absolutè Deus, nego: cum ergo modus, quô petit cognosci Deus à potentia creata, cui species immittitur, non sit comprehensivus, ideò nec species erit comprehensiva.

106. Ad tertiã probationẽ transeat antecedens, quod examine indiget, & suppositum ipsius, quod scilicèt subiectum intellectivum creatum se ipsum naturaliter comprehendat, & nego consequentiam, & paritatem. Ideò enim mensura æqualitatis ad comprehensionem est cognitio, quâ subjectum intellectivum se cognoscit, quià cognitio est proprius actus, & perfectio cognoscentis, & connaturale est, vt ipsa adæquetur propriæ cognoscibilitati; at verò, cum species non sit nec actus, nec perfectio objecti producentis illam, solùmque ordinetur ad perfectionem, & cognitionem intellectûs, cui immittitur, indè est, quod non debeat esse æqualis necessariò objecto illam producenti, nec commensurari per illud, sed per intellectum, cui immittitur, & juxta maiorem, vel minorem perfectionem huius comparatione objecti cognoscendi dici æqualis, vel inæqualis comprehensiva, vel non comprehensiva; sed nullam æqualitatem habet intellectus creatus cum Deo cognoscendo: ergo & si species producatur à Deo, cum proportionetur intellectui creato, non erit æqualis Deo.

107. Ad quartam admitto pro nunc, quod species naturalis, quam

An-

Angelus producit de se, sit comprehensiva, & nego causalem: ideo namque est æqualis, & comprehensiva, quia potest deservire Angelis superioribus, vel saltem æqualibus, ac proindè comprehensivis Angeli producentis speciem; species autem intuitiva Dei solùm potest deservire intellectui creato, ideoque nunquam potest esse æqualis, & comprehensiva. Si enim Angelus produceret speciem, quæ naturaliter solùm potest deservire Angelis inferioribus, esset intuitiva, & quidditativa, & non esset comprehensiva.

108. Ad quintam respondetur: speciem necessariò esse minorem, seù non æqualem Deo, Quod autem ità sit confusa, vt vi illius non discernatur Deus à creatura, non est difficultas specialis in specie. Si enim admittatur, visionem intuitivam posse esse præscissivam cũ Arriaga, & alijs, poterit esse visio intuitiva, ac proindè species adeo inadæquata, & confusa, vt non discernat Deum à creaturis. Nàm si Deus concurrens immediatè ita posset visioné intuitivam producere, quid ni concurrens per speciem? Si verò contrarium teneatur in visione intuitiva, contrarium tene sine vllo in convenienti in specie. Non posse esse majorem, & supercomprehensivam Dei, patet: nam si æqualis nequit esse ad comprehensionem, quantò minùs superior ad supercomprehensionem? Nec ad supercomprehensionem sufficit quælibet majoritas, sed quæ sit infinitè simpliciter major, & quæ comprehendat objectum, & terminos omnes connexionis rei comprehensæ: ità se habet cognitio Dei respectu creaturę; non verò ità se habet ipsa cognitio Dei respectu sui ipsius: Deus enim licèt se comprehendat, non tamen se supercomprehendit.

109. Ad sextam respondetur: in Deo esse defectum virtutis comprehensibilis à creatura, sicut est defectus virtutis productivæ chimeræ: non enim est minùs impossibilis chimera, quàm comprehensio Dei, & ad imposibile non datur virtus in Deo. Deindè; defectus comprehensionis creatæ Dei, non tàm oritur vt à radice ex defectu potentiæ comprehensibilis in Deo, quàm ex imposibilitate ipsius comprehensionis, quia solùm defectus primariò attribuitur potentiæ, quãdò effectus est absolutè posibilis. Noto etiã pro mala loquutione hujus authoris, speciem non esse virtutem intrinsecam Dei, sed extrinsecam tantùm, eo modo, quo lumen; & sicut non dari lumen æquale Deo, quod sufficiat ad comprehensionem, non est defectus Dei de facto, ità non dari speciem æqualem, non erit defectus Dei de posibili.

110. Objicies vigesimò quartò ex eodem: Deus concurrit ad visionem, vt speculum voluntarium manifestando pro libito suas perfectiones, ità vt posset objectivè cessare; sed si concurreret Deus per spe-

ſpeciem creatam, concurreret connaturaliter, & non liberè, & ſemel poſito concurſu vniverſali, nec poſſet viſionem impedire, nec ſuas perfectiones, quarum eſt manifeſtativa ſpecies, celare: ergo per ſpeciem tolleretur hæc excellentia dominio divino.

111. Reſpondetur: quod ſi Deus partialiter objectivè cum ipſa viſione concurreret, ceſſaret tota vis argumenti: nàm in ordine ad impediendam viſionem, & manifeſtationem, tantum impedit defectus cauſæ inadæquatæ, quantum adæquatę; ſed adhuc nullatenùs concurrente, ſalvatur totum dominium Dei, tùm in neceſsitate conſequenti: illa enim impotentia impediendi viſionem, poſita ſpecie, oriretur ex voluntate libera Dei, quâ talem ſpeciem voluit producere, & neceſsitas conſequens non lædit dominiũ abſolutũ; tùm in concurſu vniverſali. Nàm ſicut de facto datur perfectiſsimum dominium Dei erga caloris productionem vi ſolius concursûs vniverſalis, qui licèt exigatur à ſole pro caloris productione, poteſt denegari à Deo, ità in caſu quæſtionis adhuc poſita ſpecie cauſativa viſionis, & manifeſtativa talium, ac tantarum perfectionum, licèt exigatur concurſus ab illa pro tali viſione, & manifeſtatione cauſanda, poteſt liberè denegari à Deo.

112. Objicies vigeſimo quintò ex eodem. Quo objectum magis proportionatur ſuæ viſioni, eo magis petit immediatè concurrere ad illam; ſed Deus eſt ſummè proportionatus ſuæ viſioni: ergo ſummè immediatè petit ad illam concurrere: ergo per ſe ipſum, & non media ſpecie. Major probatur: ideo nec objecta ſpiritualia, nec ſenſibilia concurrunt immediatè ad ſenſaſiones, quia non ſunt proportionata, illa ex ſpiritualitate, hæc ex diſtantia: ergo tota hæc mediatio, vel immediatio in concurſu fundatur in proportione objectorum. Indè probatur minor: quia Deus, & eſt ſummè immaterialis, & ſummè indiſtans ab intellectu: ergo ſummè proportionatus viſioni ſpiritùali.

113. En jam Aldrete, vltra proprias tenebras, Thomiſticas ambit. Argumentum ceſſat poſito concurſu immediatè partìalì Dei ſimul cum ſpecie. Reſpondetur tamen, negando majorem. Sic Deus ſummè proportionatus eſt ad cauſandos effectus creatos, & tamen illos producit medijs creaturis. Michael ſummè proportionatus viſioni Gabrielis, & ad illam media ſpecie concurrit. Ex hac autem ſumma proportione ſolùm inferretur, non eſſe neceſſariam ſpeciem, ſicut ex improportione infertur, eſſe neceſſariam; non verò, non eſſe poſſibilem, & licèt imporportionata non concurrant immediatè, vt objecta ſpiritualia, & ſenſibilia ob ſpiritualitatem, & diſtantiam ad ſenſaſiones, ex eo non ſequitur, quod objecta proportionata debeant ità immediatè concurrere, vt aliter

evenis

evenire non poſsit. Et licèt Deus, eo quod ſit immaterialis, & indiſtans, ac proindè proportionatus, non exigat ſpeciem ad viſionem producendam, non ideo exigit carentiam ſpeciei; ſicut, licèt Deus non exigat creaturam ad productionem ignis v.g. non ideo exigit carentiam creaturæ ad illius productionem.

114. Obijcies vigeſimò ſextò ex eodem: objectum exigens cognoſci per ſpeciem ſuperioris ordinis, nequit adhuc divinitùs cognoſci per ſpeciem inferioris ordinis; ſed omnia prædicata divina exigunt cognoſci per eſſentiam Dei habentem ſe, vt ſpecies impreſſa, de facto enim ità cognoſcuntur: ergo nequeunt adhuc divinitùs cognoſci per ſpeciem creatam. Majorem poterat probare Aldrete primò: objectum ſpirituale nequit cognoſci per ſpeciem materialem; nulla alia ratione, niſi quia petit cognoſci per ſpeciem ſpiritualem ſuperioris ordinis.

115. Secundò: effectus exigens connaturaliter cauſam ſuperiorem nequit produci à cauſa inferiori. Effectus namque exigens cauſam ſuperiorem, illam exigit ſecundum totam ſuam virtutem; ac proindè cum cauſa inferior adæquare nequeat totam cauſæ ſuperioris virtutem, nequit ab illa produci: ergo ſimiliter objectum exigens cognoſci per ſpeciem ſuperiorem, nequit per ſpeciem inferiorem cognoſci, cum illam exigat ſecundùm totam ſuam virtutem, quæ adæquari nequit per ſpeciem inferiorem. Confirmatur: nulla ratio poteſt aſſignari, cur anima rationalis nequeat generari præter hanc, quod ſcilicèt effectus petens cauſam ſuperiorem non poſsit produci ab inferiori.

116. Reſpondetur, diſtinguo maiorem: ſi exigeret cognoſci per ſpeciem ſuperioris ordinis eſſentialiter, & indiſpenſabiliter, concedo: ſi merè connaturaliter, & diſpenſabiliter, nego: & ità ſe habet exigentia prædicatorum divinorum erga ſpeciem increatam. Sic, licèt Angelus, & materia prima exigant connaturaliter produci à ſolo Deo per creationem, poſſunt tamen produci à Deo, & alia creatura habente ſe vt inſtrumento naturali creationis in noſtris principijs tale inſtrumentũ admittẽtibus. Ad primam maioris probationem vltra ſupra dicta, reſpondetur, nullam dari repugnantiam in eo, quod intellectus determinetur ad objecta ſpiritualia per ſpecies materiales, munus namque determinandi proprium ſpeciei eſt purè effectivum, quod ad diſtinctionem vitalis non requirit proportionem ſpiritualitatis, ſicut requiritur inter objectum, & potentiam, ideòque licèt potentia materialis elevari nequeat ad percipiendum objectum ſpirituale, ſpecies tamen materialis cõcurrere poteſt ad cognitionem ſpiritualem objecti ſpiritualis. Sic, juxta plures, ſpecies intelligibilis ſpiritualis producitur à phantaſmate materiali. Immò Angelus

gelus, juxta Schotum, & intellectus noster juxta Nominales, & Hurtado, per suas species materiales sensibilium determinatur ad actus spirituales. Et sic pro congruentia: quod sicut potentia respiciens objecta altioris ordinis potest inferioris ordinis respicere, v. g. intellectus respiciens spiritualia, respiciat etiam materialia, non verò è contra, ità in speciebus, licèt potentia, quæ per species materiales movetur, nequeat per spirituales moveri, at quæ per spirituales movetur, poterit per naturales moveri.

117. Ad secundam probationem nota, ex ea solùm sequi, non posse speciem esse causam adæquatam, & principalem visionis, non verò non posse esse causam inadæquatam, & instrumentalem ipsius, concurrente Deo vt causa elevante, & principali, de quô iam supra. Vndè talis concursus Dei requiretur, non titulo objecti, sed titulo proportionantis causam ad effectum. Insuper falsum est, vniversaliter dicere, causam inferioris ordinis non posse ingredi loco superioris ad productionem effectûs exigentis illam connaturaliter. Falsum etiam est, quod, eo quod exigat illam connaturaliter, exigat illam secundùm totam suam virtutem, & perfectionem: ad effectum enim producendum, non requiritur, quod tanta sit virtus in causa inferiori, quanta in superiori; sed quod tanta sit in causa, quanta in effectu; cum autem posit hoc ità evenire sine æqualitate inter causas, potest ex hac parte causa inferioris ordinis producere effectus exigentes connaturaliter causas superioris ordinis. Sic potest dari instrumentum naturale creationis, seù aliqua creatura, quæ producat per creationem materiam primam v.g. licèt hæc exigat Deum vt causam sibi connaturalem.

118. Confirmationis causalis est absolutè falsa. Tùm, quià falsum est, animam rationalem non posse generari saltem ex aliqua materia spirituali, quam posibilem judicant aliqui. Nec recúrras ad actionem generativam ex se inferiorem creatione, quam petit, quià poterat aliqua generatione supernaturali produci, quę ratione supernaturalitatis excederet modum perfectiorem actionis creativæ. Tùm quià, & si nequeat generari ex subjecto materiali, alia quærenda est ratio, & quoad præsens, hæc fortè afferri potest, quod sit contra dignitatem animę, quod educatur ex potentia corporis, & ab illo in esse, fieri, & conservari dependeat. Et quod nequeat naturaliter ex re materiali educi, ex eius spiritualitate infertur. Nequit namque res spiritualis dependere intrinsecè à materia pro omni suo statu cōnaturali, vt nōsemel diximus.

119. Obijcies vigesimò septimò: gratia habitualis, aliaque dona supernaturalia, habitus scilicèt infusi, eo quod formaliter sanctificent ob suam excellentiam, ità petunt Deum, vt causam particularem, quod nequeant à causa secunda

da produci: ergo cum visio beatifica formaliter ob suam quoque excellentiam, ità exiget à Deo provenire vt à causa particulari, quod nequeat ab specie produci.

120. Argumentum plura continet falsa, & dubia. Retorqueo illud in primis. Gratia habitualis, eo quod sanctificet ob suam excellentiam, ità petit Deum, vt causam adęquatam, quod nec inadæquatè possit à creatura provenire: ergo visio beatifica ità se habebit, vndè nec à lumine, nec ab intellectu proveniet. Insuper: falsum est, exigere Deum, vt causam particularem, arguere maximam excellentiam, & excessum perfectionis. Sic materia, quæ juxta D. Augustin. est vilissimum omnium ens, exigit à solo Deo per creationem produci: quod asseritur de gratia est dubium. Tùm quià plures judicant cum P. Granado in materia de Gratia tract. 4. d. 8. sect. 5. num. 44. gratiam habitualem physicè profluxisse ab vnione hypostatica. Tûm quià Thomistæ communitèr judicant, de facto à Sacramentis imprimi animæ qualitatem productivam gratiæ. Tùm quià juxtà omnes ferè nostros possibile est aliquod instrumentum connaturalìter productivum gratiæ. Et sic argumentum est egregia nostræ conclusionis confirmatio. Duplicem tamen disparitatem assignant DD. inter gratiam, & visionem, ob quas potest admitti antecedens, & negari consequentia. Primam assignat Arriaga quod scilicèt, gratia est amicitia cum Deo, non ità visio, & amicitia non nisi ab ipso amico videtur posse conferri. Secundam assignat Compt. quod, scilicèt gratia, est natura, & actus primus in ordine supernaturali, vndè nequit connaturaliter dari alia qualitas illius productiva. Aliàs iam ipsa gratia non esset actus primus.

121. Objicies vigesimò octavò: Deus potest videri per speciem: ergo & poterit videre per speciem. Probatur consequentia: ideò Deus potest videri per speciem, quià, licèt sit ex se intimè præssens intellectui, & summè proportionatus, potest affectando absentiam, se habere quasi absens, & fieri voluntariè improportionatus per nolitionem concurrendi objectivè: ergo, licèt omnes res sint etiam intētione intimè pręsentes, & proportionatissimæ respectu intellectûs divini, poterit Deus illas virtualiter absentes à se, & improportionatas constituere per nolitionem attingendi eas immediatè, ac proindè eas per speciem impressam attingere.

122. Retorqueo: Deus potest cognosci, & de facto cognoscitur per intellectionem superadditam: egro Deus poterit etiam per intellectionem superadditam cognoscere. Respondetur, concedo antecedens, & nego consequentiam, ad cujus probationem concedo antecedens, & nego consequentiam: quod scilicèt possit Deus creaturas à se absentes, & sibi improportionatas reddere, & quod sit possibilis nolitio attingendi

gendi

gendi eas immediatè, & suppositum, quod hoc dependeat à voluntatè libera Dei. Modus, quô Deus potest facere res à se distantes, vel esset non producendo ipsas immediatè, & hoc supponitur impossibile, vel non cogoscendo eas, & cum hoc etiam sit impossibile, non est penès voluntatis divinæ arbitrium. Intellectus namque divinus necessariò cognoscit omnia, & omnibus modis, quibus cognoscibilia sunt. Item sicut repugnat cognitio superaddita Deo, quià Deus mutaretur per ipsam, & adveniret illi in tempore aliquod accidens intrinsecum, ità ob id ipsum repugnat species in Deo: species namque ipsa vt determinet, debet recipi intrinsecè in potentia.

123. Replicabis: quia Deus redderetur determinatus per quid ipsi superadditum repugnat species impressa, quâ cognoscat creaturas: ergo quia redderetur cognoscibilis per quid superadditum, ipsi repugnat species impressa, quâ cognoscatur à creaturis.

124 Respondeo, denominationem determinati, quam causaret species impressa in Deo esse intrinsecam, ac proindè per formam sibi intrinsecè inhærentem, & repugnat, Deum accipere per quid creatum, & in tempore aliquam denominationem intrinsecam, at verò denominatio cognoscibilis, quam accipit ab specie impressa est extrinseca, nec per formam sibi intrinsece inhęrentem, & denominationes extrinsecas per instans accipit Deus, v. g. denominationes amati, cogniti, amabilis, & cognoscibilis. Nota tamen; hanc vocem *cognoscibilis* esse æquivocam, cum deserviat, & ad significandam capacitatem quasi radicalem, & fundamentalem, quam habet res, vt cognoscatur, quæ est intrinseca ipsi rei, quamque nec Deus, nec creatura potest per formam sibi superadditam accipere, & etiam capacitatem proximam, vt res cognoscatur, quæ in creaturis est sæpè necassariò extrinseca proveniens ipsis ab speciebus impressis, & in Deo potest esse extrinseca, vel intrinseca pro ipsius arbitrio, si velit se ipso visionem producere objectivè, erit intrinseca, si velit autem, visionem per speciem producere, erit extrinseca proveniens illi à visione. Nota etiam, hîc *cognoscibile proximè* confundi cum causante visionem, seu causativo visionis in actu secundo. Et sicut Deus est causativus hominis v. g. intrinsecè, ità est intrinsecè cognoscibilis, & sicut hîc, & nunc causat, seù est causativus in actu secundo iam adæquatè se solo, iam inadæquatè partiendo suum cōcursum cum creaturis prout vult, ità dum cognoscitur hîc, & nunc est cognoscibilis in actu secundo iam adæquatè, iam inadæquatè, iam verò nullatenùs se ipso immediatè concurrente.

***

QVÆS-

QVÆSTIO X.

VTRVM DE POTENTIA Dei absoluta posſit intuitivè videri Natura divina ſine attributis, & è contra: & vnum attributum ſine alio.

1. DE facto Beatos videre eſſentiam, & Perſonas Divinas, eſt de Fide, & definitum in Concilio Florentino. Videre attributa notiſsima, vt Omnipotentiam, Juſtitiam, Miſericordiam, eſt certiſsimum. Videre item aliqua decreta libera, apertum in Concilio Senonenſi decreto Fidei 13. quo damnat errorem affirmantium, Beatos non eſſe orandos, eo quod illis noſtræ preces non innoteſcant, vndè Beati vident quidquid ad illos attinet, ac proindè aliqua decreta libera, non tamen videre omnia decreta libera; firmiſsimum eſt apud Theologos. Sed hoc de facto, relicto, quod apud prælodatos videri poteſt, pro intento præſentis quæſtionis

2. Prima ſententia tenet, nec de petentia Dei abſoluta poſſe videri eſſentiam ſine attributis, aut vnum attributum ſine alio. Ita Exim. D. lect. 2. de attributis negat cap. 22. Molin. Heric. Becan. Faſol, Val. Vazq. Thomiſtæ communiter cum Ioann. à Sancto Thoma Scotiſtæ item cum Subtili ſuo apud Leonardum diſt. 21. de viſ. num. 1. quibus adde Gonet. diſt. 5. de viſ. art. 2. num. 4. Lumb. num. 646. quæſt. 13.

5. Secunda ſententia affirmat. Ita Salas. Alarc. Hurt. Granad. Arr. Martinon, & Alij apud iam citatum Leonard. num. 5. item Compt. diſt. 12. de viſ. num. 7.

4. Dico primò: *repugnat videri eſſentiam ſine attributis.* Concluſio in meis principijs eſt evidens. Nam cum per me eſſentia divina conſtituatur metaphyſicè omnibus attributis, & perfectionibus abſolutis, ſicut videri intuitivè hominem ſine anima rationàli, repugnat, & conſtitutum ſine conſtitutivis metaphyſicis, ità videri eſſentiam ſine attributis, repugnat. Vndè, vt detur locus quæſtioni abſolutè, facta etiam comparatione inter eſſentiam, & attributa, ſupponendum eſt, eſſentiam conſiſtere, vel in aſeitate, vel intellectu à ſe, aliavè perfectione particulari, darique vnum prædicatum, quod ſe habeat vt radix, aliaque ſe habentia, vt radicata. Quo ſuppoſito,

5. Dico ſecundò: *Eſſentia poteſt intuitivè videri ſine attributis, hæc ſine eſſentia; & vnum attributum ſine alio.* Probatur hac ratione, vnica, efficaci, & everſiva: Eſſentiam videri ſine attributis, & vnum attributum ſine alio non repugnat, nec ex parte objecti, nec ex parte actûs: ergo. Antecedens quoad primam partem probatur. Nam hîc ſupponimus, eſſentiam ab attributis, & attributa inter ſe virtualiter diſ-

distingui; sed quæ virtualiter distinguntur, possunt formaliter præscindi: ergo ex parte objecti, naturæ scilicèt, & attributorum, nulla datur repugnantia, vt cognoscatur vnum, alio non cognito: de facto enim juxta ipsos adversarios abstractivè præscinduntur, in quo ex parte objecti eadem est difficultas. Undè tota repugnantia devolvitur ad actum. Quam non dari, & sic antecedens quoad secundam partem,

6. Probatur: possibilis est, imò de facto datur visio intuitiva, quæ ex duobus realiter identificatis attingat vnam formalitatem, non verò aliam, (vel vt abstraham à præscissionibus objectivis: in omni enim sententia, vel objectivè, vel solùm formaliter præscindentium datur locus quæstioni,) vel quæ attingat totum objectum in ordine ad vnam operationem, non verò in ordine ad aliam: ergo etiam si Essentia, & attributa divina realiter sint idem, non repugnat ex parte actûs, quod intuitivè videatur Essentia sine attributis, & è contra. Probatur antecedens triplici exemplo communiter alato. Primum sit: potentia visiva intuitivè percipit colorem realiter identificatum cum ratione qualitatis, & relatione transcendentali, quam dicit ad subjectum; sed nullatenùs percipit conceptum qualitatis, & relationis: ergo. Secundum sit: Angelus naturaliter intuitivè se ipsum cognoscit; sed non cognoscit potentiam obedientialem ad vnionem hypostaticam v. g. secum realiter identificatam: aliàs ipsam vnionem naturaliter certò cognosceret, quod est contra conceptum supernaturalitatis ipsius: ergo. Tertium sit: visio beatifica, quæ de facto datur, intuitivè cognoscit aliquos actus liberos Dei, non tamen omnes, vt constans est apud Theologos; sed omnes sunt realiter identificati inter se: ergo. Hi sylogismi ita efficaces sunt, vt obligent adversarios concedere majorem, & minorem, & negare consequentiam, non parùm deludantes in assignanda disparitate, irrito tamen labore.

7. Prima disparitas pro primo exemplo est. Ideò, viso colore per potentiam materialem, non videri qualitatem &c. quia hæc prædicata sunt extra sphæram potentiæ visivæ; aliter autem omnia attributa sunt intra sphæram potentiæ intellectivæ: vnde nequit vnum videri, alio non viso.

8. Contra tamen primò: nàm si non obstante reali indentitate inter eas formalitates coloris, & qualitatis, potest vna esse intra, & alia extra sphæram alicuius potentiæ, quantò magis non obstabit ea realis identitas attributorum, ad hoc, vt vnum sit intra, aliud verò extra rationem objecti alicuius actûs intuitivi. Secundò: licèt omnia attributa sint intra sphæram adæquatam potentiæ intellectivæ, non sequitur, quod sint intra sphęram totius actûs potentiæ intellectivæ, latiùs enim patet potentia, quàm actus: ergo

go sicut, quià qualitas est extra sphæram potentiæ visivæ intuitivè videtur color, ipsâ qualitate non visâ; quià Omnipotentia est extra sphæram actûs terminati ad justitiam, intuitivè cognoscetur hæc, illâ non cognitâ. Tertiò: cum potentia visiva percipit colorem, & non qualitatem, mittit intellectui speciem talis objecti: tùnc ergo intellectus ab illa determinatus, utpotè, qui dependenter à phantasmatibus intelligit, producit cognitionem vi sui proportionatam; sed visio illa est intuitiva, & inadæquata percipiens rationem coloris, & non qualitatis: ergo ità erit cognitio.

9. Secunda disparitas pro secundo exemplo est. Ad hoc vt Angelus cognoscat potentiam obedientialem, non est necessè, quod cognoscat distinctè connotata ipsius, ac proindè nec vnionem hypostaticam. Hinc vlteriùs infert P. Herice, cuius est hæc solutio, quod etiam si beatus cognoscat omnes Omnipotentiæ prçcontinentias, non tamen cognoscit in particulari omnes terminos præcontentos. Parum differt disparitas, & solutio Fasoli: asserit enim, pro cognitione potentiæ obedientialis, sufficere cognoscere in communi, quod, quidquid non implicat contradictionem, potest fieri à creatura, & recipi in illa.

10. Contra primò: si Angelus positus in puris naturalibus rogaretur: an sit possibilis vnio hypostatica, & Antichristus? vel assertivè responderet, & ità naturaliter cognosceret vnionem hypostaticam, & terminum Omnipotentiæ in particulari, vel dubitativè, eo quod ignoraret vtrumque? Ergo, & ignoraret potentiam obedientialem ad vnionem, & præcontinentiam Antichristi. Patet consequentia: nàm, cum idem sit, esse possibilem terminum, ac dari potentiam, & præcontinentiam ipsius, repugnat ignorari possibilitatam vnionis, & Antichristi, & certò sciri potentiam obedientialem, & prçcontinentiam ipsorum. Secundò: cum natura identificatur non solùm potentia obedientialis vt sic, sed talis obedientialis potentia. Rogo: vel solùm cognoscitur potentia obedientialis vt sic, vel etiam talis potentia obedientialis? Si primum: ergo ignoratur talis potentia obedientialis. Tùm sic; sed taleitas hæc est quid realiter identificatum cum natura: ergo iam intuitivè fit præscisio. Si secundùm: ergo cognoscitur terminus talis potentiæ, nempè vnio hypostatica v. g. repugnat enim cognosci talis potentia, quin cognoscatur talis terminus, sicut cognosci potentiam vt sic, sine termino vt sic. Tertiò: potentia obedientialis non est ad terminum vt sic, & in confuso, sed ad terminos speciales, vnionem scilicèt hypostaticam, gratiam &c. ergo pro cognitione ipsius non sufficit cognitio cõfusa ad quid quid non implicat contradictionem.

11. Tertia disparitas pro tertio exemplo est. Ideò cognito vno actu libero, alios non cognosci, quià ad

ad horum cognitionem, necessaria est cognitio creaturarum, quæ sunt talium actuum connotata.

12. Contra tamen primò: quidquid sit, an hoc proveniat ex hoc, aliovè capite, certum est, omnes illos actus realiter identificari, & omnes illos non videri per actum intuitivum: ergo & constans erit nostra probatio nil aliud intendens. Secundò: & reliqua alia attributa connotant creaturas, v. g. Omnipotentia possibilia, immensitas spatium, justitia delicta, misericordia miseriam sublevandam: ergo ob eandem rationem poterunt ad invicem intuitivè præscindi. Tertiò: vt cognoscatur clarè, & intuitivè actus liber de productione Petri, & similiter præcontinentia ipsius Petri, & idea divina circa eundem, non est necesse cognoscere connotatum actûs liberi de productione Pauli, præcontinentiæ ipsius, & ideæ circa eundem, cum nulla detur relatio, & connexio vtriusque connotati: ergo etiam si, quià ignoratur Paulus, non cognoscatur præcontinentia, actus liber, & idea ipsius, poterunt intuitivè videri actus liber, præcontinentia, & idea circa Petrum.

13. Prima vniversalis disparitas tàm pro primo exemplo, quàm pro alijs deductis ab actibus, tùm potentiarum materialium, tùm intellectûs, deductis tamen per media creata, est. Tales actus esse merè intuitivos, seù intuitivos imperfectè, non quidditativos, seù perfectè intuitivos, quales sunt beatifici, in quibus similis præscissio, seù inadæquatio repugnat.

14. Contra primò: iam reducitur quæstio ad puras voces: nàm, si per cognitionem perfectè intuitivam, & quidditativam intelligant vnicè adæquatam, extra dubium est controversia: quis enìm dicet, possibilem esse cognitionem adæquatam præscissivam? Esset enim adæquata, & non adæquata; ex hoc tamen, contra secundò: ità respondere est petere principium: est enìm idem, ac dicere: non esse possibilem cognitionem intuitivam præscissivam, quià non est quidditativa, ac dicere: non esse possibilem cognitionem intuitivam inadæquatam, quià non est adæquata, seù quià est inadæquata, quod est reddere idem per idem. Tertiò: rogo, cognitio, quâ beatus de facto cognoscit vnum actum liberum, & non alios, vnam præcontinentiam, vnam ideam, & non alias, est perfectè intuitiva, & quidditativa, vel non? Si primum: ergo cum inadæquatione actûs præscissivi componitur perfecta intuitio, & quidditas cognitionis. Si secundùm: ergo cum talis cognitio sit beatifica attingens Deum vt est in se, absque eo, quod sit quidditativa, ità ea, quæ attingeret essentiam sine attributis, & quam solùm possibilem in præsenti defendimus.

)(***)(

SEC-

SECTIO VNICA.

SOLVUNTVR ARGVMENTA.

15. OBijcies primò: per visionem beatificam cognoscitur Deus sicuti est in se, juxta illud Joan. 3. *Quoniàm videbimus eum sicuti est*. In hocque distinguitur cognitio intuitiva ab abstractiva, quod hæc terminatur ad rem, vt est in se à parte rei, abstractiva verò terminatur ad objectum juxta captum intellectûs, non vt est in se, sed distinguens, & dividens illud; sed Deus à parte rei, & in se, est omnipotens, misericors &c. ergo repugnat, quod cognoscatur intuitivè, & inadæquatè.

16. Respondeo: distinguo maiorem: cognoscitur Deus sicuti est in se, id est, per species proprias, & immediatas, concedo: id est, adæquatè, nego. Ad cognitionem intuitivam, & quidditativam non requiritur, quod attingat omnes formalitates objecti, seù objectum adæquatum, sed quod cognoscat objectum in se, & per proprias, & immediatas species. Et in hoc solùm distinguitur à cognitione abstractiva, quæ aliter objectum attingit non in se, sed in alio, non per proprias, & immediatas, sed per alienas species. Cognoscere ergo adæquatè, vel inadæquatè, objectum, non est distinctivum cognitionis intuitivæ, & abstractivæ, sed ratio superior contrahibilis ab vtraque cognitione. Immò nec cognoscere magis, & minùs clarè objectum, est distinctivum vtriusque: nàm licèt frequentiùs cognitio intuitiva clarior sit abstractivâ, potest creatura clariùs cognosci in Omnipotentia abstractivè, quàm in se ipsa intuitivè, vt optimè notat Arriaga. Vndè illæ voces dictæ de cognitione intuitiva: *Cognoscere objectum vt est in se, vt est à parte rei, vt est in se existens, & subsistens*, si aliter intelligantur, quàm cognoscere objectum in se, & per proprias species: sicut contrariæ *cognoscere objectum non vt est in se, sed juxta captũ mentis dividens, & distinguens*, quæ applicantur cognitioni abstractivę, si aliter concipiantur, quàm cognoscere objectum in alio, & per alienas species, admittendæ non sunt. Vndè licèt Deus in se sit justus, Omnipotẽs &c. cum cognitio terminata ad essentiam non cognosceret Deum adæquatè, non terminaretur ad justitiam, Omnipotentiam &c.

17. Obijcies secundò: nullum objectum omninò indivisibile, quod secundùm se totum continetur intra rationem formalem, & sphæram potentiæ, potest cognosci clarè, & intuitivè, quin adæquatè videatur; sed divina Essentia, Personę, & attributa sunt objectum in ratione talis indivisibile, quod secundùm se totum continetur intra rationem formalem, & sphæram potentiæ intellectivæ illustratæ lumine gloriæ: ergo. Probatur maior: repugnat videri

deri punctum coloris clarè, & intuitivè, & quod aliquid coloris lateat potentiam visivam, quià nimirùm est indivisibile, & in indivisibili vnum, & aliud repugnat: ergo. Probatur minor: ideò punctum est indivisibile, quià quidquid est in puncto, est de essentia puncti, sed quidquid est in Deo, est de essentia Dei: ergo quidquid est in Deo, nempè essentia, & attributa, est vnum objectum indivisibile.

18. Confirmatur primò ex Aristotel. metahysicor. 9. cap. 12. dicente; non contingere, quod intellectus noster decipiatur circa simplicem substantiam, sed vel eam omninò attingere, vel omninò ignorare, nàm in ea non datur vnũ, & aliud; sed Deus est simplicissima entitas: ergo, vel penitùs ignoratur, vel cognoscitur penitùs, quin evenire possit, quod intellectus aliquid videat, & aliquid ignoret.

19. Confirmatur secundò: nequit videri homo sine animali rationali, neque Petrus sine petreitate, quià animal rationale est de essentia hominis, & petreitas de essentia Petri, & quià cognitio Petri est cognitio individualis Petri; sed quidquid est in Deo est de essentia Naturæ Divinæ, & visio Naturæ est cognitio individualis ipsius: ergo nequit cognosci intuitivè natura sine attributis.

20. Ex argumento, & confirmationibus sequitur, nequè abstractivè posse cognosci essentiam sine attributis. Tùm quià neque abstractivè potest cognosci Petrus sine petreitate, homo sine animali rationali, & punctum sine aliquo puncti. Tùm quià non minùs requiritur divisibilitas virtualis ad cognitionem inadæquatam abstractivam, quàm ad intuitivam: ergo si Essentia, & attributa se habent sicut Petreitas respectu Petri, & sunt penitùs quid indivisibile, nec abstractivè poterunt præscindi.

21. Respondetur distinguendo maiorem: nullum objectum indivisibile potest cognosci intuitivè, quin adæquatè cognoscatur, si sit tàm realiter, quàm virtualiter indivisibile, concedo: si sit virtualiter saltem divisibile, nego. Nunc supponitur, essentiam, & attributa, & hæc inter se virtualiter distingui, & consequenter, neque attributa esse de conceptu metaphysico essentię, aut è contra, nec vnum attributum de essentia metaphysica alterius, licèt realiter identificentur, vndè potest intuitivè videri essentia sine attributis, & è contra, neque faciunt vnum objectum penitùs indivisibile. Vndè neque se habent sicut aliquid puncti respectu puncti, nec sicut petreitas respectu Petri, aut animalis rationalis respectu hominis, quià & punctum est de essentia metaphysica puncti, & Petreitas de essentia metaphysica Petri, & animal rationale de essentia metaphysica hominis, quin inter punctum, & punctum, Petrum, & Petreitatem, hominem, & animal rationale de

detur virtualis distinctio. Attributa tamen non sunt de essentia metaphysica Naturæ, & inter ipsa, & naturam datur distinctio virtualis. Vndè soluta manet secunda confirmatio. Ad primam dic: *ibi loqui Aristotelem* de substantia simplici tàm realiter, quàm virtualiter, non de simplici solùm realiter formaliter, & virtualiter duplici, qualiter se habent essentia, & attributa. Quod patet. Nàm ibi etiam loquitur de cognitione abstractiva, & per vos solùm in substantia simplici, tàm realiter formaliter, quàm realiter virtualiter, nequit dari cognitio vniùs formalitatis cum ignorantia alterius.

22. Obijcies tertiò: de finitio, quæ non explicat essentiam rei per genus, & differentiam, non est quidditativa, & si exprimat partem essentiæ: ergo visio Dei, quæ exprimeret naturam, & non attributa simul non esset quidditativa.

23. Ex argumento vires summit conclusio: nàm sicut ad hoc vt aliqua definitio sit quidditativa sufficit, quod repræsentet rem per genus, & differentiam v. g. hominem per *animal rationale* absque eo, quod repræsentet simul quidquid realiter identificatur cum rationali, v. g. *Risibile*, aut *Admirativum*. Ità vt illa visio sit quidditativa, sufficiet, quod repręsentet essentiam metaphysicam Dei, genus scilicèt, & differentiam ipsius juxta cuiusque definitionem, quin repręsentet omnia, vel aliqua attributa, quæ supponimus, non esse de conceptu metaphysico Dei.

24. Replicabis: ergo ea visio, quæ terminatur ad attributa, & non ad Essentiam, non erit quidditativa, ac proindè nec perfectè intuitiva.

25. Respondeo distinguendo consequens: ergo non erit visio quidditativa Dei, concedo: entitatis divinæ, seù objecti divini, nego. Talis enim visio non esset quidditativa Dei cum non repræsentaret conceptum genericum, & differentialem Dei, à quibus præscindit. Esset tamen quidditativa objecti divini, vel entitatis divinæ, v. g. Omnipotentiæ, justitiæ &c. cum repræsentaret essentiam talium attributorum. Utrùm autem talis cognitio dicenda sit absolutè quidditativa, nec nè? est quæstio de nomine. Certum judico, debere appellari intuitivam, vel aliud proba.

36. Obijcies quartò ex Joann. à S. Thoma, & Genet vbi supra. n. 8. Nequit quidditativè cognosci Deus, nisi cognoscatur vt actus purus: ergo nequit quidditativè cognosci aliquid Dei, nisi cognoscatur totum, quod est in Deo. Probatur consequentia: actus purus caret omni compositione, & possibilitate: ergo actu continet totum; nàm si actu non esset totum, actu caret aliquo, haberet possibilitatem ad illud, & componeret cum illo: quod est contra rationem actùs puri, in quò idem est aliquid, quod totum, & idem latere aliquid, ac latere totũ.

Re-

Roboratur: quià creaturæ sunt compositę, quià quodlibet prędicatum ipsarum non est totum, neque actus purus; potest videri vna formalitas, non visâ aliâ cum ea realiter identificatâ: ergo quià Essentia Divina est incapax compositionis, est totum, quod est Deus, & actus purus, non poterit videri vna formalitas Dei, aliâ non visâ.

27. Respondeo: argumentum evertit & posse cognosci abstractivè aliquod attributum Dei sine alijs, & omnem distinctionem virtualem inter ipsa, quod est contra omnes Thomistas: nàm cognitâ abstractivè Omnipotentiâ sine justitia, iam non cognosceretur vt actus purus, cum non cognoscatur vt totum, quod est Deus, dicatque posibilitatem ad alia prædicata. Insuper, plùs distinguitur Omnipotentia à justitia, quã Omnipotentia à se ipsa: ergo inter Omnipotentiam, & justitiam intercedit aliqua distinctio virtualis. Rogo, vel hæc distinctio, & capacitas, vt cognoscatur abstractivè vnum sine alio, officit rationi actûs puri, vel non? Primum est contra vos. Si secundum: ergo similiter capacitas, vt cognoscatur intuitivè Omnipotentia sine justitia, non officiet rationi actûs puri in Omnipotentia. Insuper: cum Beatus cognoscit vnum actum liberum, & non alios, vel cognoscit illum vt actum purum, vel vt habentem potentialitatem? Si secundum: iam non erit prædicatum divinum. Si primum: ergo vt totum Deum adæquatè; ergo cognosceret omnes actus liberos. Omnes enim sunt aliquid Dei, & si lateret aliquid Dei, totus Deus lateret. Dicendum ergo, non esse contra rationem actûs puri, quod vnum cognoscatur, & non aliud. Ex hoc enìm non sequitur, quod careat positivè alio, nec quod dicat potentialitatem positivam, nec quod componat physicè cum illo, quod esset cõtra rationem actûs puri, sed solùm, quod non dicat illud in suo conceptu essentiali, ac proindè quod distinguatur virtualiter ab illo, & quod terminet aliquam cognitionem inadæquatam. Vtrùm autem hæc virtualis distinctio argueret capacitaté compositionis metaphysicæ, sicut arguit capacitatem constitutionis? est quæstio de nomine. Dic, quod volueris.

28. Obijcies quintò: viso intuitivè attributo, necessariò videtur sub ratione attributi: ergo necessariò videtur Essentia: nàm attributum est radicatum. Viso enìm radicato, radicem videri necesè est; sed Essentia est radix: ergo necessariò videtur Essentia.

29. Respondetur: nego antecedens; potest enìm videri vt talis perfectio: v. g. Omnipotentia vt est virtus operativa independens. Sed transeat antecedens, & distinguo consequens: ergo necessariò videtur essentia vt est radix omnium attributorum, nego. Ac proindè iam non videtur tota essentia: vt est radix illius particularis attributi; subdistinguo; videtur clarè intuitis

tuitivè, & in recto necessariò, nego; quô salvatur conclusio: confusè & in obliquo, transeat. Nàm ità videri, non officit præscisioni, vt latè in metaphysica defendi.

30. Obijcies sextò: nequit Pater communicare Naturam Filio, quin communicet omnia attributa, quia hæc sunt idem cum Natura: ergo ob eandem rationem non poterit videri Natura, quin videantur omnia attributa.

31. Respondetur: concedo propositionem, sed nego causalem illius. Hoc est: concedo, quod Pater nequeat communicare Filio Naturam, quin communicet omnia attributa; nego tamen, hoc ideò esse, quia attributa sunt idem cum Natura, sed quia communicat tàm Naturam metaphysicè sumptam, quàm reliquas perfectiones absolutas, vt ex Fide constat, ex æqualitate vtriusque Personæ. Ast visâ Naturâ, posse non videri attributa, constat ex nostris probationibus.

32. Obijcies septimò: si videretur vnum attributum sine essentia, hæc non gereret vices speciei respectu illius visionis; sed hoc repugnat: ergo. Probatur major: ideò de facto essentia gerit vices speciei, respectu visionis, quia est objectum formale motivum visionis; sed casu, quo ipsa non videretur, sed attributum tantùm, non esset ità, vt per se patet: ergo. Probatur prima minor primò: quia gerere vices speciei est proprium Essentiæ diuinæ vt talis. Secundò: quia quodlibet attributum nequit esse species, hæc enim efficienter concurrit ad visionem, & non quodlibet attributum gaudet virtute activâ; siquidem, non quodlibet est Omnipotentia, cui vnicè inest virtus activa.

33. Respondetur primò cum P. Granad: nego sequelã: nàm cũ videretur vnum attributum, videretur Essentia, licèt non adæquatè, provt dicens omnia alia attributa; inadæquatè tamen, provt est radix illius attributi particularis, quod videtur. Quod sufficit, vt sit species respectu illius cognitionis. Secundò: quod in tali casu quodlibet attributum gereret vices speciei, vel secundùm quod est idem realiter cum Omnipotentia, vt aliqui tenent. sufficit enim, quod Omnipotentia, ratione identitatis realis cum quolibet alio attributo, sit realiter objectum formale talis actûs, vt gerat vices speciei respectu illius. Et in hoc pari pede currit Essentia, quæ solùm vt Omnipotens gerit vices speciei. Vel dic, nullam esse repugnantiam in eo, quod de potentia absoluta, quodlibet atrributum gerat vices speciei, & influat physicè in suam peculiarem visionem, dum aliundè non præstet concursum effectivum vniversalem ad omnes effectus creatos, quod solius Omnipotentiæ proprium est.

34. Obijcies octavò: si per visionem intuitivam fieret hęc præscisio, cum sit cognitio Dei, vt est in se, fieret distinctio in Deo provt

est in se; sed in Deo vt est in se, repugnat distinctio, quia in se est simplicissima entitas: ergo. Ita arguunt Carmelitæ. Si contra illos retorqueas cognitionem abstractivam præscindentem, dicunt; ideò non repugnare cognitionem abstractivam distinguentem, quia non terminatur ab objectum vt est in se, sed vt est in mente.

35. Respondeo distinguendo majorem: fieret distinctio in Deo extrinseca, & merè præscisiva, quæ consistit in eo, quod cognoscatur vnum, & non aliud, concedo: intrinseca, & negativa, nego. Hæc enim, quæ consisteret in eo, quod vnum attributum nõ esset positivè aliud, & quæ repugnat, nullatenus daretur. Causalis illa disparitatis inter cognitionem intuitivam, & abstractivam assignata à Carmelitis, est omninò falsa. Ideò enim cognitio abstractiva distinguit, dividit, & præscindit, quia est inadæquata, seu quia terminatur ad vnum, & non ad aliud; sed id ipsum haberet cognitio intuitiva: ergo.

QVÆSTIO XI.

AN NATVRA POSSIT VIderi sine personalitatibus, & è contra: vel vna Persona sine alia?

1. CLaritatis gratiâ hanc quæstionem ab antecedenti divisi, nam in vtrâque eodem modo discurrendum est, & eodem modo loquuntur Doctores affirmantes, & negantes idem. Itaque

2. Dicendum: *posse divinitùs Naturam sine Personalitatibus, Personalitates sine Natura, & vnam Personam sine alia videri.* Prima probatio disponenda eodem modo, ac antecedens: eo scilicèt, quod ità videri Naturam, nec repugnet ex parte cognitionis, nec ex parte Naturæ, & Relationum, aut Personalitatum. Et hîc fortiùs premit hæc ratio: nàm inter Personas datur realis distinctio, & inter Naturam, & Relationes rigorosa virtualis, inter Naturam verò, & attributa solùm datur virtualis lata. Item juxta ipsos adversarios communiter Relationes nõ sunt de essentia Naturæ Divinæ: ergo tota illius essentia potest videri sine Relationibus.

3. Probatur secundò: ea distinctio, quæ reperitur inter Naturam, & Relationes sufficiens est, vt Natura communicetur Filio, & non communicetur Paternitas, Filiatio producatur, & non producatur Natura. Verbum vniatur physicè quoad personalitatem, & non vniatur quoad Naturam, vt est de Fide certum: ergo sufficiens erit à fortiori, vt videatur intuitivè Natura, & non videatur Paternitas. Patet consequentia: plus namque requiritur ad communicationem, & non communicationem, productionem, & non productionem, vnionem, & non vnionem physicas, utpotè minùs præscisivas, quàm ad visionem,

&

& non visionem.

4. Confirmatur: Verbum divinum vnitur naturæ humanæ provt est in se, sed nihilominus non vnitur quoad Naturam, sed solùm quoad Personalitatem. Item Verbum attingitur ab Humanitate media vnione physicè provt est in se, & tamen non attingitur secundùm totum, quod dicit: ergo, etiamsi Verbum Divinum attingatur ab intellectu media visione intuitiva, poterit attingi solùm quoad Personalitatem, & non quoad Naturam, quoad partem,& non quoad totum.

5. Huic validissimo argumento varias solutiones intendunt DD. assignantes disparitatem inter antecedens, & consequens. Prima sit ex Ex. Doctore, quod communicetur Natura, & non Paternitas, quod producatur Filiatio, & non Natura provenit ab infinitate Naturæ hujus contradictionis capaci. At verò, quod videatur Natura,& non videatur Paternitas, cum proveniat illis ab extrinseco, nequit desumi ab infinitate, sed desumendum est à visione. Cum autem hæc sit intuitiva, debet omnes formalitates objecti repræsentare.

6. Contra tamen primò:non minùs est infinita Natura comparatione Relationum, quàm comparatione intellectûs, & ideò ab hoc nequit compræhendi: ergo sicut ratione infinitudinis potest ipsi, & relationibus competere duplex contradictorium intrinsecum in ordine ad communicationem, & productionem, ratione eiusdem poterit illi competere duplex contradictorium extrinsecum in ordine ad videri, & non videri. Secundò: licèt cognosci actu sit quid extrinsecum naturæ divinæ, cognoscibilitas est prædicatum intrinsecum: ergo ratione infinitudinis poterit illi convenire aliqua cognoscibilitas, quæ Relationibus non conveniat,& cum cognoscibilitas sit in ordine ad cognitionem poterit dari aliqua cognitio terminata ad Naturam, & non ad Relationes.Tertiò:licèt cognosci, & non cognosci vnicè desumatur à cognitione extrinseca, cum huic, eo quod sit intuitiva, omnes formalitates attingere non competat necessariò, vt probatum manet, poterit Naturam cognoscere, & non Relationes.

7. Secunda disparitas desumitur ab Herice, qui postquam d. 50. sect. 2. num. 26. dixerit, se audisse plures, in nulla tamen quievisse, hanc assignat. Distinctio rigorosa virtualis, quæ intercedit inter Naturam, & Relationes in ordine ad generationem, & processionem vnius personæ, & non alterius, se habet, vt distinctio realis physica fundans oppositionem relativam inter Patrem, & Filium, ità vt, repugnet, has personas esse vnam. At verò ità non se habet in ordine ad visionem intuitivam,nec fundat oppositionem inter visiones personarum. Ità vt sicut repugnat,duas personas esse vnam, repugnet, videri duas, vel tres personas simul per-

eandem visionem, cum ità de facto videantur. Et ratio est, quia visibilitas vnius Personæ non repugnat cum visibilitate alterius in ordine ad eandem cognitionem: constitutio tamen vnius Personæ pugnat cum constitutione alterius in ordine ad vnitatem vtriusque: ergo licèt distinctio virtualis sufficiat ad salvanda prædicata Mysterij Trinitatis; non tamen ad cognosci essentiam, & non cognosci intuitivè relationem.

8. Contra primò: ex disparitate vnicè sequitur, non repugnare visionem, quæ terminetur simul ad Naturam, & duas, vel tres Personalitates, sicut repugnat, quod duæ vel tres Personæ Divinæ identificentur; ex eo autem, quod probet, non repugnare talem visionem, non probat, repugnare aliam, quæ ad vnam tantùm personam, & non ad alias terminetur. Sicut, ex eo quod nõ repugnet materia, quæ habeat formam, siquidem de facto ità se habet, non benè deducitur, repugnare ad huc divinitùs materiam carentem omni forma. Secundò: licèt Personæ opponantur in ordine ad identitatem, non opponuntur in ordine ad vnionem: vndè nulla est repugnantia in eo, quod eâdem, vel distinctâ vnione vniantur tres Personæ Divinæ eidem humanitati, sicut possunt videri eâdem visione: ergo sicut potest vniri vna, quin alię vniantur, poterit etiam videri vna Persona, quin aliæ videantur. Tertiò; suppositâ subsistentiâ absolutá cum Ex. Doctore, & alijs, etiam si posit natura humana vniri immediatè subsistentiæ absolutæ datur sufficiens fundamentum in distinctione virtuali, vt de facto sit facta Personalitati: ergo etiam si posit videri simul Natura, & tres Personæ, datur in tali distinctione sufficiens fundamentum, vt posit contrarium evenire, videri scilicèt Naturam, & non Relationes, vnam Relationem, & non alias.

9. Tertia disparitas asignatur ab Exim. Doct. inter vnionem, & intuitionem: asserit enim, plùs connecti formalitates identificatas in ordine ad intuitionem, quàm in ordine ad visionem. Undè etiam si è duobus realiter idẽtificatis, posit vnum vniri immediatè, nempè Personalitas Uerbi, & aliud non, nempè Natura Divina, nequit tamen videri intuitivè, alio non viso. Probatur hoc, ex eo, quod Paternitas, & Filiatio reperiuntur in distinctis suppositis; & tamen ità connectuntur in ordine ad visionem, vt nequeat videri Paternitas, quin videatur Filiatio, cum, utpotè relativa, debeant esse simul Natura, & cognitione: ergo vniversaliter est verum, plùs connecti res in ordine ad intuitionem, quàm in ordine ad vnionem, vel identitatem.

10. Contra primò: si probatio valeret, probaret etiam contra ipsos adversarios, nec abstractivè posse cognosci Naturam sine relationibus, quià nec abstractivè potest cognosci Paternitas vt talis sine Filiatione:

ergo adhuc in ordine ad cognitionem abstractivam plùs connectuntur realiter identificata, quàm in ordine ad vnionem, vel identitatem. Secundò: cognitâ intuitivè Paternitate, cognosceretur non intuitivè necessariò, sed solùm abstractivè Filiatio titulo correlationis. Sic cognitâ supernaturaliter visione beatifica, solùm abstractivè cognosceretur eius terminus, nempè Deus, non tamen cognosceretur necessariò intuitivè. Hoc enìm facilè concedam absque conclusionis præjuditio, cognita scilicèt Natura Divina vt fœcunda, cognosci necessariò terminum fœcunditatis, abstractivè tamen, non intuitivè. Quod autem in præsenti negamus, est, cognitâ Naturâ intuitivè, debere cognosci intuitivè relationem, non verò debere cognosci relativè.

11. Obijcies primò: nequit Natura divina cognosci quidditativè, nisi cognoscatur vt fœcunda, & communicabilis modo intellectuali per emanationem Verbi, & productionem Spiritûs Sancti. In hoc enìm maximè distinguitur à reliquis naturis creatis; sed nequit hoc modo cognosci, nisi cognoscãtur Relationes, & Personæ: ergo. Ità Gonet n. 7.

12. Respondetur primò: nego maioré, nõ enìm cognosceretur Natura adæquatè, nec sub expresione fœcũdæ, sed secũdùm prædicata metaphysica, quæ juxtà varias sententias, vel sunt ens *omnium comprehensivum: intellectivum purissimum: ens à se*; &c. in quibus omnibus non exprimitur fœcunditas. Secundò: transeat maior, & distinguo minorem; sed nequit hoc modo cognosci, nisi cognoscantur Relationes intuitivè necessariò, & in recto necessariò, nego: abstractivè, & in obliquo, vt termini scilicèt talis fœcunditatis, concedo. Solutio constat ex dictis.

13. Obijcies secundò: illud Joann. 4. vbi Christus respondens Philippo dicenti: *Domine ostende nobis Patrem* ait: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum: non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est*? Ex quô deducitur, adhuc nec divinitùs posse videri vnam Personam sine alia, quod patet ex illa causali: *quià ego in Patre* &c. quasi ità diceret Christus. Ideò, qui me videt, videt & Patrem meum, quià ego sum in Patre, & Pater in me est per circumincesionem. Sed imposibile est, adhuc divinitùs, quod Filius non sit in Patre, aut Pater in Filio per circumincesionem: ergo & quod videatur Filius sine Patre. Hic etiam congeri possunt aliquæ Divi Thomæ authoritates pro conclusione contraria.

14. Varias solutiones pro libito exhibe. Primam: Christum loquutum de facto, non deposibili: nec semper causalis essentialem connexionem, sed sæpè naturalem tantùm indicat; præcipuè, quandò doctrinaliter, & non scholasticè loquitur. Ità intelligendi sunt S. Patres, quandò dicunt, visiones Patris, & Filij esse inseparabiles. Secundam

quandò videt Filium necessariò videre Patrem, non intuitivè, sed abstractivè, quò veritas verborum Christi salvatur. Tertiam: nec Philippum rogasse, nec Christum respondisse de visione beatifica, sed de visione per Fidem. Ità Tolet. & Salmer. sequuti Chrysostom. Tertul. & Cyril. Ità vt sensus verborum Christi sit: Philippe, qui videt me operantem, & credit esse Filium Dei, videt etiam, & credit Patrem in me, & per me operantem. Ad authoritates Sancti Thomæ dic, Sanctum D. loquutum de facto, & naturaliter, non de potentia absoluta, & de posibili.

15. Objicies tertiò: si Deus gauderet vnicâ subsistentiá, non posset intuitivè videri sine illa, quià hæc esset idem realiter cum Natura; sed tres similiter subsistentiæ, de facto sunt idem realiter cum ea: ergo.

16. Respondetur: ly *Deus* esse æquivocum. Nàm vel potest intelligi de supposito divino, vel de Natura: si intelligatur de supposito, verum est antecedens, cum in eo essentialiter includatur subsistentia: si verò de Natura falsum est. Nàm quidquid sit, an in tali casu Natura distingueretur virtualiter rigorosè, nec nè, à subsistentia: certè virtualiter latè esset distincta, quod sufficeret pro præscisione.

17. Objicies quartò: si posset videri vna persona sine alia, posset etiam vna persona ad extra operari sine alia, eam scilicèt particularem visionem, quæ sicut non est imago, & repræsentatio trium personarum, sed vnius tantùm, ità non esset à tribus saltem objectivè, per modum speciei producta; sed hoc contra Sanctos Patres asserentes: *Opera Trinitatis esse indivisa*, arguentesque ex vnitate operationis ad extra vnitatem Essentiæ in divinis: ergo.

18. Patres Granad. 1. part. tract. 5. num. 14. Arriaga hîc. d. 8. num. 31. probabile censent, posse vnam personam solam concurrere efficienter ad visionem sui peculiarem concursu objectivo. Patresque, & Theologos posse intelligi de efficientia respectu aliarum creaturarum, quę peculiarem cum vna tantùm persona non habent connexionem: quâ opinione concedenda est sequela, & litit difficultas. Reliqui Theologi, quos sequitur Leonard. sequelam negant, judicantes; talem efficientiam singularem non posse concedi Personis, nec in casu conclusionis. Et sic ad talem visionem omnes concurrere, licèt non omnes repræsentari; nàm, licèt omnes per Omnipotentiam, quę est instrumentum commune, talem visionem producant, cum tamen talis visio non sit tendentia in omnes, sed in vnam tantùm Personam, indè est, quod non repræsententur omnes.

19. Objicies quintò simul cōtra hanc, & contra cōclusionem antecedētis quæstionis: talis visio, vel vnius personæ tantum, vel essentiæ sine attributis, vel vnius attributi sine

alijs,

alijs, non esset visio beatifica, nec beatificaret hominem. Siquidem non esset possessio summi boni, cum alicuius boni latentis non esset possessio. Item cum lateret aliquid, non satiaretur penitùs anima Beati, posset enìm illud, quod non videt, appetere.

20. Punctum hoc pertinet ad tractatum de Beatitudine, vbi ex instituto quæritur, vtrùm visio vnius attributi, vel solius essentiæ, vniusvè personalitatis sufficiat ad beandum? Negant Thomistæ, quos sequitur Oviedo, & Compt. d. 19. de vis. 15. num. 1. Affirmant Schotistæ, quos sequitur Ex. D. & Arriaga d. 50. de beatitudine n. 7. Sed vt præsens quæstio ab hac præscindat, nota, hîc non quęri: an sit possibilis visio beatifica præscisiva? hoc enìm vtramque quæstionem involvit, nec an visio hæc præcisiva esset beatificans? hoc enìm pertinet ad tractatum de beatitudine. Sed vnicè, an sit possibilis visio intuitiva præscisiva circa Deum, aliquaque prædicata ipsius, sive absoluta, sive relativa? quæ, vtrùm dicenda sit beatifica (vt optimè notat hî num. 53. noster Leonard.) est quæstio de solo nomine, & ideò cuilibet optio datur eligendi loquutionem, quam maluerit.

21. Objicies sextò: si Personalitas posset videri sine Natura, posset vtique videri sine immensitate, quæ est attributum Naturæ, & quâ Deus est vbique præsens: ergo non esset intuitiva talis visio. Patet cōsequentia. Nàm cognitio, quæ habetur de objecto abstrahendo ab ejus præsentia, intuitiva non est; sed si præscinderet ab immensitate, præscinderet certè à præsentia objecti, cum præscinderet à ratione formali, quâ fit præsens: ergo.

22. Argumentum ad summum probat, non posse videri Personalitatem sine peculiari attributo immensitatis, non verò sine alijs, & sine natura divina adæquatè sumpta, cum ratio argumenti peculiariter militet de immensitate. Sed neque hoc probat. Primò: quia talis visio licèt præscinderet ab immensitate, non tamen ab existentia objecti, neque attingeret illud per alienas species, quod sufficit ad conceptum intuitionis vt talis. Secundò: quia præsentia Dei ad intuitionem necessaria, non est sola præsentia per immensitatem, & rationem formalem generalem, qua fit præsens cuique intellectui, imò, & omni creaturæ, à qua præscinderet talis cognitio, sed est præsentia objectiva particularis per voluntariam, & immediatam exhibitionem suę entitatis intellectui, vi cujus illi præsens fit per modum speciei intelligibilis; ad quam præsentiam objectivam opus non est, quod intellectus cogitet, aut videat objectum vbique præsens per immensitatem, sed solùm, quod experiatur illud sibi intimè assistens per modum objecti, quam præsentiam ad notitiam intuitivam requisitam posset habere Deus in intellectu creato, etiamsi per impossibile non foret im-

immensus. Tertiò: quia per me possibilis est species impressa intuitiva Dei, vi cuius Deus intuitivè cognosceretur, etiam si tunc esset æquivalenter, aut virtualiter absens, seù non immensus: ergo etiam si præscinderet ab immensitate, posset ità videri Personalitas.

QVÆSTIO XII.

AN VISIO BEATA NECEssitet ad amorem, tàm quoad speciem, quàm quoad exercitium?

1. Certum est, Beatos perenni, & incessante amore diligere Deum per totam æternitatem. Ità colligitur ex pluribus Sacræ Paginæ locis, & loquutionibus Apocal. 4. *requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus Sanctus* &c. 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit, sivè prophetiæ evacuabuntur, sivè linguæ cessabunt, sivè scientia destruetur.* Id est, cessabit omnium virtutum exercitium, non tamen cessabit, nec per instans in æternum Charitatis exercitium: dicente Augustino lib. vlt. cap. vlt. de Civit. *Deus enim sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.* Hoc supposito, quæstio est: an talis amor sit necessarius, primò quoad specificationem; secundò quoad exercitium?

2. Prima sententia tenet: visionem ità necessitare ad amorem, tàm quoad specificationem, quàm quoad exercitium, vt, nec divinitùs possit voluntas, suppositâ visione, odio habere Deum, & non amare, seù suspendere amorem. Ità Ægid. & Henric. apud Ex. D. d. 9. sect. 1.

3. Secunda sententia è contra statuit, nec necessitare quoad exercitium, nec quoad specificationem, sed adhuc suppositâ visione, posse voluntatem suspendere amorem, & odio habere Deum, saltem divinitùs. Pro ea citatos video communiter OKam. Maior. Gabriel, & Holcot, & debet citari Oviedus, quatenus asserit, posse non solùm cum visione conjungi peccatum, sed etiam cum amore Dei visi, etiam si peccatum sit formale odium Dei. Ità controv 3. punct. 4. num. 51.

4. Tertia sententia affirmat: non necessitare quoad exercitium ad amorem: sed posse beatum adhuc de potentia ordinaria illum suspendere, eo quod sit liber, & contingens, licèt ab extrinseca Dei providentia tollente omnia, quæ possunt à Charitate divertere, habeat, quod in æternum sit duraturus. Itâ Subt. D. in 1. d. 1. quæst. 4. & in 4. d. 49. quæst. 6. Quem sequuntur communiter eius Discipuli.

5. Quarta sententia tenet: visionem, necessitare ad amorem, tàm quoad specificationem, quàm quoad exercitium. Ità S. Thom. hìc, quęst. 4. art. 4. & 1. part. quęst. 82. art. 2. Caiet. Bañez, Soto, Joann. à Sanct. Thoma, & alij, quos sequitur Gib. d. 6. d. 3. num. 6. Gonet. d. 4. art. 1. num. 3. Omnes nostri se-

sequuti Ex. Doctorem, & Arriaga. d. 52. sect. 3. num. 12.

6. Quinta sententia expreßsiùs asserit, ità necessitare quoad specificationem, vt nec divinitùs poßit componi in sensu composito visionis odium Dei. Ità Ex. Doct. hìc sect. 1. P. Arriaga. vbi supra sect. 1. & videtur supponi potiùs, quàm probari à Doctoribus, & vt cum distinctione loquamur, sit

SECTIO I.

QVID DE NECESSITATE quoad exercitium dicendum?

7. Dico : *Visio beatifica necessitat ad exercitiũ amoris; potest tamen hic de potentia absoluta suspendi.* Conclusio quoad secundam partem facilè probatur primò : quià ex tali amoris suspensione, nulla sequeretur repugnantia, aut contradictio. Secundò: visio Dei est prior amore, & ab eo realiter distincta, & independens, tàm in actu primo, cum non includatur amor in conceptu visionis, quàm in actu secundo, cum nec includatur in conceptu, & denominatione *videntis* : ergo potest divinitùs subsistere sine amore subsequuto, casu scilicèt, quô Deus concurreret cum intellectu Beati ad visionem, & non concurreret cum voluntate ad amorem.

8. Conclusionem quoad primam partem probat Gonet. num. 3. & ex eo Gibon. num. 6. quià voluntas, cum sit appetitus rationalis, nequit cessare ab aliquo actu, nisi in eo intellectus concipiat aliquam rationem mali, vel in eius cessatione aliquam rationem maioris boni; sed nullum horum potest judicare beatus de amore Dei : ergo nec cessare ab illo. Displicet maior in vtraque parte, quâ gaudet sine probatione. In prima: quià, si reperire aliquam rationem mali sufficeret ad cessationem amoris, ea certè est in amore : ergo posset cessare. Probatur min. primò: finita, & limitata perfectio objecti, est sufficiens ratio mali pro non necessitate, seu cessatione actûs: sed amor ille, utpotè creatus est finitus, & limitatus, & ità apprehenditur : ergo.

9. Probatur secundò: cum voluntatis activitas sit limitata, non est dubium, talem amorem impedire alios actus aliarum virtutum, quos posset elicere voluntas, si cessaret ab amore: ergo iam in cessatione amoris inveniet aliquod bonum, & in amore aliquod malum. Nec dicas, amorem esse meliorem alijs actibus, ideòque quod per ipsum impediantur, non esse rationem mali: nàm aliud est, amorem esse meliorem aljs actibus, quod non dubito, & aliud, esse aliquod malum, quod impediantur actus boni, quod dubitare nequeo, & patet. Beatus solùm est necessitatus ad amorem in Patria; vndè cessare potest liberè ab actibus aliarum virtutum : ergo & reperire in eis aliquam rationem mali per vos; sed nulla alia ratio mali reperiri potest in eis, nisi quod impediant actus aliarum virtutum.

(Pone, actum Religionis v. g. esse superiorem immediatè post Charitatem respectu aliorum, quos elicere potest) nam nec defatigatur voluntas in elicientia actûs Religionis, nec dolorem, aut difficultatem sentit, nec vllum aliud malum: ergo impedire actus bonos, etiam minùs perfectos, est sufficiens ratio mali, vt voluntas cessare possit ab eo actu; hoc reperitur in amore beatifico: ergo.

10. Displicet secundò: quia, licèt ad hoc, vt voluntas per actum positivum reflexum dicere posset, *nolo elicere amorem*, fortè deberet in eo reperiri aliqua ratio mali, quia ea volitio est quædam species odij, quod non fertur, nisi in malum, quà tale, ad cessandum per puram omissionem amoris, (quam suppono possibilem) non videtur ratio mali necessaria, sed solùm, quod non appareat in objecto infinita bonitas attrahens, qualis non apparet in eo amore: ergo ad cessationem talis amoris non requiritur in amore ratio mali.

11. Displicet etiam secunda pars probationis, ea parte, quâ asserit, quod ad hec vt voluntas se determinaret ad cessationem amoris, deberet reperiri in cessatione aliquod majus bonum, quàm in ipso amore: nam voluntas potest ad objectum minùs efficaciter, & vt minùs bonum propositum, liberè se determinare: ergo vt se posset determinare ad amoris cessationem, non est necessum, quod in tali cessatione inveniret aliquod majus bonum ipso amore. Qua propter relicta hac, & alijs probationibus,

12. Probatur conclusio: quo major est bonitas objecti, & clarius cognoscitur, aut proponitur, eo magis ad se trahit voluntatem, & ejus libertatem, & indifferentiam in contrarium diminuit, vt per se patet, & humanâ experientiâ comprobatur; sed bonitas, & pulchritudo Dei est infinita, & à Beato clarè, intuitivè, & sicuti est in se cognoscitur: ergo ità trahit voluntatem ipsius, vt devictâ quacumque possibili resistentiâ, auferat omnem ejus libertatem, & indifferentiam in amando, præcipuè, cum nec in amore reperiat aliquam defatigationem, laborem, aliudve retractivum, nec in non amore aliquam notabilem vtilitatem, convenientiam, aliudve allicitivum: ergo Deo semel intuitivè viso, manet necessariò voluntas in amoris exercitio.

13. Roboratur primò: nam si fallax gratia, & vana pulchritudo creata materialis, & imperfecta consistens in correspondentia colorum, vbicatione partium, aut proportione membrorum, quæ levi mutatione fœdatur, corrumpitur, & sæpè horrorem incutit, ità homines rapit, & dementat, vt nullam penè eis libertatem relinquat (de quo in amatorijs libris plura passim invenies) præponderantibus in contrarium sępè, infamia, bonorum amissione, non semel despectu, pravâ correspondentiâ, traditione-

ne, alijsvè in Dalila ergà Samsonem: quis poterit dubitare, pulchritudinem illam divinam, in qua quidquid pulchrum, quidquid mirabile, quidquid sanctum, quidquid dulce, quidquid iucundum sine defectu sine contingentia, sine nævo, summa correspondentia, clarè visam taliter attrahere voluntatem ad sui amorem, vt penitus libertatem absorbeat! Si enim passerculus ille suavi cantu per quingentos annos Monachum illum extra se rapuit; quid mirùm Deum ipsum per æternitatem Beatos extra libertatem quoad ipsius amorem deducat?

14. Roboratur secundò: sępè in nobis dantur motus primò primi non liberi ex aliqua vehementi cōsideratione causati; atqui nulla passio tam vehementer in objecto bonitatem, & tam intensè proponere potest, quàm proponat visio beata in Deo: ergo efficaciùs rapiet visio beata voluntatem, quàm quæcumque alia passio. Quod enim hæc tollat plenum vsum rationis, illa verò non, est omninò per accidens: nàm retento vsu rationis, fortiùs atractivum proponit visio ad amorem, quàm passio ad motus primò primos: ergo.

15. Obijcies primò Sanctum Thomam q. 22. de ver. art. 6. vbi. *inest libertas voluntati in quolibet statu naturæ respectu cujuslibet objecti*: ergo & in statu beatitudinis respectu Dei. Ibi etiam, q. 10. art. 2. *voluntas movetur dupliciter, vno modo, quantum ad exercitium actùs, alio modo quantum ad specificationem actùs, quæ est ex objecto.* Et subdit. *Primo modo voluntas à nullo objecto ex necessitate movetur.* A nullo? Ergo nec à Deo intuitivè viso.

16. Ob has authoritates iudicat Ex D. S. Thomam expressè negasse necessitatem quoad exercitium. Potest tamen interpretari: nàm primis verbis non declarat de quo statu loquatur, nec respectu cujus objecti, an creati tantùm, an simul increati. In secundis etiam eadem relucet confusio: quapropter dico: Divum Thomam tantùm intendisse voluntatem non necessitari quoad exercitium in quolibet statu hominis intra viam, & respectu cujuslibet objecti, sivè creati, vel increati moventis voluntatem hominis viatoris, qua talis: non autem loquitur de statu beatitudinis, nec respectu Dei clarè visi. Et cum in secunda authoritate dicit: voluntatem nullo objecto ex necessitate moveri, loquitur in via respectu cujusque objecti creati, & etiam increati abstractivè visi, quod colligitur ex verborum contextu, & ex verbis, quæ superaddit ità: *Potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare, & per consequens actu non velle illud.* Ergo ibi non loquitur Divus Thomas de Deo intuitivè viso in Patria, cum nequeat beatus non cogitare, seu cessare à visione, quæ est perpetua, jam supra defendimus.

17. Obijcies secundò: nil est, quod eam necessitatem inferat. Non

Deus, quia in via illum cognoscimus, & non necessitat. Non visio, quia est creata, finita, & limitata. Non habitus Charitatis, quia hic solùm inclinat, non necessitat: ergo.

18. Respondetur: Deum necessitare non abstractivè visum, vt in via, sed clarè, & intuitivè, vt in Patria. Constat ex nostris probationibus

19. Obijcies tertiò: non omnes visiones sunt æquales: ergo licèt aliquæ jura, & resistentiam libertatis confringant, non tamen omnes, sed poterit voluntas liberè amare reluctando efficacitati aliquarum visionum.

20. Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiã: nam dummodò cognitio sit intuitiva aliquarum, vel saltem alcujus perfectionis divinæ omnem libertatem evertet: pro quacumque enim militat discursus à nobis efformatus. Nàm si pulchritudo creata infinitiùs minor qualibet pulchritudine divinâ, sæpè rapit, quin voluntas totâ suâ libertate resistere queat, quantò magis pulchritudo divina intuitivè conspecta?

21. Obijcies quartò: actus Charitatis, viæ, & Patriæ, non tantùm est idem specificè, sed potest esse idem numero, & de facto id contigisse in B. Virgine, tenent plures Theologi judicantes, eam eundem actum numerò amoris Dei, quem exercuit in via continualle sine vlla interruptione in Patria; sed talis actus in via est liber: ergo in Patria.

22. In duplici sententia respondetur. In communi à me defensatar in tract. de anima tenente, libertatem esse actibus extrinsecam, admittendo, posse eundemmet numero actum inceptum invia continuari in Patria, alt in via esset liber, in Patria verò necessarius, cum non repugnet eundem actum transire de libero in necessarium, & ità se haberet actus ille Beatę Virginis, admissâ eâ sententiâ. In sententia verò ponente libertatem intrinsecam actibus, nec idem numero actus continuaretur in Patria, nec ità se habere potuit B. Virgo, sed actus Patriæ esset essentialiter diversus ab actu viæ.

23. Obijcies quintò: sæpè amor viæ est intensior amore Patriæ. Amor namque Beatîssimæ Virginis Mariæ dum adhuc erat in via amorem omnium beatorum superavit; sed amor viæ non est necessarius quoad exercitium: ergo neque amor Patriæ.

24. Ex argumento deducitur, amorem Patriæ non esse necessarium, adhuc quoad specificationem, cum amor vię, sæpè intensior amore Patriæ, nec quoad specificationem necessarius sit; aliàs redderet voluntatem impeccabilem.

25. Respondetur: quod licèt sæpè esset intensior amor viæ amore Patriæ, ex intensione non infertur necessitas, sed ex visione intuitiva Dei præcedente ad amorem Patriæ,

ac proindè necessitante, & non ad amorem viæ, ad quem solùm præcedit cognitio abstractiva non necessitans.

26. Obijcies sextò: habitibus vtimur, cum volumus: ergo Beati vtuntur habitu Charitatis pro actu dilectionis, cum volunt, ac per consequens, non diligunt necessariò Deum, quoad exercitium.

27. Respondetur: concedò antecedens, & nego consequentiam. Ratio est, quià dum vtimur habitibus, non datur comprincipium necessitans ad actum, sed habitus, & reliqua comprincipia à volũtate determinãtur: at verò Beati dum visione præcedẽte diligũt, gaudent principio determinãte, & cogẽte, ipsa nempè visione, quâpropter non pro libito, sed necessariò vtuntur habitu Charitatis, sicut eo necessariò vteretur voluntas præcedente physica prędeterminatione.

28. Obijcies septimò: Beatus potest reperire aliquid mali in amore, & aliquid boni in cessatione ab amore: ergo habet cognitionem retrahentem ab amore, & allicientem ad cessationem amoris, & consequenter gaudet cognitione indifferenti, amatque cum sufficienti indifferentia ad libertatem. Probatur antecedens: potest reperire impedimentum aliorum actuum in amore, quos si non amaret, posset elicere, & in cessatione ab amore exercitium libertatis; sed impedimentum aliorum actuum est aliquod malum, & exercitium libertatis est aliquod bonum: ergo.

29. Cofirmatur ex Holcot: potest beatus habere falsam existimationem, quod si non cesset ab amore Dei, erit perpetuò miser: ergo tunc poterit cessare, cum habeat cognitionem satis ab amore retrahentem.

30. Respondetur: transeat antecedens, & distinguo consequens: ergo habet congnitionem retrahentem ab amore, & allicientem ad cessationem amoris sufficientem ad indifferentiam in amando, nego: insufficientem, concedo. Ad probationem respondetur: certum est, Beatum posse cognoscere amorem beatificum esse impedimentum ad elicientiam aliorum actuum, in quos posset voluntas loco illius erumpere, & in cessatione amoris posse dari exercitium libertatis, sed malum amoris, & bonum cessationis amoris, nec retrahere, nec allicere sufficienter pro indifferentia ex parte voluntatis, quę possessa à visione, pulchritudine infinitâ impos sui rapitur, despectui habens quæcumque retractiva amoris, & elicitiva non amoris. Nàm si in humanis etiam si homo agnoscat ex fœminæ amore futurũ se, & verè de facto esse infamem, bona temporalia, imò æterna amittere, & alias miserias passurum, nihilominus eâ pulchritudine excæcatus, ità tenetur sæpè, vt vix habeat libertatem ad cessandum ab amore. Si Jacob septem anni improbæ servituris pauci dies videbantur, quin alij septem experientiâ priorum retraherent à Rachelis amo-

amore, eius pulchritudine amens: cur, quomodovè ab amore infinitæ pulchritudinis, leve malum impedimenti aliorum actuum eminenter compensatum per amorem, retrahat, allicietvè leve bonum exercitij libertatis exercitio amoris dulcissimi compensatum ? quò manet confirmatio soluta. Ni velis dicere, errorem illum, non posse compati cum visione, nàm cum amor Dei sit honestissimus maximè respectu illius, qui tantam in objecto amabilitatem cognoscit, non apparet, quô modo fieri possit ex tali, ac tàm honesto amore sibi miseriam perpetuam orituram.

31. Obijcies octavò ex eodem Holcot: potest Deus præcipere Beato, vt cesset ab amore, saltem per aliquod tempus, vel instans: in eo ergo casu posset, & teneretur Beatus se conformare præcepto divino; aliàs transgrederetur illud, & peccaret: ergo tunc liberè ab amore cessaret; sed nequit cessare liberè ab amore, nisi amor sit liber: ergo.

32. P. Amicus d. 1. sect. 11. concedit antecedens, & affirmat vltra, tunc Beatum, non liberè, sed necessariò cessaturum ab amore, quià necessariò se conformat divinę voluntati pręcipienti eâdem necessitate, quâ Deum nunc, non posito præcepto, amat. Quod verò tunc posset cessare ab amore, indè probat: quià, posito præcepto, hęc cessatio apprehenderetur vt bona, vtpotè præcepto conformis, adeoque, vt maius bonum, & obsequium Dei, quàm ipsius amor super omnia apprehenderetur: ergo tunc Beatus necessariò cessaret ab amore, vt divinæ voluntati præcipienti morem gereret, & vt amplecteretur maius obsequium Dei. Ardua doctrina; ideòque faciliùs cum Acutissimo Doctore disp. 16. cap. 3. & alijs communiter nego antecedens: præceptum enìm debet cadere supra liberum vt tale. Vndè Christo vt Christo nequit imponi præceptum obligans in consciétia sub culpa, eo enìm ipso nõ esset libera transgressio, ac proindè actus non esset materia præcepti; sed positâ visione, nec amor, nec cessatio amoris gaudent libertate, nec sunt sub potestate libera voluntatis: aliàs posset nobis præcipi cessatio à visione Dei, item cessatio ab actu nutritionis applicato tali aliméto, aut cessatio à visione apertis oculis, & objecto præsente: ergo nec amor, nec cessatio amoris, positâ visione, sunt materia pręcepti. Insuper: ex tali præcepto sequeretur, posse componi amorem Dei super omnia cum peccato, seù transgressione præcepti. Patet: nàm si Beatus non cessaret ab amore, peccaret, & transgrederetur præceptum; sed dum non cessat ab amore, amat: ergo amaret simul, & peccaret, imò amando Deum, peccaret; quod disonat.

34. Obijcies nonò; omnis actus meritorius est liber; sed amor Dei in Christo, adhuc regulatus per visionem beatam, fuit meritorius: ergo & liber: ergo visio beata ad amorem non necessitat in Christo,

cum

cùm ab instanti suæ conceptionis visione gauderet, & certum sit, ex tunc mereri; idem ergo dicetur de amore Beatorum.

35. Præscindendo à varijs opinionibus. Respondetur: amorem Dei in Christo circa bona, & perfectiones intrinsecas ipsius Dei, regulatum per visionem beatam, nec fuisse liberum, nec esse meritorium, circa bona verò extrinseca, honorem scilicèt, gloriam, &c. esse liberum, & meritoriū, cum ad amanda sibi hæc bona extrinseca, visio beatifica, nec necessitet Deum, nec Christum, nec alios beatos: concretum enim, *Deus vt glorificandus, honorandus* &c. est objectum liberè amabile, nàm hæ reduplicationes addunt prædicata, quæ Deo sunt extrinseca, quæque perindè reddunt illum amabilem liberè, quoad exercitium, provt illis afficitur.

36. Rogas: ad quem amorem necessitetur voluntas Beati ex vi visionis? Dico: necessitari ad amorem supernaturalem, & probabilissimum iudico, stante amore supernaturali, etiam amare Beatum Deum amore naturali. Tùm, quià probabile judico cum Ripalda, & alijs, semper, ac datur actus supernaturalis circa aliquod objectum, dari etiam simul, & semel alium actum naturalem circa idem, quæ doctrina maximè viget in Patria, vbi & vires naturales sunt magis expeditæ, & nullum impedimentum maximè ad amorem experitur. Tùm quia tales actus naturalis, & supernaturalis nullam dicunt oppositionem, nec tribuendum est defectui virium, nàm cum actu supernaturali amoris suppetunt vires ad actus aliarum virtutum, quos simul elicit Beatus: ergo & ad amorem naturalem. Tùm quia, si in Patria homo rectificatur non solùm in ordine gratiæ, sed etiam naturæ, vndè sensibus tribuitur maxima perfectio, & acuitas, in intellectu ponuntur omnes scientiæ naturales &c. ergo, & in voluntate debent poni omnes virtutes naturales, quarum maxima est amor. Nec, posito amore supernaturali, debet naturalis otiosus censeri, cum suppositâ scientiâ beatâ supernaturali, scientia naturalis otiosa non reputetur, & sic de alijs.

37. Undè à fortiori infero, quod si negaretur concursus ad amorem supernaturalem, voluntas efficeret necessariò naturalem. Ita Ex. D. quod optimè probat: quia voluntas tùm haberet bonitatem terminativam, cognitionem talis bonitatis, nec vllum esset impedimentum: ergo necessariò amaret. Neque obstat, quod cognitio præcedens sit supernaturalis, cum sit vera cognitio, & etiamsi cognitio merè naturalis non sufficeret ad amorem supernaturâlem superioris ordinis, non tamen è contra cognitio supernaturalis superior ad amorem naturalem ordinis inferioris. Vide Arriaga sect. 5. per totam.

SEC-

SECTIO II.

QVID DE NECESSITATE quoad specificationem: vbi an possit componi visio beata cum odio Dei?

38. NEcessitare naturaliter ad amorē, quoad specificationem, hoc est, ad hoc vt, si voluntas aliquem actum sit elicitura, sit amor, & non odium, ac proindè hoc componi non posse cum visione Dei, tamquàm certum suppono; quod autem nec divinitùs possit cum odio componi, casu scilicèt, quô suspenderetur amor, etiam judico certum contra supra citatos, sed obvia non est efficax probatio, cum hæc debeat esse aliqua contradictio, quæ facilè inveniri nequit.

39. Probatur tamen: sicut repugnat adhuc de potentia absoluta malum sub ratione mali diligi, ità & bonum, quâ tale odio haberi; sed Beatus intuitivè videns Deum, nequit illum cognoscere, nisi sub ratione boni, & summi boni, quin ratio mali extrinseci, quam posset invenire Beatus in Deo ità cognito, sit hîc, & nunc motivum sufficiens odij: ergo nequit Beatus adhuc de potentia absoluta in sensu composito talis visionis odio habere Deum. Maior est certa: sicut enim nequit vìderi, nisi visibile, audiri, nisi audibile &c. ità neque amari, nisi bonū, & odio haberi, nisi malum propositum vt tale. Minor constabit ex solutione vnici argumenti adversariorum iàm ponendi. Consequentia legitimè infertur. Probationes Ex. Doctoris impugnat optimè Arriaga sect. 1. num. 3.

40. Objicies primò ex Gabriele, & Holcot. cum visione beata componitur cognitio mali mihi in Deo sufficiens ad odium: ergo & odium componi potest. Probatur antecedens: potest Beatus, aut saltem videns Deum intuitivè, cognoscere, se ab ipso Deo brevi privandum ea visione, ac damnandum in æternum; sed hæc est sufficiens ratio mali, vt in eo displiceat, odioque eum habeat: ergo.

41. Vrgetur: pone illum hominem videntem Deum simul cum visione actu torqueri eis doloribus inferni, & simul noscere se brevi spoliandum visione, dirisque eis æternis devovendum. Certè tàm intensa videtur tunc propositio penarum per actualem experientiam vehementissimi eius doloris, & per certitudinem de eius ęternitate, quàm sit propositio bonitatis divinæ per visionem beatam: ergo tùnc in sensu composito vision is posset odio habere Deum.

42. Difficilis objectio, cui si respondeas, Beatum videre tunc illam ablationem beatitudinis, & damnationem esse iustissimam, & æquissimam; ac proindè non posse ob illam odio habere Deum, contra primò: quià, etiam Dæmones, & damnati id cognoscunt, & quià sibi

sibi malæ, & offensivæ existunt pœnę inflictæ odio implacabili prosequuntur Deum infligentem. Secundò: etiam si Judex æquissimè condemnet reum, & reus id ipsum cognoscat, illum sæpè odio habet: nàm illa pœna, & si iustè imposita est tamen reo valde dissona, & incommoda, ac proindè sufficienter motiva odij. Tertiò: ergo si pœna illa videretur infligenda, non ob peccata præterita, aut futura, sed titulo supremi dominij (supposita probabilitate huius opinionis) cum non videretur vt pœna, posset odio haberi Deus illam infligens.

43. Ex dictis, proximè elapso anno tract. de Gratia habituali, quæst. 7. sect. 5. ad argumentum, quô P. Noster Generalis Thyrsus probat, adhuc in sensu composito amoris Dei super omnia experientiam pœnarum Inferni necessitare ad peccata, & odium Dei, si possent componi. Respondeo: quod sicut in sensu composito amoris tormenta, pœnas inferni, earumque experientiam non cogerent homines ad odiũ, blasphemiam, & peccata, ità similiter in sensu composito visionis intuitivæ Dei, eiusque summæ pulchritudinis nõ posset volũtas in odiũ erumpere. Et licèt doleat quodammodo de amissione futura, aut de eis pœnis, quas patitur, quapropter non diceretur beatus; ex parte objecti cognoscit infinitum excessum bonitatis intrinsecæ. Illa autem malitia extrinseca, quam apprehendit in Deo, vt se torquente, est tàm levis, (liceat sic dicere cum Arriaga, cuius hęc sunt verba) vt velut nævus aliquis ferè imperceptibilis in vna facie vndèquaque perfectissima appareat, qui defectus, non est sufficiens, vt propterea odio habeatur ea pulchritudo. Quod si ille Eremita, cui Diabolus in lucis Angeli forma persuadere voluit, esse reprobum, ità ex contemplatione obscura, & merè abstractiva cognitione in ipsius Dei amorem rapiebatur, vt responderit: ergo quandoquidem deinceps non habebo locum amandi Deum, permittas me iàm ipsum toto cordis affectu diligere, nè hanc infinitam bonitatem amandi tempus negligam, quin minantes pœnæ eius amorem restinguerent, quin minùs odium parerent, quanto magis Deus clarè visus! Insuper da hominem raptum alicuius personæ pulchritudine, etiam si ab ea experiatur molestias physicas, contemptum, pravam correspondentiam, cupiditaté &c. nequit ab eius amore cessare, quanto minùs eam odio habere; immò sæpè libenter suffe runtur in obsequium amati, sæpèque amorem acuunt. Quid ergo erit erga Deum clarè visum, & conspectum?

44. Dices: totum hoc provenire ex amore, quô cum incompatibile est odium: ergo hoc non provenit ex visione. Contra: necessitas ad amandum non provenit ex amore, sed est omninò antecedens proveniens ex vehementi propositione pulchritudinis: ergo nec necessitas ad

ad non odio habendum, cum vtraque necessitas eodem gaudeat principio : ergo non solùm cum amore, verùm etiam cum visione incompatibile est odium Dei.

45. Objicies secundò: per Fidem proponitur voluntati viatoris tota hæc pulchritudo Dei summè, & infinitè bona, cum id ipsum, quod tunc videbimus, nunc credamus; sed ità nunc amamus Deum, vt talis amor sit liber quoad speciem, possitque talis cognitio componi cum odio : ergo similiter amor regulatus per lumen gloriæ, & beatificam visionem.

46. Respondetur : quod licèt per Fidem, & visionem beatam eadem summa bonitas proponatur, illa proponit eam obscurè, & per alienas species; hæc verò clarè, & vt est in se: vndè sicut intellectus convincitur à veritate primo modo proposita, non verò secundo, ità voluntas à summo bono clarè, non verò obscurè cognito necessitatur. Modus enim proponendi bonitatem summè conducit ad varietatem actuum voluntatis : aliter moveretur quis pulchritudine ex relatione cognita, ac visa: aliter recreat hortus descriptus, ac conspectus. Quid ergo mirum, quod cognitio abstractiva Dei, odium, & displicentiam permittat, non verò cognitio clara, & intuitiva? Insuper : perseverante iudicio, quo in via iudicamus, Deum esse diligendum, & non stante alio contrario retrahente, non esset possibile odium, & esset necessaria dilectio, hæc tamen libera evadit, quià tale iudicium immutatur, & subjacet imperio voluntatis, vi cuius adveniunt alia iudicia retrahentia, locumque odio præbentia; tùm ratione obscuritatis Fidei, quæ non planè convincit, tùm ratione fatigationis, quæ interdùm fastidium causat; tùm ratione impedimenti, quod causat talis amor: impedit enìm, nè homo ad alia objecta, vel ad alios actus se applicet, in quibus potest majus bonum apprehendere : nihil autem horum in visione intuitiva Dei potest contingere, & ideò locus non datur odio.

47. Objicies tertiò ; diversitas approximationis passi ad agens non inducit necessitatem, sed solùm intensionem actionis, vt patet in diversa approximatione materiæ calefactibilis ad ignem; sed clara visio Dei non repræsentat diversam bonitaté, sed eandé meliùs applicat, & coniungit voluntati : ergo non inducit necessitatem vllam, neque nõ odium, neque amorem, sed solùm maiorem amoris intensionem.

48. Respondeo distinguo maiorem : diversitas approximationis non inducit necessitatem, quandò in agente datur vnicus tantùm modus operandi, cõcedo: quandò datur duplex, nego : tùm enìm ex diversa applicatione provenit diversitas operandi vno, vel alio modo. Ignis vnicum tantùm modum operandi habet per modum naturæ; vndè diversa approximatio solùm conducit ad intensionem intra illum modum;

voluntas verò duplicem vel liberè, vel necessariò. Si approximatio sit per iudicium indifferens obscurum non convincens, liberè operabitur; si verò sit per visionem claram convincentem intellectum, nil mali, quod ità debeat reputari, reperiri in objecto proposito, & nil fastidij in amore ipsiùs, vt se habet absque dubio visio beata, voluntas necessariò operabitur tàm quoad speciem, quàm quoad exercitium.

QVÆTIO XIII.

AN VOLVNTAS BEATI *in sensu composito visionis posit saltem divinitùs peccare?*

1. PRæsens quæstio sub varijs titulis solet exagitari. Primò. an visio beatifica omne peccatum actuale excludat? Ità Ovied. Secũdò: vndè proveniat impotentia peccandi in beatis? Ità Arriaga. Tertiò: vtrùm ex vi visionis beatæ reddatur beatus ab intrinseco impeccabilis? Ità Gibon. Quartò: vtrùm de potentia absoluta posit cum visione peccatum actuale componi? Et aliter alij. Ego autem sub præfixo titulo procedo, quia, meo videri, clariùs materiam dubij ob oculos proponit; quod vt ità videas,

2. Suppono primò: à beatis de facto nullum posse peccatum habituale, veniale, aut mortale committi. Hæc est veritas Catholica contra Originem. lib. 1. Periarc. cap. 6. & homil. 15. in Lucam. vbi tenet: voluntates beatorum esse mutabiles de bono in malum, imò & Angelos sæpè esse negligentes in his, quæ ipsis à Deo præcipiuntur, juxta illud Iob 4. Ecce *qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.* Quod ibi nullum ingrediatur peccatum, constat primò ex Isai 33. vers. 24. *Populus, qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* Apoc. 14. vers. 15. *sine macula enim sunt ante thronum Dei* sap. 7. *nihil inquinatum in eam incurrit.*

3. Suppono secundò: ibi nullum peccatum de novo committi, nec, saltem naturaliter loquendo, committi posse: ità S. Thom. q. 4. art. 1. & 4. & cum eo Vazq. & Suar. constat hoc ex Apoc. 22. vers. 3. *Omne maledictum non erit amplius: & sedes Dei, & Agni in illa erunt, & servi ejus servient illi.* Ratio ex supradictis deducitur: nàm, cum homo per visionem necessariò determinetur ad Deum nõ odio habendum, sed amandum in exercitio, & quidem cum omni fervore posibili juxta raptum pulchritudinis infinitæ visæ, saltèm de potentia ordinaria, nequit eum, quem incessanter, & in exercitio diligit, graviter offendere, nec quidem leviter, quia licèt veniale non opponatur Charitati, benè tamen ejus fervori, quo existit in Patria.

4. Suppono tertiò: beatitudinem nostram, seu visionem, qua beatitudo nostra est, esse essentiali-

ter incompatibilem cum peccato, ac proindè, hominem in sensu composito beatitudinis esse essentialiter impeccabilem. Ratio est: quia beatitudo est summa felicitas dicens negationem totius infelicitatis; sed peccatum læthale est summa infelicitas, & veniale aliqua: ergo beatitudo, & peccatum tam veniale, quàm læthale sunt essentialiter incomposibiles. Vndè si per posibile, vel imposibile beatus peccaret persistente visione, neque hæc diceretur beatitudo, neque videns Deum diceretur Beatus: sicut si coniungerentur gratia, & peccatum, homo non diceretur justus. Sicut enim hæc est denominatio complexæ significationis, & mista ex positivo gratiç, & negatione peccati, ità concretum *Beatus* ex positivo visionis, & negatione infelicitatis, & miseriæ.

5. Hinc constat, quod in præsenti disputamus: non enim loquimur de visione, quà beatitudo est, sed quà visio, nec de vidente quà beato, sed quà vidente; nec loquimur naturaliter, & de potentia ordinaria, sed divinitùs, & de potentia absoluta, nec item de peccato habituali, de quo posteà, sed de actuali tàm lęthali, quàm veniali. Igitur, quod inquiritur est: an in eodem subjecto posit divinitùs compati, & coexistere visio intuitiva Dei, & peccatum, taliter, vt subjectum simul denominetur *videns intuitivè Deum, & peccans*? Ad modum, quo in tractatu de gratia habituali, inquirimus de gratia, & peccato, & in tractatu de Incarnatione, similiter de peccato, & vnione hypostatica. Hoc ità:

6. Prima sententia tenet: posse voluntatem beati peccare, attenta intrinseca exigentia visionis, ac proindè vi illius non reddi beatum intrinsecè impeccabilem; reddi tamen impeccabilem extrinsecè tantùm ab extrinseca providentia, & manutenentia Dei nollentis cum illa concurrere ad vllam actionem peccaminosam. Ità Subt. Doct. in 4. dist. 49. q. 6. & Schotistæ communiter. Gabri. Gregor. Okam. & Alij.

7. Secunda docet: non posse peccare, reddique ab intrinseco impeccabilem, esseque visionem essentialiter inconiungibilem cum peccato. Ità S. Thom. hic. quęst. 4. art. 4. & 1. p. quæst. 62. art. 8. Caiet. Medin. Conr. & Thomistæ omnes, quos sequitur Gonet. dist. 4. à 4. num. 58. & Gib. dist. 6. dub. vlt. num. 5: Ex Nostris Exim. D. disp. 10. sect. 1. Uazq. Valent. Salas, & omnes frequenter, quos sequuntur Arr. disp. 53. sect. 2. num. 4. Amic. & alij.

8. Inter hos tamen DD. rixa alia suboritur: quidam enim existimant, visionem non per se ipsam immediatè, sed ratione amoris, & mediatè tantùm excludere peccatum essentialiter, quatenus scilicèt inducit amorem necessariò, qui quidem amor incompatibilis est cum peccato: taliter, vt si positâ visione,

amor

amor beatificus per substractionem concursûs impediretur, posset Beatus absque impedimento peccare, etiam in sensu composito visionis. Ità videtur sentire Tanner. dub. 3. num. 26. Nostri tamen communiter cum Suarez, & Thomistæ cum S. Thoma contrarium tenent, tribuentes hanc excellentiam visioni vt tali independenter ab amore, quô adhuc insequuto ex vi visionis redderetur Beatus intrinsecè impeccabilis.

SECTIO I.

NOSTRA CONCLVSIO PROponitur, & probatur.

9. Dico primò: *Beatus nequit adhuc divinitùs peccare in sensu composito visionis, ac proindè redditur essentialiter impeccabilis ab illa titulo amoris necessariò sequuti.* Probatur: visio intuitiva Dei necessitat voluntatem Beati ad amorem Dei super omnia; sed in sensu composito huius amoris nequit Beatus adhuc divinitùs peccare: ergo in sensu composito visionis titulo amoris subsequuti nequit Beatus adhuc essentialiter peccare. Maior supponitur probata; probatur minor: amor, ad quem determinat visio, est amor perfectus super omnia, ac proindè est virtualis detestatio omnis injuriæ, etiam levis, contra Deum, & peccatum est actualis injuria vel gravis, vel levis, juxta peccati qualitatem; sed nec divinitùs potest Beatus in sensu composito virtualis detestationis omnis injuriæ gravis, & levis Dei actu injuriam gravem, vel levem committere in Deum; aliàs haberet simul duas voluntates oppositas, quod repugnat: ergo. Cōsequentia legitimè infertur; minor est certa, maior quoad secundam partem supponitur; quoad primam, constat: quià cum visio proponat Deum vt infinitè bonum, & amabilem, omnia bona creata huic summo bono opposita, vel per aversionem in peccato lethali, vel per diversionem in veniali, ità parvi habentur, vt non solùm non attrahant voluntatem, verùm saltem virtuater odio habeantur, & detestentur.

10. Dico secundò: *Non solùm titulo amoris subsequuti, sed etiam titulo visionis immediatè, & ratione sui nequit Beatus adhuc divinitùs in sensu composito visionis peccare.* Vndè adhuc secluso, vel impedito amore videns Deum vt talis esset intrinsecè, & essentialiter impeccabilis. Probatur cum Exim. Doct. voluntas ex vì visionis manet in actu primo summè, & vltimò determinata, tùm ad amandum Deum, tùm ad ipsum odio non habendum, & licèt impediatur divinitùs amor, manente visione, non impeditur ea summa determinatio; sed stante tali determinatione, est essentialiter impossibile quodlibet peccatum: ergo ex vi visionis nequit Beatus adhuc divinitùs peccare, etiam amore non subsequuto. Maior constat

ex ſupradictis. Probatur minor: ea ſumma determinatio ad amorem, & non odium provenit ex ſumma attractione pulchritudinis infinitæ propoſitæ per viſionem; ſed ſtāte eâ ſummâ attractione pulchritudinis infinitæ viſę, eſt eſſentialiter impoſsibile quodlibet peccatum: ergo. Probatur minor; ſtante eâ ſummâ attractione pulchritudinis infinitæ viſæ, eſt eſſentialiter impoſsibilis cognitio alliciens, & præpotens movere volūtatem ad offenſam ipſiuſmet pulchritudinis, cum quælibet offenſa ſit, licèt non formale, ſaltem virtuale, & interpretativum odium perſonæ offenſæ; ſed impoſsibili cognitione alliciente, & præpotenter movente voluntatem ad offenſam, impoſsibilis eſt offenſa, vt per ſe patet; cum voluntas vtpotè potentia rationalis debeat operari ex motivis: ergo. Probatur maior: cognitio alliciens ad offenſam, vel eſſet cognitio practicè judicans, aliquam bonitatem creatam præferendam eſſe bonitati divinæ, vel proponens aliquod bonum delectabile amplectendum, etiam ſi opponatur pulchritudini divinæ, vel denique aliquod bonū vtile, quod re ipsâ eſt oppoſitū illi, & licèt nō ametur vt oppoſitū, cognoſcitur tamen eſſe tale, aliàs peccatū non eſſet; ſed ſtāte eâ sūmâ attractione pulchritudinis infinitæ viſæ, eâque ſummâ determinatione, & inclinatione ad eius amorem, impoſsibile eſt, quod ſimul intellectus rationalis iudicet aliquod bonum creatum debere præferri bonitati divinæ, aut alliciens ad amplectendum illud ſub reflexione oppoſitionis, aut cognoſcendo eſſe oppoſitum, offenſivum, & prohibitum ab illo, imò & quę aliquanto æſtimet, & non parvo, aut nihilo reputet quamlibet aliam bonitatem comparatione divinæ, quâ rapitur, & neceſsitatur: ergo impoſſibilis eſt cognitio alliciens, & conſequenter quodlibet peccatum, perſiſtente viſione.

11. Confirmatur primò: odium Dei, adhuc divinitùs, nequit componi cum viſione Beatifica, etiam ſuſpenſo amore: ergo & peccatum. Antecedens ab omnibus ferè conceditur. Probatur conſequentia: ideò odium Dei cum viſione beatifica coniungi nequit, quià ſtante viſione, nequit proponi voluntati Deus ſub ratione mali, eo quod per illam proponatur Deus vt ſummum bonum; ſed etiam repugnat, quod ſtante viſione, proponatur voluntati vt bonum aliquod objectum avertens, aut divertens à Deo, cum Beatus evidenter iudicet per illam, nil eſſe bonum, niſi in Deo, per Deum, & in ordine ad Deum: ergo repugnat in ſenſu compoſito viſionis, volūtatę ſe determinare ad peccatū.

12. Confirmatur ſecundò: ſtrictiùs determinat pulchritudo intuitiva ad non offenſam ſui, quàm ad ſui amorem; cuicumque enim bono ſtrictiùs debetur negatio odii, vel formalis, vel virtualis, & interpretativa, quàm poſſeſsivus amor, cum magis opponatur excellentiæ bo-

boni odium, & offensa, quàm negatio amoris: ergo sicut visio per se ipsam immediatè prædeterminat ad amandum Deum, sic etiam potiori titulo ad illum, nec odio habendum, nec offendendum, ac proindè ad nullo modo peccandum adversus illum.

13. Probatur secundò conclusio, & explicatur ampliùs ratione à priori. Licèt stante visione possit voluntas divinitùs non amare, & de facto suspendatur amor, nec divinitùs potest suspendi necessitas ad amandum, cum hęc conferatur à visione per modum effectûs formalis indistincti à forma exhibita subjecto capaci, qualis tunc daretur, persistente visione; sed stante necessitate ad amandum, impossibile est quodlibet peccatum: ergo & stante visione. Probatur minor: stante necessitate ad amandum nequit adhuc divinitùs dari libertas ad amãdum, & non amandum; aliàs esset necessitas ad amandum, & non esset necessitas, cum daretur libertas; sed sine libertate ad amandum, vel non amandum, nequit adhuc divinitùs dari peccatum: ergo. Maior est evidens; minor patet. Omne peccatum non solùm non est amor, verùm essentialiter est non amor liber Dei, includitque essentialiter libertatem, & non amorem liberum Dei: ergo sine libertate &c.

14. Confirmatur: sub physica prędeterminatione ad amorẽ Petri, licèt possibilis sit non amor necessarius, seù carentia necessaria amoris Petri, cum possit Deus denegare concursum ad amorem, non est possibilis non amor liber, seù carentia libera amoris Petri, eo quod non amor liber supponat libertatem ad amorem, quæ deficit per nos, stante physica prædeterminatione necessitante ad amorem; sed non minùs necessitat ad amorem Petri physica prædeterminatio amoris Petri, quã necessitat ad amorem Dei visio intuitiva ipsius: ergo, licèt sub visione intuitiva Dei possibilis sit non amor necessarius, seù carentia necessaria amoris Dei denegante Deo concursum ad illum, non est possibilis non amor liber ipsius. Tùnc sic. Sed omne peccatum est ad minus non amor Dei: ergo stante visione, impossibile est omne peccatum. Discursus meo videri convincit intentũ.

15. Dico tertiò: *etiamsi Beatus nequeat adhuc divinitùs peccare in sẽsu composito visionis, possunt tamen componi, & coexistere in eodem subjecto peccatum, & visio.* Ità expressè Ovied. controv. 3. part. 4. num. 47. quem sequitur ingeniosus Neotericus in manuscriptis tract. de visione contrarium etiam expressè defendente Gib. dub. vlt. num. 30. Conclusio probatur, simulque explicatur. Potest Deus, prævisio iàm exercitio libero peccaminoso voluntatis in hoc instanti reali, pro posteriori visionem infundere; sed tùnc existerent simul peccatum, & visio: id enìm, quod existit pro priori, & id, quod existit pro posteriori, in eodem instanti reali coexistunt, vt per

se

se patet: ergo. Probatur maior: nulla in eo apparet repugnantia: ergo. Antecedens, vltrà quàm ex solutione argumentorum constabit, probatur. Repugnantia hæc, vel orietur ex ipsis formis essentialiter, & contradictoriè oppositis, vel ex effectibus formalibus, primarijs, & indispensabilibus, vel denique ex destructione libertatis essentialiter requisitæ ad peccatum; sed ex nullo ex his capitibus provenit: ergo nulla est. Probatur minor quoad primam partem: visio namque non est negatio aut non esse peccati, neque peccatum negatio, aut non esse visionis: ergo non pugnant essentialiter, & contradictoriè inter se. Quoad secundam probatur: effectus formalis primarius, & indispensabilis visionis respectu intellectûs creati est *videns Deum*, & effectus formalis indispensabilis peccati respectu voluntatis est *peccans*; sed licèt repugnent effectus formales *videntis Deum*, & *peccantis*, peccato subsequuto ad visionem, non tamen effectus formales peccantis, & videntis Deum secundùm se; aut *peccantis peccato antecedenti*, & non subsequuto ad visionem. Sic postea defendemus cum Ex. D. & alijs, posse componi visionem cum peccato habituali conferente denominationem *peccantis*: ergo.

16. Quoad tertiam partem, & simul est probatio secundæ, & disparitas inter peccatum antecedens, & consequens, probatur. Visio beata licèt destruat libertatem in ordine ad peccatum subsequens ipsam, & ad quod ipsa supponitur, non tamen eam destruit in ordine ad peccatum antecedens ipsam, & quod ipsam antecedit: ergo in casu conclusionis titulo libertatis nulla datur repugnantia in coexistentia peccati actualis, & visionis. Probatur antecedens: eam libertatem destruit, & impedit visio, quam præcedit per modum principij determinativi ad vnum extremum, nempè amorem, & negationem peccati, seu, ad non peccatum; sed non præcedit, neque determinat ad peccatum antecedens ipsam: implicat enim aliquid determinare ad aliud ipsi antecedens, & non posterius, & impedire determinationem ante sui existentiam factam: ergo & impedire, seu destruere libertatem ad peccatum antecedens ipsam visionem: licèt destruat, & impediat libertatem ad peccatum subsequens, cujus determinationem antecederet.

17. Confirmatur primò: implicat, impediri aliquid, quod jam existens supponitur, cum ex suppositione, quod existat, nec de potentia absolutà possit non existere: ergo & quod visio communicata pro posteriori impediat libertatem, determinationem, & peccatum positum pro priori; sed ità se haberet in casu cõclusionis: ergo nec destrueret, nec impediret libertatem, quam peccatum secum essentialiter affert.

18. Confirmatur secundò: non minùs, imò multò magis connectitur

tur prædefinitio divina cum opere prædefinito, & prædestinatio ad gloriam vt coronam cum merito finali, quàm visio intuitiva cum negatione peccati, seu non peccato; sed nec prædefinitio divina destruit libertatem ad opus prædefinitum, ejusvè carentiam, aut prædestinatio ad meritum finale: ergo nec visio libertatem destruet in casu conclusionis ad carentiam peccati, vel peccatum. Probatur consequentia, & paritas: ideò prædefinitio (idem dic de prędestinatione) non destruit, nec impedit libertatem ad opus prædefinitum, ejusvè carentiam, quia, cum fundetur in illo, illudque pro priori supponat, nec se habet ex parte actûs primi, nec vt comprincipium illius, sed potius omnia ejus comprincipia supponit; sed similiter visio in casu conclusionis supponeret pro priori peccatum, nec se haberet ex parte actûs primi, nec esset comprincipiũ illius, sed quædam quasi suppositio consequens: ergo non destrueret libertatem requisitam ad tale peccatum, licèt illam destrueret in ordine ad peccatum subsequens, sicut physicá prædeterminatio per nos, vel ipsa prædefinitio libera divina, si præcederet simpliciter ad opus.

19. Confirmatur tertiò, seu potius alio exemplo idem explicatur. Possunt coexistere in eodem instanti reali, & in eodem subjecto obedientia libera præcepto obliganti in conscientia, & vnio hypostatica habente se obedientia pro priori, & vnione hypostatica pro posteriori; non tamen è contra. Imò de facto ità evenisse, & salvari libertatem in moriendo, & impeccabilitatem Christi, communiter defendimus, defenditque Noster sapientissimus Thyrsus, taliter vt prævisa à Deo pro priori naturæ libera obedientia præcepto moriendi in humanitate, pro posteriori conferat vnionem hypostaticam, quin hæc impediat, destruatvè libertatem obedientiæ humanitatis: ergo similiter poterunt coexistere in eodem subjecto, & in eodem instanti reali peccatum, & visio, taliter vt prævisо peccato conferatur visio, habente se peccato pro priori, & visione pro posteriori, quin visio subsequens destruat, impediatque libertatem actûs peccaminosi: cum eodem modo, ac vnio supponit ex parte humanitatis principia libera, quæ non constituit, nec immutat, ità, & visio supponit ex parte voluntatis omnia principia libera, quin ea constituat, immutetvè.

20. Confirmatur quartò: quæ repugnantia datur in eo, quod Deus v. g. dicat, si Petrus in tali instanti sacrum v. g. sibi præceptum audiat, illi tribuam visionem beatificam? Ea Petrus liber est ad obediendum, vel non: liberè obediat, statim pro posteriori confertur visio coexistentibus obedientiâ liberâ, & visione: ergo visio libertatem non aufert ad actum pro priori se habentem: ergo si aliundè visio, &

& peccatum non repugnant titulo destructionis libertatis ad illud, coexistere queunt.

SECTIO II.

ARGVMENTA CONTRA SEcundam conclusionem solvuntur.

21. OBijcies primò contra secundam conclusionem: licèt visio necessitet ad amorem, Deus potest illum suspendere denegando cōcursum ad illum, etiam in sensu composito visionis exigentis talem concursum naturaliter: ergo & si necessitet similiter ad non peccandum, poterit Deus conferre voluntati concursum indifferentem ad peccatum etiam in sensu composito visionis reluctantis tali concursui, ac proindè poterit voluntas peccare.

22. Respondetur: nego consequentiam, & paritatem. Ratio est: quià, & si visio necessitet ad amorem, cum hac necessitate, benè componitur suspensio ipsius, denegato concursu, qui vltra visionis necessitatem, ad amorem necessariò requiritur; ast persistente visione intuitivâ Dei, eiusque effectu formali adhuc divinitùs inseparabili, necessitate nempè, seù sūma attractione visionis, insupplebilis est libertas: nàm visio non aufert libertatem ad peccandum simul cum visione ob peccati indecentiam, nàm postea defendam, posse componi cum peccato habituali, quod eodem modo maculat animam: nec aufert libertatem, eo quod auferat omnem virtutem naturalem ad habendum simul alium actum, qui defectus potest à Deo suppleri, conferendo suo speciali concursu, & iuvamine novas vires voluntati; relinquit enim locum ad alios actus simul habendos: aufert ergo libertatem ob infinitam attractionem bonitatis summæ clarè cognitæ, quâ persistente, nequit dari cognitio retrahens ab amore, & alliciens ad non amorem liberum, seù offensam; atque hæc infinita attractio, hicque defectus cognitionum retrahentis, & allicientis, durante visione, necessariò, & indefectibiliter manet, nec suppleri potest à Deo per concursum fortiorem, aut indifferentem: ergo in sensu composito visionis nequit Deus conferre talem concursum indifferentem. Imò adhuc tali concursu indifferēti collato, si esset possibilis, non prędtaret libertatem, quam essentialiter dicit actus peccaminosus.

23. Obijcies secundò: visio beatifica recipitur in intellectu, peccatum verò in voluntate: ergo adhuc in sensu composito visionis potest Beatus peccare. Probatur consequentia: ea, quæ recipiuntur in distinctis subjectis, nec opponuntur, nec se excludunt, aut impediunt: oppositio enim debet esse in eodem communi, & circa idem commune subjectum.

24. Respondetur: in meis principijs realiter identificantibus potentiis

tentias inter se, & cum anima, argumentum nullum est, cum detur idem subjectum reale & visionis, & peccati. Adhuc admissâ distinctione reali potentiarum ab anima, visio & peccatum, & quicumque actus vitalis recipiuntur in potentijs, & etiam in anima, cum hæc sicut & potentiæ, vivant per illos, vndè iam habent saltem idem subjectum inadæquatum, in quô pugnent. Sed præscindendo ab vtraque opinione, cum incompatibilitas, & pugnantia visionis cum peccato subsequuto non proveniat ab ipsa visione, & peccato secundùm se sumptis: possunt enìm compati, vt videre est in habituali, & in actuali pro priori se habente, & ipsa visione; sed ex defectu cognitionis allicientis ad peccatum in consortio visionis beatificæ, indè est, quod sivè existant in eodem, sivè in distinctis subjectis, nequeat compati visio, & peccatum subsequens. Peccatum enim, vtpotè actus voluntatis pendet à cognitione alliciente, & proponente in objecto peccaminoso aliquam bonitatem amabilem, hæc autem, cum nequeat dari in homine, dum in illo persistit visio summæ pulchritudinis divinæ repræsentans illam vt dignam summo amore, & cui nulla inferatur injuria, indè est, quod à volũtate hominis videntis Deum in sensu composito visionis, oriri nequeat peccatum, quamvis visio, & peccatum in distinctis recipiantur subjectis.

25. Objicies tertiò: liberum arbitrium beati, eiusque voluntas est eiusdem speciei, & rationis cum nostro; sed nostrum ex propria sua natura est capax peccati: ergo & Beati etiam in sensu composito visionis, cum à visione non immutetur intrinsecè.

26. Confirmatur: potentia ad peccandum est de essentia libertatis creatæ, vel saltem eius pars, aut complementum; sed in Beatis manet perfecta libertas, etiam in sensu composito visionis: ergo & potentia ad peccandum.

27. Respondetur: concedo majorem, & distinguo minorem: est capax peccati capacitate radicali, & remotâ, cõcedo: proximâ, & formali, subdistinguo: in consortio cuiusvis formæ, vel principij cõplentis illam in ratione indifferentis, concedo: in consortio formæ, vel oppositæ peccato, vel necessitantis ad non peccatum, auferentisque aliquod comprincipium necessarium ad peccatum, nego. Non enìm loquimur de potentia radicali, & remota ad peccandum, quæ non immutatur, vi visionis, alîusque cuiuscumque formæ, & quæ manet in Beato, sed de proxima, quæ, certè immutatur per visionem, cum per eam impediatur cognitio alliciens ad peccatum, quæ est vnum ex comprincipijs actús liberi vt talis; neque liberum arbitrium est capax proximè in consortio cuiusque formę, vel principij ad peccatum. Sic in consortio vnionis hypostaticæ, dilectionis Dei super omnia, non est capax proximè ad peccatum. ergo. Hinc

28. Hinc patet confirmationis solutio: licèt enim esset de essentia libertatis nostræ sumptæ secundùm se, & radicaliter potentia ad peccandum, non tamèn sumptę proximè in consortio cujusque principij destruentis ipsam libertatem proximam, qualia essent vnio hypostatica, physica prædeterminatio, & visio beatifica.

29. Obijcies quartò: voluntas Beati non est perfectior in ratione actûs primi, quàm sit alia, vel esset ipsa carens visione: ergo non est perfectior respectu actûs secundi: ergo potest peccare, si potest quælibet alia, & posset ipsa, si careret visione. Hoc fundamento probat Durand. in 3. dist, 12. quæst. 2. num. 7. humanitatem Christi in sensu composito vnionis hypostaticæ posse peccare, addens num. 8. huic opinioni magis obsistunt verba devota, quàm ratio efficax.

30. Respondetur, nego antecedens: nam in sensu composito visionis est perfectior perfectione superaddita, & impediente actum secundum peccati. Sicut enim Deus physicè vnitur humanitati, & affectivè moraliterve vnitus per amorem, ità perficit actum primum humanitatis, & voluntatis creatæ, vt impediant actum secundum peccati taliter, vt nec humanitas in sensu composito vnionis physicæ ad personalitatem, nec voluntas in sensu composito vnionis moralis ad Deum posint peccare, ità Deus intentionaliter vnitus intellectui humano per visionem intuitivam taliter intellectum perficiet, vt in sensu composito ipsius impossibilis sit actus secundus peccaminosus.

31. Obijcies quintò: ad huc in sensu composito visionis Beati sunt capaces præcepti circa objecta creata, seù bona extrinseca Dei, quæ amant liberè v. g. Angeli circa custodiam hominum. Imò defacto adstringuntur præceptis naturalibus, vt docent communiter Theologi: ergo possunt transgredi, & non transgredi talia præcepta, cum eis liberè obediant: ergo & peccare.

32. Respondetur: nego antecedens, si loquatur de pręcepto obligante in conscientia sub culpa. Licèt enìm ea objecta extrinseca adhuc in sensu composito visionis liberè amet, cum posit coniungere non amorem subsequutum cum visione, positque in sensu composito visionis coexistere cognitio alliciēs, & proponens non amorem talis objecti vt quid bonum, & vtile, eo ipso quod præciperetur, v. g. custodia hominum Angelo, & non custodia cognoscatur opposita præcepto, & offensiva Deo, nequit amplecti in sensu composito visionis, nec repræsentari quid bonum, & amabile in ipsa, esset enìm custodia necessaria, & consequenter non esset materia præcepti, quæ adhuc sub præcepto debet esse libera. Sic iudico cum cōmuni Doctorum, Christum Dominum, seù humanitatem in sensu composito vnionis hypostaticæ non fui-

fuisse capacem præcepti obligantis in conscientia sub culpa ob eandem rationem.

SECTIO III.

ARGVMENTIS CONTRA tertiam conclusionem respondetur.

33. OBijcies primò: assensus, & dissensus nequeunt per me adhuc divinitùs compati in eodem intellectu, nec se habente assensu pro priori, & dissensu pro posteriori, vt quidam tenent: ergo neque visio, & peccatum, & si peccatum se habeat pro priori, & visio pro posteriori.

34. Respondetur: concedo antecedens, & nego consequentiã, & paritatem. Disparitas in hoc stat. Repugnat, intellectum rationis compotem judicare in eodem instanti reali idem simul esse, & non esse duplici contradictorio assensum præbentem, atque ità se haberet, etiamsi pro priori assentiretur cursui Petri v. g. & pro posteriori dissentiretur illi: jam enim in eodem instanti judicaret, Petrum currere, & non currere: ergo. Ast verò ex concursu peccati prioris, & visionis posterioris nulla contradictio oriretur, vt constat ex nostris probationibus.

35. Insurgis statim: existente pro priori peccato, & pro posteriori visione, existeret, & non existeret in eodem instãti reali cognitio allicitiva in bonum creatum peccaminosum: ergo contradictio sequeretur. Probatur antecedens: existeret cognitio allicitiva, cum existerent omnia comprincipia peccati, quorum vnum est talis cognitio; non existeret, cum visio beatifica existens pro posteriori, non solùm naturaliter, verùm essentialiter per me excludat concursum cognitionis allicitivæ in bonum peccaminosum oppositum Deo intuitivè viso.

36. Hęc difficultas diu ancipitem me tenuit, & in contrariam sententiam satis propensum; re tamen benè perpensa, respondetur, nego antecedens quoad secundam partem; ad cuius probationem dico: quod, cum nil posit esse impedimentum, dum non existit, & ad id, quod iàm existens supponitur, & ità se habeat in casu conclusionis peccatum erga visionem: supponitur enìm pro priori peccatum, & consequenter cognitio allicitiva existens pro priori, dum non existit visio, indè est, quod nequeat hæc impedire cognitionem illã allicitivam ad peccatum antecedens, impediat licèt cognitionem allicitivam ad peccatum subsequens, quâ cum, non verò cum antecedenti est incompatibilis visio, nàm, cum impediat cognitionem allicitivam vi summæ attractionis pulchritudinis infinitæ intuitivè cognitæ, vt eam excludat, debet iàm existere, attrahere, & movere, pro priori, nec attrahit, nec movet, nec existit: ergo non opponitur cum cognitione alliciente pro prio-

priori, & quæ se habeat vt principium actûs liberi peccaminosi, quâpropter sicut in casu conclusionis existit in eodem instanti reali cum peccato, ità existeret cum cognitione alliciente ad peccatum.

37. Replicabis: ergo similiter poterunt coexistere assensus, & dissensus, dummodò ille se habeat pro priori, & hic pro posteriori. Probatur consequentia: nil impedit, dum non existit, id, quod iàm supponitur existens, & ideò visio non impedit cognitionem allicitivam ad malum se habentem pro priori: ergo neque dissensus posterior impediet assensum se habentem pro priori existentem.

38. Respondetur: certum esse, dissensum posteriorem non impediturum assensum priorem ob rationem allegatam; sed assensum priorem impedire dissensum pro posteriori, ac proindè, non posse componi in eodem instanti reali, nam eo ipso, quod ego pro priori judicem, Petrum currere per assensũ, nequeo pro posteriori judicare, Petrum non currere per dissensum; vndè tunc dissensus subsequens non impediret assensum, sed assensus antecedens dissensum: si verò assensus non excluderet essentialiter dissensum, licèt hic excluderet essentialiter assensum, præcedente assensu posset subsequi dissensus, & coexistere in eodem instanti reali. Ità judicat Oviedus hic; & in gratia, & peccato cum Arriaga plures stantes, posse componi in eodem instanti reali gratiam, & peccatum, dummodo peccatum se habeat pro priori, & gratia pro posteriori; non verò è contra. Peccatum ergo præcedens ad visionem non dicit essentialem oppositionem cùm visione, cum non destruat, negetvè aliquod visionis principium, intellectum v. g. vel lumen, vndè locum dat existentiæ ipsius pro posteriori; visio verò, quæ essentialiter opponitur peccato posteriori, licèt non admittat consortium cognitionis allicientis ad peccatum subsequens, serò venit, nec impedire potest cognitionem priorem, quæ pro priori ad ipsam mentem occupat.

39. Objicies secundò, & simul replicabis: spes, & revelatio æternæ damnationis nequeunt adhuc divinitùs compati in eodem instanti reali, etiamsi spes revelationem præcedat, quia, & si spes non destruat aliquod principium revelationis; revelatio verò habens se pro posteriori destruit objectum spei, salvationem nempè probabiliter futuram: ergo, licèt peccatum non destruat aliquod principium visionis, sufficit, quod visio destruat aliquod principiũ peccati, vt non posint adhuc divinitùs existere simul.

40. Respondetur: transeat antecedens, quò probabiliter negato, conclusio nostra illustrior fieret: nego consequentiã, & paritatem: nàm spes præexistens revelationẽ posteriorem impedit, quià supponit, dum existit, suum objectum, quod est

est salvatio probabiliter futura, quâ stante, impossibilis est divina revelatio damnationis æternæ: non enim cõpatitur simul salvatio probabiliter futura, & damnatio certa, & infallibilis, quæ includit non futuritionem salvationis, ac proindè crederetur futura, & crederetur non futura, quod est impossibile in eodem instanti reali, quomodocumque collocetur. Insuper: revelatio destruit objectum spei, infertque negationem ipsius in instanti illo, & pro illo instanti, in quò existit, cum destruat futuritionem salvationis, dicatque negationem illius. At verò, nec peccatum destruit objectum, neque subjectum, neque principium visionis, neque visio destruit, impeditvè objectum, subjectum, principiumvè peccati pro priori existentis: nàm licèt impediat cognitionem allicitivam ad peccatum, non cognitionem præexistentem, neque ad peccatum præexistens, sed cognitionem subsequentem, & ad peccatum subsequens.

41. Pro solutione tùm huius, aliarumque difficultatum, liceat proferre doctrinam sanè vtilem, si placuerit, fortè enìm paralogisor, eam namque licèt diligenter quærerem, apud DD. non invenio. Sit ergo, quod, licèt visio beatifica negationem cognitionis allicientis ad peccatum inferat per modum effectûs; ipsa tamen visio non est negatio ipsa, nec illam includit: vndè talis negatio pro posteriori se habet respectu visionis. Ex quô infero, non coexistere in eodem instanti reali cum peccato priori ad visionem: nàm, licèt quæ existunt pro priori, & posteriori, existant in eodem instanti reali, hoc debet intelligi de priori, & posteriori respectu ipsius prioris, ex quò vtroque resultat vnum instans reale; non verò de posteriori respectu posterioris, seù de posteriori mediato, quod iam pertinet ad aliud instans formatum ex ipso posteriori mediato, & ex posteriori immediato se habente pro priori respectu illius, & pro posteriori respectu primi prioris. Pono exemplum: ex priori *A.* & posteriori *B.* resultat vnum instans, ex posteriori *B.* respectu *A.* & priori respectu *C.* & ipso posteriori *C.* resultat aliud instans; non verò ex posteriori *C.* & priori *A.* Tùnc sic: sed cognitio alliciens, & peccatum, quod vt liberum eam involvit, se habet vt prius *A*, visio vt posterius *B.* quæ simul est prius respectu *C.* & negationis cognitionis allicientis, quæ iàm pertinet ad aliud instans, nempè *C*, ergo ex ipsa, & cognitione alliciẽte non componitur vnum instans, ac proindè in eodem instanti, non coexisterent. Nec hinc inferas, posse coexistere assensum & dissensum, spem, & revelationem damnationis; nàm tam dissensus, quàm revelatio destruunt objecta assensûs, & spei per se ipsa, non per aliquid pro posteriori subsequutum; visio tamen non per se, sed per negationem subsequutam destruit cognitionem allicientem. Fortè placebit, saltem

pro

pro aliquo vrgenti; ni placuerit, pro non dicta habeatur.

42 Obijcies tertiò: peccatum supponit essentialiter negationem visionis: ergo repugnat visio se habens pro posteriori peccati: iàm enim existerent in eodem instanti reali visio, & carentia visionis, esse, & non esse rei, quod repugnat. Probatur antecedens: peccatum supponit essentialiter libertatem; sed libertas dicit essentialiter carentiam visionis, omnisque principij necessitantis: ergo.

43. Ex argumento sequitur: Deum non posse predefinire actus liberos, neque illos videre in eodem instanti, in quô voluntas se determinat ad illos: existeret enim illa prædefinitio pro posteriori, & pro priori negatio illius, quam essentialiter dicit libertas, cum dicat carentiam cuiusque principij necessitantis, & taliter se haberet prædefinitio si præcederet. Respondetur: libertatem non dicere absolutè negationé visionis, sed negationé cuiusvis principij necessitãtis, & determinãtis: ergo & visionis, quà esset determinativa, & determinans ad vnũ extremũ, ac proindè visionis pro priori se habentis, seù per modum comprincipij; sed visio posterior neque potest determinare, aut necessitare voluntatem: ergo libertas non dicit negationem ipsius, ità se habentis, ac proindè nec negationem absolutam scientiæ divinæ, & prædefinitionis, sed harum pro priori existentium; hoc est, non negat visioné, sed negat, se habere pro priori ad ipsam, quô cum optimè componitur, quod existat in toto instanti reali, habendo se pro posteriori.

44. Obijcies quartò; summè indecorum esset Deo, maxima sui amoris signa indigno, & peccatori præbere; esset enim margarita porcis; ità est visio beatifica, margarita certè, quâ inventa, omnia sua Negociator ille Evangelicus dilapidavit: ergo eam peccatori conferre indignum Deo videtur.

45. Respondetur: indigno plura conferre dignissimum præconium esse misericordiæ, & divinę liberalitatis, quæ quasi profusivâ suarum divitiarum, & bonorum solem suum oriri facit super bonos, & malos, & sicut eis confert plura dona supernaturalia absque merito, ità, & potest visionem conferre, tum ad ostensionem suæ Omnipotentiæ, quod esset motivum sufficiens, vbi non datur implicantia, tùm, vt talis homo tanto beneficio oneratus, converteretur, ob aliosvè sibi notos.

46. Obijcies quintò: implicat, hominem in eodem instanti reali esse summè felicem, & summè infelicem, esse ad Deum conversum, & ab ipso simpliciter aversum, amari à Deo, & simul odio haberi; sed ità se haberet, si peccatum, & visio coexisterent: esset enim summè felix ad Deum conversus, & à Deo amatus ratione visionis, & summè miser, à Deo aversus, & odio habitus ratione peccati: ergo.

47. Confirmatur: existeret pec-

peccatum simul cum sua condonatione: voluntas namque infundendi visionem, sicut & infundendi gratiam est virtualis saltem condonatio peccati; sed existeret peccatum simul cum voluntate infundendi visionem: ergo.

48. Argumentum æquè impugnat concursum visionis cum peccato habituali, immò & gratiæ cum peccato. Pro omnibus respondetur: in casu conclusionis hominem ex visione per se, non excluso peccato, non evadere summè felicem, ex eo quod divinitùs impediatur ejus effectus secundarius, scilicèt expellere miseriam peccati, neque simpliciter conversum ad Deum, ni per conversum ad Deum intelligas videntem Deum, sed hæc conversio compatitur cum aversione per peccatum, neque amaretur â Deo amore amicitiæ, sed eo tantùm amore, quem affert secum collatio alicujus beneficij, qui cum odio inimicitiæ conjungi potest: quo sistit argumentum: neque voluntas infundendi visionem, sicut nec infundendi gratiam est condonatio peccati, licèt sæpè coniungatur, & fortè naturaliter comitetur illam; potest tamen divinitùs suspendi, quo casu coniungeretur peccatum cum visione; quo etiam confirmatio sistit.

49. Objicies sextò, & simul replicabis: visio beata est essentialiter consequutio, seu possessio summi boni: ergo nequit divinitùs impediri, quin reddat hominem possidentem summum bonum, cùm sit effectus primarius ipsius; sed repugnat hominem possidere summum bonum, in quo nempè continetur omne bonum, quin sit summè felix, & careat omni malo: aliàs possideret summum bonum, vt supponitur, & non possideret, cum non careret omni malo: ergo repugnat visionem coniungi cum peccato.

50. Respondeo: nego minorẽ. Nàm possidere intentionaliter summum bonum, & carere omni malo sunt distincti effectus, & conceptus; possidere summum bonum effectus primarius visionis; carere omni malo effectus secundarius separabilis divinitùs à primo: sicut esse informatum est effectus primarius formæ in materia, carere formâ antecedenti secundarius; & sicut ob hoc eadem materia potest divinitùs duplici forma informari per Nos, ità idem homo potest divinitùs habere possessionem intentionalem summi boni ex visione, & non carere omni malo, eo quod talis possessio suo effectu secundario divinitùs fraudetur. Neque ex eo quod in bono possesso nempè Deo contineatur omne bonum, ac proindè carentia totius mali, nempè peccati, sequitur, possessionem ipsius vnivocè participare perfectiones boni possessi: sic in bono possesso continentur omnes præcontinentiæ, omnes actus liberi, omnia possibilia, & tamen possessio intentionalis ipsius non est possessio intentionalis omnium præcontinentiarum, omnium actuum liberorum, &

& possibilium, cum non omnia cognoscat: vndè talis visio esset possessio summi boni, sed non exercentis omne, quod summum bonum vt possessum causare potest: neque conceptus possessionis intētionalis summi boni vt talis dicit essētialē incōpatibilitatē cum aliquo malo, vt videre est in cognitione abstractiva.

51. Obijcies septimò: per visionem cognoscitur Deus vt summè bonus, dignusque amore infinito, indignusque omni offensâ; ad peccatum requiritur cognitio prævia, quâ judicetur; dignus esse, cui injuria inferatur, seù quâ dicatur, Deus non est summum bonum cuicumque bono præferendum, sed hę cognitiones, nempè: *Deus est summum bonum; Deus non est summum bonum* repugnant, cum sint assensus, & dissensus: ergo etiam repugnant visio, & peccatum ità, vel ità colocentur. Quod talis cognitio requiratur ad peccatum, constat ex illo: *omnis peccans est ignorans.* Ignorantia enim præcedens ad peccatum non est speculativa, sed practica inconsideratio, & imprudens judicium anteponens bonum creatum bono increato, & divino.

52. Respondetur: nego antecedens quoad secundam partem. Aliàs omnis peccans erraret in doctrina. Solùm enim requiritur ad peccatum cognitio alliciens, eo quod objectum aliquod peccaminosum, v. g. esus carnis die veneris, appareat delectabile, quod absque vllo errore verè ità judicatur, & licèt simul cognoscatur, esse prohibitum, illud amplectendo practicè anteponat voluntati divinę contrarium præcipienti, & in hoc sensu dicatur ignorans, non ideò debet judicare; Deum dignum esse, cui injuria inferatur, aut expedire actionem aliquam exercere contra illius voluntatem. Hoc judicium ad peccatum non requiri, patet in eo, quod liberè non peccat, in quo talis error non præcedit, & tamen præcedunt omnia comprincipia ad peccatum, aliàs non procederet liberè in non peccando, & sub eisdem comprincipijs, sub quibus liberè non peccat, potest peccare.

53. Obijcies octavò: visionem Dei intuitivam necessariò comitatur amor; sed cum amore nequit stare, adhuc divinitùs, peccatum: ergo nec cum visione.

54. P. Oviedo, & qui eum in hoc sequuntur (si sunt aliqui) admittentes tùm in intellectu, tùm in voluntate quoscumque actus oppositos assensûs, & dissensûs, amoris, & odij, nihili faciunt argumentum: ego contrarium judicans parvi æstimo: tùm quia hìc non loquimur, attento amore subsequuto ad visionem, sed attentâ ipsâ visione, & naturâ ipsius. Tùm quia cum amor ille necessariò consequutus visionem sit tantum, attentâ naturali exigentia, potest divinitùs suspendi, & tunc dare locum quæstioni. Immò in casu quæstionis, & præcedentiæ peccati ad visionem necessariò suspenderetur, nec tunc

visio

visio determinaret ad amorem ratione impedimenti, nempè peccati, quod ex suppositione suæ existentiæ esset pro illo instanti inauferibile: nàm, cùm amor sit detestatio virtualis omnis objecti peccaminosi, & actus peccaminosus sit prosequutio ejusdem objecti, nequeantque coniungi in eodem instanti reali, detestatio, & prosequutio ejusdem; fit indè, in casu conclusionis, visionem non posse exercere suam causalitatem, nec determinare ad amorem pro posteriori: ad modum, quo, si supposità frigiditate in subjecto, applicetur agens ex se determinatũ ad producendum calorem, illum non producet in instanti, in quo non posset frigiditatem expellere: ergo neque visio amorem in instanti, in quo, cum supponatur pro priori peccatum, ejus existentiam pro toto illo instanti reali impedire nequit.

55. Obijcies nonò: ergo saltem cum odio Dei nõ poterit componi visio. Concedo consequentiam. De hoc enim particulari peccato nõ loquimur. Insurgis: ergo neque cum quolibet alio peccato; quodlibet enim est virtuale, seu interpretativè odium.

56. Respondetur: quod, cum ad odium debeat præcedere cognitio concipiens in Deo aliquam malitiam, & intuitiva cognitio cognoscat Deum esse summum bonum, ac per consequens, nullam in eo dari malitiam, si concurrerent visio, & odium, coexisterent assensus, & dissensus malitię, & consequenter in eodem instanti reali judicaret intellectus, in Deo esse aliquam malitiam, & simul non esse: quod non eveniret in reliquis peccatis, quæ & si dicantur virtualiter, & interpretativè odium, non supponunt cognitionem, qua in Deo aliqua malitia judicetur, sed solùm, qua in objecto prohibito aliqua delectabilitas, quam voluntas possit prosequi, supponatur.

QVÆSTIO XIIII.

AN VISIO INTVITIVA Dei possit componi cum peccato habituali.

1. LOquimur de potentia absoluta. In quo prima sententia negat. Ità communiter Thomistæ, quos sequuntur Gonet. d. 4. de beati. à n. 5. §. 2. Gibon d. 6. dub. vlt. num. 14. Ex Nostris Vazq. disp. 11. cap. 10. Becan. Gran. & Alij.

2. Secunda sententia possibilem divinitùs judicat concursum peccati habitualis, maculævè relictę ex actuali præterito cum visione. Ità Ex. D. disp. 10. sect. 2. Salas, Tanner. Curiel. Lorca, & Alij, quos citat, & sequitur Ovied. contr. 3. punt. 5. à num. 61.

3. Dicendum *visio intuitiva Dei potest divinitùs coexistere in eodẽ subjecto cum peccato habituali.* Conclusio probanda est eodem modo, ac anno proximè elapso probavimus:

mus, posse divinitùs coexistere in eodem subjecto gratiam, & peccatum. Ibi enim latiùs videbitis, quæ hîc brevi perstringam. Quod nullo ex capite repugnat, concedi debet possibile, divinâ Omnipotentia intercedente; sed coexistentia hæc visionis cum habituali peccato ità se habet: ergo. Probatur minor: repugnantia hæc, vel posset esse moralis, orta scilicèt ex eo, quod dedecens, & indècorum sit Deo, vel quia læderetur ejus Sanctitas, vel fœdaretur ejus recta gubernatio, & prudentia in eo, quod est infundere visionem, peccato habituali non remisso, seu peccatum habituale non remittere, infusâ visione. Uel posset esse physica, eo quod, vel ratione sui, vel ratione suorum effectuum repugnet coexistere cum habituali; sed nulla indecentia moralis sequeretur in Deo, eo quod non tribueretur Deo peccatum, nec imprudenter se gereret in ejus non remissione (vt constabit ex solutione argumentorum)

4. Nec physica repugnantia sequeretur; siquidem visio nec ratione sui, nec ratione suorum effectuum pugnat essentialiter cum peccato habituali: ergo. Quod ratione sui non pugnet, probatur: eatenùs pugnaret ratione sui, quatenùs necessariò secum afferret amorem, vel quia ipsa sit formaliter privativè opposita peccato præexistenti; sed nec primo, nec secundo modo repugnat: ergo. Probatur primò quoad primam partem: tùm, quia amor, & si naturaliter necessariò sequatur ex visione, potest divînitùs suspendi, vt sæpè diximus. Tùm, quia, cum amor, per me, non sit forma sanctificans (vt anno etiam preterito defensavimus) potest coniungi cum peccato habituali, & si aliàs cum actuali componi nequeat; & adhuc dato, quod ità esset, non repugnat, formam sanctificantem coniungi divinitùs cum peccato. Quoad secundam probatur: nec visio beatifica consistit in privatione peccati, nec peccatum habituale in privatione visionis: ergo privativè non opponuntur. Antecedens quoad primam partem per se constat; quoad secundam patet. Nàm per me peccatum habituale consistit in peccato physicè præterito, non condonato, nec satisfacto; sed visio, nec est condonatio, satisfactio, aut remissio peccati: ergo habituale non consistit in privatione visionis. Ex quo sic argumentor:

5. Quoties duę formæ non opponuntur privativè, sicut lux, & tenebræ, aut fundant contradictionem, sicut assensus, & dissensus, possunt divinitùs in eodem subjecto coexistere, vincente divinâ Omnipotentiâ resistentiam illam naturalem earum. Sic componi queunt calor summus, & summum frigus, potest enim Deus abstinere se à mutatione illa nova subjecti, seu destructione formę contrariæ, etiam in præsentia alterius formæ illam exigentis: tùm, quia potest Deus ire con-

contra naturalem formarum exigentiam: tùm quia, illa corruptio, seu expulsio formæ oppositæ tantùm est effectus secundarius realiter distinctus ab effectu primario formæ, introductæ, & non repugnat, quod effectus primarius realiter separetur à secundario. Sed licèt visio, & peccatum habituale inter se contrariè pugnent, taliter vt visio exigat remissionem, & expulsionem peccati, nec opponuntur privativè, nec fundant contradictionem, vndè visio non exigit essentialiter remissionem peccati, possunt divinitùs coexistere, separarique virtute Omnipotentiæ expulsio peccati ab infusione visionis: ergo.

6. Quod ratione suorum effectuum formalium non opponantur, probatur: Eatenùs ità opponerentur, quatenùs peccatum redderet hominem peccatorem, & visio sanctum, & summè felicem, eo quod sit sanctitas, & summa felicitas; sed visio, adhuc admisso, quod sit sanctitas (de quo postea) in casu conclusionis, nec redderet hominem sanctum, summèvè felicem. Quia, sicut, & si gratia sit forma sanctificans, hominem non reddit sanctum, vsque dum intelligatur carentia peccàti ingrediens essentialiter tale concretum, ac proindè, casu quo existeret cum peccato, talem denominationem non communicaret, ità, & si visio esset sanctitas, & summa felicitas, hominem nec redderet sanctum, nec summè felicem, dum vsque intelligeretur carentia peccati, & summè felicitatis ingrediens talem denominationem. Ratio à priori est: quia sicut effectus *Sancti* non est effectus primarius inseparabilis gratiæ, ità nec idem effectus, summèque felicis est effectus primarius, & indispensabilis visionis: potest ergo simul divinitùs coexistere cum peccato habituali.

SECTIO UNICA.

ARGVMENTIS RESPONdetur.

7. OBijcies primò fundamentum Patris Vazquez: positâ visione, & si ad illam, nec sequatur gratia, nec amor; amor, & gratia debentur videnti, & per Deum stat, quod careat illis: ergo carentia illa gratiæ, & dilectionis, quæ est forma sanctificans, non est carentia gratiæ debitæ. Eo enim ipso, quod ex parte hominis detur illud ius, & determinatio in actu primo vi visionis ad habendam gratiam, quam Deus negat, iam in homine non datur debitum carendi gratiâ: ergo neque carentia gratiæ debitæ: ergo neque peccatum habituale in carentia gratiæ debitę consistens.

8. Totum argumentum falsis nititur suppositis. Primò: quod peccatum habituale consistat in carentia gratiæ debitæ. Secundò: quod dilectio divina sit forma sanctificans. Tertiò: quod gratia debeatur visio-

visioni, cum potius visio debeatur gratiæ, quam ante se supponit. Sed hoc toto admisso, respondetur: cōcedo antecedens, & nego cōsequentiam. In casu conclusionis dummodo peccatum maneat, manere in homine idem debitum carendi gratia consistens in ipso peccato nō ablato, & eâdem carentiâ gratiæ debitæ, cum permaneat carentia gratiæ, quam debuit homo per peccatum non expellere; seu ad quam debuit non ponere impedimentum peccati. Item maneret eadem privatio gratiæ potiori titulo, vt optimè notat Arriag. Ex hoc enim antecedenti: *in illo homine datur visio, cui debetur gratia, ipsa tamen non datur*, non deducitur hæc consequentia: *Ergo in illo homine privatio transit in negationem gratiæ*: Sed æquiori titulo hæc: *Ergo in illo homine carentia gratiæ novo titulo est privatio ipsius*: Nàm privatio, est carentia formæ debitæ; sed positâ visione, novo titulo debetur gratia: ergo positâ visione carentia illa novo titulo est gratiæ privatio. Ratio est, quia ratione visionis non redditur homo incapax gratiæ, sed potius redditur magis capax: ergo ratione visionis non transit à privatione in negationem: ergo, etiamsi peccatum consisteret in privatione gratiæ, formęvè sanctificantis, positâ visione, cui debetur gratia, vel dilectio, poterit manere peccatum, cum possit manere privatio gratię.

9. Replicabis: tunc non maneret privatio gratiæ in esse voluntariæ homini visione gaudenti: ergo neque in esse peccaminosæ

10. Respondetur: nego antecedens, nam licèt poneretur visio, & huic deberetur remissio peccati, vel gratia, hac, nec illâ positâ, maneret privatio gratiæ, eo modo, quo ab homine posita fuit, ac proindè in esse voluntariæ.

11. Obijcies secundò implicat, hominem in eodem instanti reali esse peccatorem, & sanctum; sed ità esset, si in eo coexisterent peccatum, & visio: ergo. Probatur minor: à peccato redderetur peccator; à visione redderetur Sanctus, cum visio sit sanctitas: ergo.

12. In probatione satisfactum fuit huic difficultati. Effectus *Sancti* est complexæ significationis (idem dic de effectibus *Beati*, *&* *summè felicis*) ex positivo, nempè visione, & negativo, carentia scilicèt peccati, & summæ infelicitatis. Cum ergo in casu quæstionis visio impediretur quoad suum effectum secundarium, nempè exclusionem peccati, ac proindè non daretur carentia ipsius, seu prædicatum negativum complens denominationem *Sancti*, hæc deficeret. Esset itaque talis homo *peccator* à peccato, *&* *habens visionem*, *seu videns Deum* à visione; qui effectus nullatenus opponuntur. Eodem modo discurrimus casu, quo concurrerent gratia, & peccatum.

13. Obijcies tertiò ex Gonet. num. 85. impossibile est, quod homo

mo habeat simul duos vltimos fines simpliciter, etiamsi vnum habeat actualiter, & aliud habitualiter; sed videns Deum habet ipsum Deum pro fine simpliciter, cum visio sit adoptio Dei vt vltimi finis simpliciter, & qui est in peccato in creaturam, vt in vltimum finem est habitualiter conversus: ergo.

14. Argumentum fortius militat in concursum peccati actualis cum visione, & potest militare contra concursum dilectionis Dei super omnia cum peccato habituali, & gratiæ cum peccato. Pro omnibus respõdetur: distinguo majoré: si fines sunt adęquati respectu ejusdem actionis, & eodé modo, trãseat: si aliter se habeant, nego. Dico *trãseat*: quia respectu alicujus actionis externæ, quæ non specificatur à fine, potest dari duplex finis adęquatus, eumque habere homo in deambulatione v. g. facta ob sanitatem, & oblectamentum, aliter respectu ejusdem actûs interni, qui intrinsecè specificatur à fine, & tunc finis convertitur cum motivo: habere ergo pro fine visionis Deum actu, & esse habitualiter conversum in creaturam per peccatum præteritum, vel actualiter per peccatum præsens pro priori præcedens, cum sit respectu diversorum actuum, & diversissimo modo, nec vmbram contradictionis habet. Et si esse habitualiter aversum à Deo per peccatum habituale, & actualiter conversum ad Deum per amorem non repugnat, vt anno elapso defendimus, quantò minùs repugnabit, esse habitualiter conversum ad creaturam, vt ad vltimum finem per peccatum, & videre intuitivè Deum per visionem?

15. Obijcies quartò ex eodem num. 86. argumentum commune contra coexistentiam peccati cum qualibet alia forma ipsi naturaliter resistenti. Quæ Deus miraculosè, & de potentia absoluta operatur, illi vt speciali authori, & conservatori tribuuntur; sed cum coniungit duo, vno ex eis saltem resistenti naturaliter, ac proindè non annuens exigentiæ ipsius, Deus miraculosè, & de potentia absoluta operatur: ergo Deo debet tribui, vt speciali authori, & conservatori. Tunc sic; sed, tàm peccatum habituale, quàm visio beatifica renuunt naturaliter coniungi: ergo ea coniungendo Deus operaretur vt author, & conservator specialis, & consequenter Deo tribueretur peccati cõservatio.

16. Respondetur: concedo totum vsque ad vltimam consequentiam, quam distinguo: ergo ea coniúgendo operaretur vt author, & conservator specialis peccati, nego: visionis infusæ, concedo, ac proindè, licèt se haberet vt author specialis coexistentiæ ea parte, qua coexistentia dicit visionem, non tamen ex parte peccati, respectu cujus non alio modo se haberet Deus in concursu visionis, ac antea; sed eandem remissionem, quam antea non ponebat, nulla creaturâ illam exigente, postea non poneret visione

sione illam exigenti, violentiam inferens ipsi visioni, & se habens vt author, & conservator specialis visionis, quod non faceret ex complacentia peccati, sed ob exercitium suæ Omnipotentiæ, aut ob alios honestissimos fines. Ni velis dicere, adhuc ex parte voluntatis erga peccatum in casu concursûs intelligi aliquid supernaturale à Deo collatum, non tamen determinans, nec connexum determinatè cũ peccato, sed concursus indifferens inclusus in libertate ad peccandum, & non peccandum, cujus esset Deus causa specialis, non tamen peccati; hoc tamen est, si loquamur de peccato actuali. Si loquamur de habituali, Deus diceretur causa specialis habitualitatis ipsius, eo quod illud non remittat, quam non remissionem specialiter amaret, in quo nullum est inconveniens. De hoc latè in tractat de gratia pro concursu ipsius cum peccato; hìc satis. Reliqua argumenta quæstione antecedenti soluta manent, cum & hæc, & illa vtrique communia in omnibus ferè sint.

QVÆSTIO XV.

VTRVM VISIO INTVITIva Dei sit forma santificans.

1. PRima sententia negat. Ità Medin. Martinez. Lorca. Ægid. Gasp. Hurt. & Alij apud Ovied. controv. 4. punct. 6. num. 70. apud quem citatum video Ex. Doct. disp. 10. de beat. sect. 1. num. 23. in quo nec verbum quidem de hoc Ex. D. sed ibi solùm tenet: posse divinitùs compati visionem cum peccato habituali; ex quo non sequitur non esse formam sanctificantem, cum idem judicet de gratia, de qua dubitare nequit, esse formam sanctificantem. Immò cum per totam sectionem teneat Ex. D, Beatum per visionem, & ex vi visionis reddi intrinsecè impeccabilem, potius in contrariam sententiam inclinare videtur. His tamen adde Tanner disp. 1. dub. 3. num. 25. in hanc etiam sententiam inclinat Arriaga disp. 51. sect. 5. num. 27.

2. Secunda affirmat, esse formam sanctificantem. Ità Turrian. opuscul. 6. disp. 9. dub. 4. Granad. tract. 3. disp. 1. sect. 2. Mentem Acutissimi Doct. dubiam judico. Ovied. iam citat. num. 72. Gib. disp. 6. dub. vlt. num. 19.

3. Dico: *visio beatifica de facto existens est forma sanctificans.* Hæc conclusio ex defensatis probabilior vi-

videtur. Probatur primò: visioni beatificæ competit totum id, quod forma sanctificans secum affert, & sibi postulat: ergo. Probatur antecedens: forma sanctificans secum affert esse participationem divinæ naturæ, quæ consistit per me tract. de gratia habituali quæst.3. in prædicato positivo *habilitatis, seu promptitudinis ad omnia opera honesta,* & in prædicato negativo, impotentiæ scilicèt ad opera prava; sed visioni beatificæ competit esse habilitatem, & promptitudinem ad omnia opera honesta, & impotentiam ad opera prava: ergo. Probatur minor: visioni debentur omnes habitus, & dona supernaturalia, quæ ad statum perfectum beatitudinis pertinent. Item: peccato tàm actuali, quàm habituali pugnat, & resistit, exigitque, vt ejus intuitu Deus illud remittat: ergo, & est habilitas, seù aptitudo ad opera honesta, & impotentia ad prava. Quæ quidem resistentia ad peccatum clarè colligitur ex authoritatibus, quibus Sancti Patres, & Concilia elevant, & exaltant beatitudinem, seu potius visionem claram, & intuitivam Dei.

4. Probatur secundò à paritate gratiæ habitualis: hæc enim est forma sanctificans, quia confert jus ad hæreditatem, & constituit filium adoptivum Dei: ergo perfectiori modo erit forma sanctificans visio, quæ est ipsa hæreditas, & consequenter perfectior adoptio, cum sit ipsa juris adoptionis exequutio. Item: gratia reddit hominem formaliter sanctum, quia constituit illum objectum congruum, & dignum amore amicabili divino; sed præstantiori modo id facit visio, quæ est maxima intimitas, & familiaritas inter creaturam, & Deum, cum sit intima perpetua, & frequentissima secretorum communicatio: nihil ergo deest visioni, quominus perfectè sanctificet.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS IN CONtrarium fit satis.

5. OBijcies primò: visio non est radix virtutum supernaturalium, sed potiùs illas supponit: ergo non est forma sanctificans. Probatur antecedens: Charitas non datur intuitu visionis, sed potiùs visio intuitu Charitatis: ergo.

6. Respondetur: nego antecedens: nàm licèt visio supponat Charitatem, & alia huiusmodi dona, taliter ea supponit, vt si fortè non supponerentur, illa induceret visio: vndè est radix in actu primo omnium, quod sufficit ad rationem sanctitatis, sic gratia in adultorum justificatione supponit habitum Fidei, nec inducit illum in actu secundo, & quià est radix in actu primo dicitur forma sanctificans.

7. Obijcies secundò: per me actus contritionis perfectæ, & dilectionis Dei super omnia non est for-

ma sanctificans : ergo neque visio beatifica. Vrgetur primò : qui diligit Deum perfectiori modo vnitur ipsi, & cum eo communicat, quàm, qui eum videt; sed hoc non obstãte, amor non est sanctitas: ergo. Vrgetur secundò : plùs movet amor creaturæ Deum ad amicabilem amorem, quàm visio, quià amor amore rependitur; sed nihilominus amor non sanctificat : ergo. Vrgetur tertiò ex P. Tannero : licèt visio sit summa perfectio hominis in genere physico, non tamẽ in genere moris, in quô perfectior est actus Charitatis; hic tamen non justificat : ergo multò minùs justificabit visio : nàm vis iustificandi oritur ex genere moris.

8. Respondetur : nego consequentiã, & paritatem. Ratio disparitatis est multiplex. Prima, & fundamentalis: quia Concilium Tridentinum vocat contritionem dispositionem ad justificationem; ex quo deducitur, non esse formam justificantem, cùm nequeat esse dispositio ad effectum ipsum, quem causat; de visione verò probatum suppono, justificare non dispositivè tantùm, sed formaliter. Secunda: dilectio Dei super omnia, quæ est conversio actualis ad Deum, licèt non sit compatibilis cum peccato actuali, tamen cum habituali compatibilis est, vndè non opponitur omni peccato, & ideò non participat conceptum formæ sanctificantis; at verò visio intuitiva Dei ratione propriæ excellentiæ, & perfectionis tàm cum actuali, quàm cum habituali maculâ opponitur. Tertia: status sanctitatis, & justitiæ est status firmus, & habitualiter perseverans, ac proindè debet provenire ab aliqua forma habitualiter perseverante, qualis est, per nos, visio beatifica, non verò dilectio, quæ est naturâ suâ transiens. Quarta: quia hominem esse justum, dicit esse promptum, & expeditum, ad omnes virtutes; non enim facilè concipitur, quomodo ex vi vnius actûs, qui pertransit, hanc promptitudinem habeat homo, quam facilè concipimus, habere ex vi visionis, cui omnes perfectiones ad statum perfectum beatitudinis debentur.

9. Dices: ergo saltem amor beatificus erit forma sanctificans, cum sit permanens, & stabilis.

10. Respondetur : nego consequentiã: deficiunt enim illi reliqua requisita formæ sanctificantis. Et cum amor viæ, & Patriæ sint ejusdem rationis (nàm objectum, & motivum est idem) voluntas, & habitus Charitatis, à quo proveniunt, vt â principio, est etiam idem. Quod autem amor viæ proveniat à lumine Fidei, amor verò Patriæ à visione intuitiva, non immutat actus, sed ad summum intensiores faciet, si amor viæ non est forma sanctificans, nec opponitur naturâ suâ omni peccato, nec amor Patriæ ità debet esse.

11. Ad primam vrgentiam respondetur, quod licèt per amorem perfectiùs affectivè vniatur homo cum Deo, non tamen perfectiùs in

jure, & fundaméto amicitiæ, in quo stat sanctitas, & pulchritudo animæ. Et sicut in humanis amicitia duorum non consistit in actuali conjunctione vnius cum alio per actualem affectum, sed in habituali familiaritate bonorum, & secretorum communicatione, sic amicitia Dei cum homine: quæ quidem familiaritas, & communicatio non habetur per amorem, habetur tamen per visionem, quę est possessio, apprehensio, & tentio ipsius Dei. Hinc manet solutio secundæ vrgentiæ, cujus majorem nego. Neque enim amor ex parte creaturæ movet amorem amicabilem ex parte Dei, licèt moveret amorem, quo Deus illi amanti plura bona conferret. Ratio est: quia non quicumque amor mutuus est amicitia, sed ad amicitiam requiritur, quod ex parte creaturæ amatæ supponatur vt actus primus bonitas, & dignitas amoris, qualis est gratia habitualis, & deindè visio beatifica, non verò amor, aliævè virtutes, quæ certè movere possunt Deum, vt sibi complaceat in illis, conferatque aliqua bona, ac proindè amet hominem eis virtutibus ornatum, quin talis amor sit amicabilis.

12. Ad tertiam vrgentiam falsò supponit Tannerus, vim justificādi oriri ex genere moris. Tùm quia juxta ipsum, actus dilectionis est de genere moris, & non justificat: tùm quia gratia habitualis justificat, & non est de genere moris, cum non sit actus liber voluntatis: si tamen dicat, gratiam esse de genere moris, quia, & si non sit actus liber, reddit hominem sanctum, id etiam habet visio, vndè erit de genere moris, & si non sit actus liber meritorius, aut retractativus peccati, sed hoc nullatenus requiritur ad rationem formæ sanctificantis, sed quod sicut gratia, quin sit formalis retractatio peccati, est talis perfectionis physicæ, vt reddat hominem sanctum, ità & visio.

13. Obijcies tertiò: visio non rectificat omnes potentias, cum solùm recipiatur in intellectu; sed forma sanctificans debet rectificare præcipuè voluntatem: ergo non est forma sanctificans.

14. Hoc videtur esse fundamentum Patris Suar. si aliquid fortè insinuat in contrarium. Et certè, sicut juxta ipsum Ex. D. licèt recipiatur visio in intellectu, & non in voluntate, non permittit in voluntate peccatum in sensu composito sui, cur, & si recipiatur in intellectu tantùm, non rectificabit voluntatem, reliquasque potentias, ità vt per ipsam dicatur anima sancta? Cum & opponatur omni maculæ, & exigat pro omnibus potentijs eas perfectiones, & habitus, vt rectè operentur, præcipuè in meis principijs identificantibus realiter potentias inter se.

15. Obijcies quartò: visio communicata per modum transeuntis v. g. Moysi, & D. Paulo, in probabili Theologorum sententia, est ejusdem speciei, & naturæ cum vi-

sione permanente; sed visio transiens, sicut à D. Paulo in raptu non expulit habitum Fidei, cui immediatiùs opponitur, ità neque peccatum habituale, si quod in illo inveniret: ergo neque visio permanens expellit peccatum, & consequenter non est forma sanctificans.

16. Confirmatur: vna ex rationibus, quibus excludimus amorem Dei super omnia â ratione formæ sanctificantis, est defectus permanentiæ; sed ità se haberet, & habuit visio concessa Moysi: ergo.

17. Pater Torres, Joann à Santo Thoma, Gibon num. 24. & alij iudicant, talem visionem transeuntem, sicut ex defectu permanentiæ cadit à ratione beatitudinis, & summæ felicitatis, ità cadere à ratione formæ sanctificantis: vndè esset eiusdem rationis cum visione Patriæ in esse visionis, non tamen in esse beatitudinis, & cõsequenter nec in esse formæ sanctificantis P. Ovied. è contra num. 75. tenet visionem intuitivã Dei, & si detur ad tẽpus, sanctificare: hoc enim habet non solùm visio, quâ beatitudo in actu secundo, sed etiam quâ visio intuitiva Dei, quià semper est beatitudo in actu primo, & per consequens exigit ab intrinseco reliquos habitus supernaturales, & illi debentur omnia alia, quæ pertinent ad statum beatitudinis, licèt fortè ea denegentur, sicut denegatur illi perpetuitas, qua etiam eget pro conferendo effectu formali *Beati*, qui tùnc suspenderetur ex defectu perpetuitatis; conferret verò effectum formalem *videntis intuitivè Deum*: & consequenter effectum *Sancti*, in quô perpetuitas non includitur essentialiter. Nàm effectus *Sancti* est physicus, & physicam informationẽ exigés; sed si ve visio sit perpetua, sive temporanea, eadem est informatio, & idem concretum physicum: ergo & idem effectus *Sancti*, sicut, dummodo vniatur gratia animæ illam *Sanctam* denominat, licèt fortè ei denegarentur habitus supernaturales, veluti proprietates debitę, & subsequutę: vndè, si fortè illa visio communicata Moysi inveniret in eo peccatum habituale, illud expelleret. Hoc probabilius iudico.

18. Obijcies quintò: possibilis est aliqua visio intuitiva, quæ expellat omne peccatum, & sanctificet animam, possibilis est etiam alia, quæ hac perfectione sanctificandi non gaudeat, cum nec in vna, nec in alia vlla repugnantia reperiatur, sed probabilius est, hanc visionem de facto existentem esse ex his, quæ tali perfectione carent: ergo. Probatur minor: quià cum Deus dederit in hoc ordine rerum distinctam qualitatem, quæ perfectè sanctificet, qualis est gratia habitualis, non debemus sine fundamento dicere, dari aliam formam sanctificantem, quæ sit visio.

19. Hoc est fundamentum, quâ Arriaga num. 27. in contrariam opinionem inclinat. Argumentum impugnat omnem formam sanctificantem in hoc ordine rerum

præ-

præter gratiam habitualem, v. g. vnionem hypostaticam, Personalitatem Verbi, lumen gloriæ, dilectionē Dei super omnia &c. Respondetur tamen, quod sicut non est possibilis visio intuitiva alicuius perfectionis divinæ, quæ adimpleat conceptum intuitionis prædicati divini, quin beatificet formaliter, vt communis tenet opinio, quam amplectitur Arriaga ipse, nàm eo ipso, quod sit intuitio prędicati divini est possessio summi boni, & consequenter beatitudo: ità non est possibilis intuitio, & possessio summi boni, quæ non expellat peccatum, eique debeantur omnes habitus ad opera honesta, & consequenter sit forma sanctificans. Vndè, si ità non esset, sequeretur repugnantia aliqua: esset enim, & non esset intuitio Dei; esset vt supponitur: non esset, quià non esset possessio summi boni, cuius est sanctificare formaliter: quò cessat argumentum. Sed admissâ possibilitate visionis, quæ non gauderet eâ perfectione formæ sanctificantis, non sequitur, hanc visionem de facto existentem talis esse naturæ. Tùm ob authoritates expressè cōferentes ei oppositionem cum peccato. Tùm quià, & si gratia habitualis sit qualitas, quam Deus confert particulariter, & vniversaliter pro sanctificando homine tùm in Patria, tùm in via pro beatis, & non beatis, non sequitur ex eo, non dari alias formas particulariter, & cōtractè sanctificātes qualiter se habent erga Humanitatem Christi Personalitas, & vnio hypostatica, & qualiter se habet visio intuitiva Dei erga Beatos tantùm.

20. Obijcies sextò: visio beata supponit gratiam, quæ certè expelleret peccatum, & cui essent debiti habitus supernaturales: non est ergo ratio, cur dicamus, visioni competere & expulsionē peccati, & debitum habituum supernaturalium.

21. Retorqueo: ergo secunda gratia, cum nō expellat peccatum expulsum per primam, & habitus iam supponantur debiti primæ gratiæ, non erit forma sanctificans. Non nè dices, quod, licèt talis gratia de facto non expellat peccatum, illius tamen habeat virtutem expulsivam; & licèt habitus debiti sint primæ gratiæ, viterius etiam debentur secundæ, taliter vt si illos non inveniret communicatos, illos naturaliter induceret? Ità certè. Idem ergo dic in visione: quod licèt supponat gratiam, ac proindè peccatum iam expulsum per eam, gaudet virtute expulsiva, peccatumque excluderet, si poneretur ablata gratia, vt poni potest. Item: ei novo titulo debentur habitus, eosque induceret, si inductos per gratiam, non supponeret.

22. Obijcies septimò: si visio esset forma sanctificans, hominem sanctificaret vltra sanctitatem gratiæ habitualis ità, vt homo habens gratiam vt duo, & visionem vt duo illi correspondentem esset sanctus vt quatuor; sed hoc ità non est: possessio namque solùm complet,

non extendit jus : ergo. Sequela probatur: nàm ille homo haberet quatuor gradus sanctitatis : ergo esset sanctus vt quatuor.

23. Respondetur : nego maiorem. Ad probationem distinguo antecedens : ità vt duo gradus se habeant per modum juris ad hæreditatem, & alij per modum hæreditatis, concedo : ità vt quatuor se habeant per modum juris, nego. Cum enim gratia se habeat per modum juris ad hæreditatem, & visio per modum hæreditatis, possessionis, & exequutionis talis juris, & possessio sit possessio juris ad rem possessam, vnum formaliter ex vtroque constituitur: ac proindè, suppositâ gratiâ, dum visio advenit, physicè, & materialiter, non verò formaliter, & Theologicè sanctitas augetur. Nec subjectum in casu argumenti, evaderet sanctum vt quatuor, sed tantùm vt duo, perfectivè tamen, & completivè. Eodem modo discurrunt Torres, Vazquez, & Alarcon de actu dilectionis Dei super omnia, quem asserunt esse formam sanctificantem, non tamen addere novam sanctitatem supra habitum gratiæ, quem supponit. ¿Rogas tamen, quid dicendum, si visio intendatur supra gradus gratiæ; hi v. g. sint vt duo, & visio vt tres? Dico : tùnc illum gradum, in quo visio excedit gratiam, & in quô non debetur gratiæ præexistenti, nec correspondet illi, auctorum etiam sanctitatis gradum, cum juxta illum gradum non faciat vnum quid cum gratia præexistenti, ac proindè etiam Theologicè auget dignitatem.

24. Objicies octavò : ergo lumen gloriæ etiam esset forma sanctificans. Probatur consequentia: lumini gloriæ debetur visio : ergo ratione huius debentur quoque lumini & habitus supernaturales, & expulsio peccati, & consequenter participat conceptum formæ sanctificantis.

25. Pro affirmativa sententia citat Gibon num. 20. Oviedum; falsò tamen, cum Oviedus contrarium expressè teneat num. 77. quocum nego consequentiam. Ratio disparitatis est : quia absque vllo fundamento conceditur lumini virtus expulsiva peccati. Quapropter, ipso permanente, negato concursu ad visionem, cum peccato coexisteret. Item, nec lumini debentur habitus vt proprietates ipsius, sed solùm mediatè vt causæ physicè inadæquatè producenti visionem, cui vnicè debentur. Vndè ad summum diceretur lumen mediatè forma sanctificans, vel potius causa formæ sanctificantis : ad modum, quo diceretur visio ipsa inducens necessariò amorem forma sanctificans, si fortè aliquis defenderet, amorem esse formam sanctificantem, non verò visionem.

QVÆS-

QUÆSTIO XVI.

AN VISIO POSSIT DIVInitùs demeritoriè, seù per peccatum amitti?

1. SVppono primò: visionem esse naturaliter inamissibilem per peccatum. Ratio est, quià cum semel existens exigat in perpetuum conservari, exigit quoque, nè Deus conferat concursum indifferentem ad peccatum, vi cuius, ratione oppositionis cum eo præcisè esset expellenda, vndè redditur naturaliter impossibile peccatum expulsivum ipsius, ipsaque naturaliter inamissibilis per peccatum. Hocque supposito, inquirimus: an etiam reddatur divinitùs, seù essentialiter inamissibilis, taliter, vt sicut diximus, repugnare peccatum in sensu composito illius, repugnet etiam in sensu diviso? Et in hoc stat quæstionis difficultas. Nàm si non supponatur naturaliter inamissibilis, & incorruptibilis visio, eodem modo se haberet, ac gratia habitualis, quæ etiam si supponatur essentialitèr incompossibilis cum peccato, quià non est naturaliter incorruptibilis, naturaliter per peccatum amittitur, & expellitur.

2. Suppono secundò: quęstionem non loqui de visione, vt est beatitudo, sed secundum conceptum visionis, nàm vt beatitudo, est essentialiter incorruptibilis, cum involvat essentialiter perpetuitatem, & quę erat merè naturalis visioni vt tali, ipsi vt beatitudini sit essentialis: vndè vt beatitudo, certum est, per peccatū nec divinitùs expelli posse.

3. Suppono tertiò: aliud esse vnam rem repugnare coexistere cum alia; aliud verò repugnare etiam cum potentia ad illam; possunt enim repugnare res inter se, non verò res, & potentiæ. Sit exemplum: odium, & amor respectu eiusdem objecti repugnant simul; potest tamen coexistere odium cum potentia ad amorem, & è contra. Vndè & si visio repugnet coexistere cum peccato posteriori se, vt iam defendimus, potest tamen non repungnare cum potentia proxima ad peccatum. Et hoc est, quod in præsenti inquirimus: an simul possint coexistere visio beatifica, & potentia proxima ad peccandum peccato expulsivo visionis, non verò peccato coexistenti cum ipsa? His suppositis,

4. Prima sententia tenet: visionem, nec divinitùs posse amitti, expellivè per peccatum. Ità Ex D. disp. 10. sect. 1. num. 18. Ovied. contr. 3. p. 4. num. 46. Lasius, Comp. disp. 84. de Beat. sect. 6.

5. secunda sententia affirmat. Ità ex his, quos viderim, expresè Arriaga hìc disp. 53. sect. 4. favent Hurt. & omnes illi, qui tenent, vnionem hypostaticam essétialiter incompatibilem cū peccato posse divinitùs per peccatū expelli, cū valeat doctrina, paritas, & argumentum à majori ad minùs.

SEC-

SECTIO I.

NOSTRA SENTENTIA *proponitur, & probatur.*

6. Dico primò: *divinitùs amitti potest visio beatifica per peccatum, seu demeritoriè.* Probatur primò vniversali probatione in similibus quæstionibus de potentia absoluta. Id, in quo, re benè perpensa, nulla apparet contradictio physica in ipsis rebus, aut indecentia moralis ex parte Dei, concedendum est, fieri posse, divina intercedente virtute; sed supposita naturali incorruptibilitate visionis, in eo, quod per peccatum demeritoriè amitteretur visio nulla apparet contradictio physica in ipsis rebus, nec moralis indecentia ex parte Dei: ergo. Major est certa. Minor vltra quàm ex solutione argumentorum constabit, probatur, exponendo casum quæstionis: juxta ipsos, adversarios visio non est essentialiter incorruptibilis, sed potest Deus titulo sui supremi dominij eam, nulla expectata conditione, destruere; ergo & expectata conditione demeritoria, omissione nempè alicujus operis præcepti: quid enim prohibet, quod Deus habeat hoc decretum. *Et si possem, nullà expectatà conditione, visionem tibi auferre, nollo tamen, nisi expectando tuam liberam determinationem: si peccaveris in instanti A. eam non conservabo, si non peccaveris, conservabo. Vt verò possit tua voluntas habere principia sufficientia ad liberè operandum, dabo tibi in tali instanti prius natura, quàm quidquam circa visionis conservationem determinem, cognitionem aliam indiferentem de bonitate, & malitia, quæ cum possit peccatum, & ejus carentia conjungi.* Quo decreto posito, ponamus v. g. Petrum (quo cum pactum est) non peccare, statim pro posteriori continuabitur, & existet visio coexistens cum potentia proxima, & expedita peccandi. Ponamus verò, peccare; statim destruetur, & desinet existere visio; hoc esset ratione peccati, & ex vi demeriti: ergo visio potest expelli per peccatum, & amitti demeritoriè.

7. Quod autem tale decretum divinum non repugnet, probatur: eatenus repugnaret, quatenus visio præexistens, & præoccupans intellectum Beati tolleret libertatem ad non amandum, cum necessitaret ad amorem, nec daret locum principijs indifferentibus, cognitioni nempè retrahenti ab amore, & allicienti ad peccatum: vndè diximus, in sensu composito visionis impossibile esse peccatum subsequens; sed licèt visio existat, & præoccupet intellectum in instanti A. v. g. ac proindè in illo nec libertatem, nec principia indifferentia, nec peccatum adhuc pro posteriori admittat, pro priori in instanti B. ad quod pactum de conservanda,

dā, vel non conservandâ visione terminatur, nec existit visio, neque carentia ipsius, sed præcisivè se habent: ergo neque præoccupat intellectum, neque tollit libertatem, neque impedit principia indifferentia, quibus possit voluntas liberè se determinare ad quamcumque contradictionis, vel contrarietatis partem. Pro illo enim priori instanti *B.* ità se habet visio, ac si non extitisset in instanti *A.* imò, ac si nunquam extitisset; sed si non extitisset in instanti *A.* nec impediret principia indifferentia, nec in minimo obstaret libertat: ergo, etiamsi in illo extitisset, ea non impedit, nec obstat libertati, quæ, si exerceatur non peccando, continuatur, & conservatur visio, si verò exerceatur, per peccatum expellitur, & deperditur.

8. Statim mētem bellicat scrupulus hic. Si visio non extiterit in instanti *A.* in instanti sequenti *B.* nec conservaretur per non peccatum, nec expelleretur per peccatum; conservatio enim, vel expulsio supponit existentiam rei: ergo pro illo priori visio non se habet, ac si numquam extitisset, & consequenter pro illo prçoccupat, impedit, & evertit libertatem requisitam ad peccatum.

9. Licèt scrupulus sit communis pro continuatione, & expulsione gratiæ per peccatum, amoris per odium, & cujusque actûs liberi per suum contrarium, ex solutione præsentis dubij, vt plurimum, intelligentia dependet. Itaque ad hoc vt res in posteriori naturæ expellatur, vel continuetur, non requiritur, quod in priori naturæ existat. Imò repugnat, quod existat in priori, & expellatur, aut continuetur liberè in posteriori: si enim existeret in priori, & expelleretur in posteriori, existeret, & non existeret in eodem instanti reali, eo quod, cum instans sit realiter indivisibile, id quod existit in priori ejus signo, necessariò existit in posteriori. Vndè visio existens in instanti *A.* pro priori instanti *B.* nec est expulsa, nec durans, sed præscindit ab vtroque, quia in illo priori solùm concipiuntur, quæ se tenent ex parte causæ ad operandum; sed ex parte voluntatis, vt peccet, vel non peccet, non requiritur vt comprincipium, aut conditio, visio, vel ejus carentia, aut expulsio; quia nec visio, nec ejus carentia est causa peccati: ergo nec visio, nec ejus expulsio concipiuntur in illo priori. Si autem in illo instanti *B.* fuerit peccatum, visio non erit, sed quia fuit in instanti *A.* antecedenti dicitur expulsa, seu expelli; si verò non sit peccatum, visio existet in tali instanti *B.* & quia aliàs extiterat in instanti antecedenti *A.* dicitur continuata, seu continuari, quas denominationes non haberet, si in illo instanti *A.* non extitisset, sed per peccatum diceretur *impedita*, & per non peccatum *introducta*. Vndè licèt in ordine ad denominationem *expulsæ*, vel *continuatæ* non se habeat

beat de materiali, quod extiterit in instãti antecedẽti *A.* in ordine tamẽ ad præoccupandum, impediendũ, vel existẽdum pro priori instantis *B.* de materiali se habet, & eodem modo se gerit, ac si nunquam extitisset.

10. Dico secundò, & deducitur ex prima conclusione, potestque esse secunda probatio illius: *visio beatifica potest coexistere cum potentia proxima ad peccandum peccato expulsivo ipsius visionis.* Dico, hanc conclusionem necessariò inferri ex priori, quia si homo in casu conclusionis se liberè determinet ad non peccandum in instanti *B.* ibi pro posteriori existet positivè visio, & cum pro priori existeret potentia proxima ad peccandum, vtraque absque dubio in eo instanti reali *B.* coexistet. Hoc enim non repugnare, probatur: non repugnat titulo meriti, & prẽmij talis coexistentias sic in plurium sententia, quam amplectitur Ex. D. Angeli, & B. Virgo in primo instanti reali suæ existentiæ se meritoriè disposuerunt ad gratiam sanctificantem datam vt præmium in eodem primo instanti reali pro posteriori naturæ ad meritum, coexistentibus simul merito, & præmio; neque titulo oppositionis secundùm se; quia visio beatifica, & talis potentia proxima secundùm se non opponuntur essentialiter, licèt visio, & peccatum opponantur. Primò: non repugnat quod in eodem instanti, quo Petrus liberè se determinat ad observandum aliquod præceptum, Deus pro posteriori conferat illi visionem in præmium talis observantiæ, idque Arriaga tom. 2. disp. 20. num. 52. defendit in Angelis: potuisse scilicèt in eodem instanti, quo meruerunt, esse Beatos; sed in hoc casu coexisteret visio cum potentia proxima ad non observantiam, quę est peccatum, patet: concurreret enim cum potentia liberè observante: ergo cum potentia potente non observare; potentia potens non observare est potentia proxima ad peccandum: ergo cum ea concurreret. Secundò: non minùs, imò magis opponitur cum peccato vnio hypostatica, quàm visio beatifica; sed juxta plures ex adversarijs, quos sequitur Muniesa disp. 5. de Incarnat. sect. 2. vnio hypostatica potest coexistere cum potentia proxima ad peccandum, cum possit Humanitas, seu anima Christi mereri ipsam vnionem hypostaticam per opera liberè facta pro priori naturę independenter ab vnione, Deo videlicet decernente assumere humanitatem, si talia merita v. g. observationem præcepti obligantis in conscientia sub culpa præexerceret in eodem instanti reali: ergo.

11. Dices: Argumento hoc, & exemplis solùm probari, posse componi visionem cum potentia proxima ad peccandum peccato impeditivo ipsius visionis, seu impediente illam, nè coexistat cum peccato; non verò cum potentia proxima ad peccandum peccato expul-

sive, seu expellente ipsam visionem jam existentem.

12. Contra primò: ergo jam inter visionem, & potentiam proximam ad peccandum non datur vlla repugnantia essentialis in ordine ad coexistentiam. Contra secundò: formam præextitisse est quid extrinsecum respectu præsentis instantis, sicut & formam esse futuram; sed visionem esse futuram in instanti *C.* non obstat, quominus præcesserit homo potens peccare in instanti *B.* ergo quod talis visio præcesserit in instanti *A.* non obstabit, quominus sit potens peccare in simili instanti *B.* si pro illo priori instanti *B.* non existat: pro illo non existit, vt probatum manet, imò si fortè ponatur peccatum, nec pro posteriori existet, ac proindè nec pro toto instanti reali: ergo. Ex quo infero, quod potentia impeditiva, & expulsiva in illo priori eodem modo se habet, nàm vtraque in eo nec dicit visionem, nec carentiam positivam visionis, & solùm distinguntur penès aliquid extrinsecum respectu instantis *B.* in quo datur talis potentia, nempè, quod potentia impeditiva non supponat visionem extitisse in instanti *A.* antecedenti; eam verò extitisse, supponat potentia expulsiva.

13. Quod autem non repugnet titulo indecentiæ moralis ex parte Dei, nec expulsio visionis demeritoriè, nec potentia proxima expulsiva visionis per peccatum, probatur: eatenus ex hoc capite repugnaret hæc expulsio, & potentia expulsiva demeritoria, quatenus tale peccatum tribueretur Deo vt causę speciali ipsius; sed non tribueretur Deo: ergo. Probo minorem: licèt Deus in casu quæstionis tribueret concursum indifferentem voluntati Beati ad peccandum, vel non peccandum contra exigentiam naturalem visionis illi renuentis, relinqueret tamen hominem liberum, nec determinaret ad peccatum, ad ipsumque concurreret vt determinatus, & etiam vt prohibens illud, & in contrarium inclinans; sed quoties Deus ità se habet, non dicitur causa specialis, moralisvè effectûs sequuti: ergo.

SECTIO II.

ALIQVA ARGVMENTA solvuntur.

14. OBijcies primò potentior est visio ad resistendum peccato, quàm peccatum ad resistendum visioni: ergo licèt visio posit expellere peccatum, si fortè præexistat, non verò peccatum visionem prçexistentem.

15. Argumentum se implicare, judicat Arriaga, cum supponat pro pugna, & pro potentia visionis erga peccatum, vtrumque debere coexistere, sed non benè; ad pugnantiam enim duplicis formę inter se non requiritur coexistentia vtriusque: sic dicimus pugnare naturaliter gratiam cum peccato, &

essentialiter amorem cum odio, assensum cum dissensu, quin coexistant, imò, & ideò pugnare dicuntur, quia coexistere nequeunt, quo sensu, & in meis principijs defendentibus, posse coexistere peccatum prius cum visione posteriori; non verò è contra visionem priorem cum peccato posteriori; transeat antecedens, & nego consequentiam: in hoc enim etiã erit excessus ex parte visionis. Nàm visio habet virtutem naturalem expellendi peccatum, si fortè præexistat vtpotè forma sanctificãs; visio verò nequit naturaliter expelli per peccatum, nàm vtpotè naturaliter incorruptibilis antecessit pro priori naturaliter ad omnem operationem subjecti exigens, nè Deus conferat concursum indifferenté, principiaque indifferẽtia ad peccandum, & consequenter per peccatum, nec quovis alio modo corrumpi potest. Cum autem Deus possit vtendo suâ potentiâ absolutâ, & non annuendo exigentiæ visionis decernere illius destructionem, si peccaverit homo, vel illius conservationem, si non peccaverit; potest conferre talem indifferentem concursum pro priori instantis *B.* v. g. secundi ad instans *A.* in quo visio non antecedit operationem, imò eam expectat pro sui continuatione, si non sit peccaminosa visio conservabitur, si fuerit peccatum, desinet esse, & cum instanti antecedenti fuerit, dicitur per peccatum illud expelli.

16. Obijcies secundò: etiamsi Deus possit destruere visionem, nullâ expectatâ conditione ex parte creaturæ, vel saltem, quæ sit peccatum, nequit tamen expectatâ, & attentâ operatione peccaminosâ: nec valet argumentum: *potest Deus aliquid destruere absolutè: ergo potest illud destruere expectata operatione libera peccaminosa*: ergo visio nequit per peccatum expelli, neque conjungi cum potentia proxima ad peccandum. Antecedens probatur in vnione hypostatica, quæ, & si possit à Deo absolutè destrui, non per peccatum, & consequenter nequit expelli per peccatum, neque coexistere cum potentia proxima peccandi.

17. Pater Arriaga, cum pro certo teneat, posse destrui per peccatum quidquid absolutè potest à Deo destrui, consequenter id ipsum tenet in vnione hypostatica: posse scilicèt destrui per peccatum, & si repugnet essentialiter coexistere cum illo. Hurtadus sequitur Arriagam. Contrarium tamen judico de vnione cum Ex. D. & communi Theologorum, quaproter censeo, deductionem Arriagæ esse absolutè falsam, posseque dari aliquam sanctitatem destructibilem absolutè à Deo, non tamen per peccatum, & ejusmodi esse vnionem hypostaticam. Assigno ergo disparitatem inter ipsam, & visionem. Rationes, ergo, quibus vnio hypostatica amitti nequit per peccatum sunt, prima: quia statim ac Verbum vnitur Humani-

manitati, tenetur ejus voluntatem regere, non solùm ad hoc, vt non peccet in sensu composito vnionis, quæ est titulus inducens obligationem, sed etiam ad impediendum peccatum, quo extingueretur titulus semel habitus per expulsionem vnionis. Cõstat hoc pluribus exemplis. Pater tenetur vitare mortem physicam, qua filius peccaminosè extingueret, & amitteret filiationem, & conjunctionem cum Patre. Insuper vitare ilicitum matrimonium, quo extraheretur filius à Patria potestate. Prælatus tenetur impedire peccatum, quo Novitius subditus ab ejus cura, & regimine extrahendus esset, & debet præcavere reditum illius ad sæculum. Ità ergo Verbum vi vnionis tenetur vitare peccatum Humanitatis, quo expelleretur vnio cum ipsa, & titulus regendi illam: vndè nequit Deus præbere Humanitati concursum indifferentem ad peccandum, nec dari aliquid prius naturæ, in quo præscindatur à tali vnione, cum hæc nequeat vnquam ab operatione libera humanitatis in conservari dependere. Quo relucet evidens disparitas pro visione.

18. Secunda: cum posibilis sit aliqua sanctitas pugnans cum peccato non solùm in sensu composito, sed etiam in sensu diviso, impotens proindè non solùm coexistere, sed etiam expelli semel habita per peccatum, hujusmodi esse vnionem hypostaticam, probant Sanctorum authoritates, quas congerunt Suarez, & Uazq. vocantes Humanitatem vi vnionis essentialiter impeccabilem, ità tamen non appellaretur, si posset vnio per peccatum deperdi, sicut non appellatur homo ornatus gratiâ. Quæ authoritates non militant pro visione.

19. Tertia sit ipsa obligatio, vel necessitas, qua Deus tenetur suam ignominiam, aut dedecus, vel suæ dignitatis contemptum à se avertere, quâ certè ignominiâ notaretur, dedecusque contraheret Verbum, si semel vnitũ Humanitati per peccatum expelleretur vnio, nàm turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes. Sicut enim in humanis ex duplici capite potest oriri obligatio impediendi peccata alterius, si posis. Primò ex Charitate erga proximum, vel ex speciali conjunctione cum altero, etiamsi ex peccato proximi, vel alterius sibi specialiter conjuncti nulla infamia, aut ignominia redundet in eum. Secundò ex Charitate sui, qua scilicèt tenetur quis v. g. Petrus, impedire suam ignominiam, quæ nempè redundaret in eum ex peccato alterius, qui esset aliquod suæ familiæ membrum moraliter conjunctum. Ità in Verbo &c. quod non militat in visione, quapropter nec vlla paritas ab vnione ad ipsam.

20. Objicies tertiò argumentum commune in similibus quæstionibus: eorum, quæ homo naturaliter operari nequit, Deus dicitur causa specialis, si ea operetur: jam

enim hoc fieret, præbente Deo concursum aliàs indebitum, merè vt operaretur, & consequenter, vt peccaret, si operatio esset peccaminosa; cum sine tali concursu peccare non posset; sed hoc, vt per se patet, est esse causam specialem peccati: ergo si homo naturaliter nequit peccare peccato expellente, nec de potentia absoluta.

21. In probatione satisfactum est huic argumento, cum ibi constet modus, quo Deus se haberet erga peccatum, ex quo ad summum sequitur, futurum causam specialem physicam, non verò moralem, quatenus cõtra exigentiam, & jus naturale visionis conferret concursum indifferentem voluntati, vt pro libito suo peccaret, vel non peccaret, deterrendo ab illo, & inclinando ad hoc. Neque talem concursum præstaret merè, vt homo peccet, sed vt maneat indifferens ad merendam, vel demerendam continuationem visionis; & licèt sine tali concursu non posset Beatus peccare, ex eo non sequitur, quod illum præstet, vt peccet determinatè, sed vt possit peccare, & vt peccet, vel non peccet. Vt patet in concursu de facto nobis præstito. In quo nulla est indecẽtia erga Deum.

22. Objicies quartò & simul replicabis cum Compt. num. 8; ad peccatum nequit Deus concurrere, nisi causâ secundâ concursum exigente, cum ad illud concurrat veluti coactus, & necessitatus, juxta illud decantatum; *servire me fecistis* &c. ergo potiori titulo nequit ad illud concurrere, vbi causa secunda contrarium exigit expressè; sed visio contrarium exigit naturaliter: ergo, præexistente visione, nequit Deus præbere voluntati cõcursum indifferentem ad peccatum.

23. Confundit certè Compt. concursum in actu primo cum concursu in actu secundo. Certum est, Deum nõ cõcurrere in actu secundo ad peccatum, nisi exigente, & quasi necessitante, & cogente ad talem concursum causâ secundâ ex determinatione libera ipsius causæ secundę, & hoc denotat decantatum illud, *servire me fecistis* &c. hæc tamen necessitas, exigentia, & coactio non requiritur ad concursum in actu primo, seu ad hoc vt Deus præparet suam Omnipotentiam, vt eâ creatura pro suo libito vtatur, & determinet: hoc enim liberè, & nullâ creaturâ exigente, facit Deus. Immò, & potest facere contra exigentiam ipsius. Ità ergo se haberet in casu conclusionis. Visio præexistens exigeret, nè Deus præpararet suam Omnipotentiam indifferenter voluntati Beati: huic exigentiæ renueret, præparando illam cum indifferentia; ast ad vnam, vel ad aliam partem non determinaret Deus, sed determinata voluntas ad peccatum exigeret jam concursum in actu secundo ad illud, concurreretque Deus coactus, & determinatus à creatura in actu secundo. Ratio est: quia ex concursu in actu primo solùm sequitur, Deũ esse causã physicam

ſicam peccati, non verò moralem; aliter autem, ſi Deus in actu ſecundo determinaret. Vndè in caſu noſtro Deus præberet concurſum in actu primo nullâ exigente causâ ſecundâ, immò hac contrarium exigente; concurſum verò in actu ſecundo præberet, exigente, & determinante causâ ſecundâ.

24. Objicies quintò ex eodem ibi: ſi peccatum eſſet merè ab extrinſeco inducendum, ſanè in eo caſu non poſſet Deus peculiariter illud infundere, ſecundùm omnes, eo quod eſſet ſpecialis illius cauſa, & author, eo modo, ac nequit infundere errorem, quo pejus eſt peccatum; ſed ideò hoc eſſet, quia nulla eſſet cauſa ſecunda exigens concurſum ad tale peccatum infuſum: ergo cum nulla ſimiliter ſit exigens concurſum Dei ad peccatum, præcedente viſione, imò cum ſit aliqua reſiſtens, nec poterit Deus tale peccatum producere, cum diceretur cauſa ſpecialis, authorque illius.

25. Caſus propoſitionis majoris repugnat. Nàm cum peccatum dicat eſſentialiter libertatem, & hæc actionem à principio libero, hoc enim eſt, quod poſitis omnibus requiſitis, poteſt operari, vel non operari, illud ab extrinſeco infuſum, peccatum non eſſet reſpectu voluntatis, cui infunditur; nam licèt illam, in meis principijs, denominaret *volentem*, vel *nolentem*, nō tamen *peccantem* defectu libertatis; quapropter illud non eſſet malum morale, ſed purè phyſicum reſpectu voluntatis, cui infunditur, & eodem modo ſe habet reſpectu voluntatis, ac error reſpectu intellectûs, cui poſſe à Deo errorem infundi, non ſpecialis hodie ſententia tenet, imò jam inter Recentiores communior. Si autem hanc ſententiam tenes, eodem modo loquutus de errore, ac de illo peccato materiali, argumentum pro confirmatione habebis. Permiſsâ tamen majori, & minori ſyllogiſmi, nego conſequentiam, & paritatem. Quia licèt non daretur cauſa ſecunda exigens concurſum in actu primo, immò cauſa ſecunda ei reſiſteret, hoc concurſu ſpecialiter parato à Deo, jam daretur cauſa ſecunda, nempè voluntas creata ſe determinãs, & exigens cõcurſum in actu ſecundo ad peccatum: ex eo autem quod dicatur Deus cauſa ſpecialis libertatis, & indifferentiæ conſtitutæ per concurſum in actu primo, non ſequitur, debere dici cauſam ſpecialem libertatis in actu ſecundo, ſeu actionis liberæ, cum ad illam non determinet Deus, ſed voluntas creata. Ad, vt Deus de facto, & in actu ſecundo infunderet peccatum voluntati, & intellectui errorem, cum nulla daretur cauſa ſecunda exigens, & determinans ad concurſum in actu ſecundo, Deus diceretur cauſa ſpecialis peccati, & erroris infuſi.

26. Obijcies ſextò ex eodem num. 2. in caſu quæſtionis, ſi quis præcepto ſibi impoſito obediret,

coe-

coexisterent in eodem instanti reali meritum pro priori, & visio pro posteriori; sed meritum, & visio nequeunt coexistere: ergo. Probo minorem: talis homo simùl in eodem instanti reali merens, & videns esset in via, & non in termino, quia meritum dicit statum viæ, & non termini, & simùl non esset in via, sed in termino, quia vtpotè videns intuitivè Deum gauderet termino, visione nempè.

27. Si dicas: statum viæ ad meritum requiri solùm ex determinatione extrinseca Dei, non verò intrînsecè, & ratione ipsius meriti, nullum erit argumentum, cum nulla detur oppositio inter meritum, & statum termini, in eoque, & cum eo possit stare in alia providentia meritum. Respondetur tamen, quod si per hoc, quod est esse in via, nil aliud intelligatur, quàm non concipi visionem; & per esse in termino, intelligatur visio sicut pro priori v. g. instanti *B*. non intelligitur positivè visio, & intelligitur pro posteriori, ac proindè in toto instanti reali: ità talis homo esset merens, & videns simùl in eodem instanti reali absque vlla repugnantia in via, & in termino: in via pro priori, & in termino pro posteriori. Si tamen via dicat negationem termini, & terminus negationem viæ pro illo priori instantis *B*, nec conciperetur in via, nec in termino, sed sicut præscinditur à visione, & carentia visionis, vt postea dicam, sic eo quod nec visio, nec carentia visionis se habent vt comprincipia actûs liberi, sic præscinderetur à via, & termino, cum nec via, nec terminus sint comprincipia operationis liberæ, cujus vnicè comprincipia in illo priori debent intelligi.

28. Obijcies septimò ex eodem num. 5. & 6. supposito, quod forma Cæli sit incorruptibilis, & ejus materia ejusdem speciei cum sublunari, licèt pro primo instanti materia illa ad formam corruptibilem, & incorruptibilem sit indifferens, vbi tamen semel inducta est forma incorruptibilis, non manet ea indifferentia in materia pro illo instanti sequenti ad vllam formam corruptibilem, vi cujus expellatur forma Cæli, eo quod hæc ratione propriæ incorruptibilitatis exigat, nè Deus concurrat ad introductionem alterius: ergo, & si in primo instanti, quo existit visio, possit hæc impedire, ne occupet intellectum ratione peccati eliciti à voluntate, semel tamen occupante tali visione, nec manet indifferentia in voluntate, nec possibile manet peccatum in ea, exigente visione ratione suæ incorruptibilitatis, nè Deus concurrat cum voluntate ad peccatum ipsius expulsivum.

29. Respondetur: ex argumento solùm inferri, Beatum naturaliter, & de potentia ordinaria peccare non posse, & expellere demeritoriè visionem, sicut naturaliter tantùm materia cælestis nequit deperdere per introductionem formæ sub-

sublunaris formam cælestem incorruptibilem: sicut enim non obstante exigentia naturali formæ celestis, potest Deus ei renuens, inducere in materiam cælestem dispositiones contrarias ad formam sublunarem, cælestem corrumpere, seù potiùs expellere, & sublunarem inducere; ità non obstante exigentia naturali visionis, potest ei non annuere, principia indifferentia conferre, quibus voluntas pro suo libito peccet, & visionem beatificam expellat.

SECTIO III.

RELIQVIS ARGVMENTIS *respondetur.*

30. OBijcies octavò ex P. Rod. vt voluntas gaudeat potentia proxima ad peccandum, liberèque operetur, debet carere omni impedimento insuperabili, & invincibili ad peccatum; sed visio beatifica est impedimentum insuperabile, & invincibile ad peccatum, non minùs quàm physica prædeterminatio ad actum liberum: ergo, sicut stante physica prædeterminatione, repugnat potentia proxima libera, & actus liber, ità stante visione repugnat potentia proxima ad peccandum, & peccatum.

31. Respondetur: concedo maiorem, & distinguo minorem; sed visio est impedimentum inauferibile essentialiter, nego: naturaliter, concedo. Et nego suppositum consequentis, quod pro illo priori, quo intelligitur potentia proxima ad peccādum, sit, aut intelligatur visio. Hæc fuit in instanti *A.* v. g. sed ibi habita, nequit esse impedimentum ad peccandum in istanti *B.* pro cuius priori non intelligitur, & pro cuius posteriori etiam non intelligitur, si loco obedientiæ poneretur peccatum. Alioquin amor Dei super omnia habitus in instanti *A.* impedimentum esset ad peccandum in instanti *B.* nec amitti posset per peccatū. Si sicut enim quià in instāti *B.* pro priori non intelligitur talis amor, datur in voluntate potentia proxima ad odium, hocque liberè ponitur excludens amorem: ità, cum pro priori naturæ instātis *B.* nō intelligatur visio, datur potentia proxima ad peccatum, & hoc liberè ponetur excludens visionem, quæ præextitit tempore, in instanti scilicèt *A.* Disparitas pro physica prædeterminatione impediēte necessariò potentiam proximam est manifesta: nàm, cum hæc juxta illam admittentes sit vnum ex comprincipijs actûs, vel saltem per modum applicationis (vt loquar cum politioribus Thomistis) se habeat necessariò ex parte actûs primi, & sit essentialiter connexa cum operatione, eam indefectibiliter inducit, nec permittit indifferentiam in contrarium, vndè nec potentiam proximā, & expeditam ad actum liberum: non ità visio, quæ non est comprincipiū, nec necessariò, & essentialiter prærequisita ex parte principiorū.

32. Obijcies nonò ex eodem: Beatus magis impeccabilis est, quàm viator justus; sed ità non esset, si sicut potest amitti gratia per peccatum, posset etiam amitti visio: ergo nè hoc dicatur, dicendum; visionem non esse per peccatum amissibilem.

33. Respondetur: concedo maiorem, & nego minorem. Gratia enìm naturaliter potest per peccatum amitti, cum naturaliter dependeat eius conservatio à nostra voluntate, non ità visio, quæ cum sit naturaliter incorruptibilis, petit conservari independenter ab omni operatione libera hominis: vndè cum magis arduum, & dificile sit, immò & naturaliter impossibile, beatum peccare, quàm justum viatorem, magis impeccabilis est Beatus, quàm justus.

34. Obijcies decimò ex eodem: operatio voluntatis semper est essentialiter posterior, quàm operatio intellectûs, eamque præsupponit, si operatio intellectûs semel extiterit prior tempore; sed visio est actus intellectûs, & vt suppponitur, prior tempore, vtpotè existens in instanti *A*, operatione libera voluntatis: ergo hæc supponet pro priori visionem, & consequenter repugnat, quod sit peccatum, immò & quod præexistente visione in *A*. detur potētia proxima peccādi in *B*.

35. Respondetur: distinguo maiorem quoad primam partem: operatio voluntatis semper est essentialiter posterior operatione intellectûs, per quam dirigitur, concedo: per quam non dirigitur, sed materialiter se habet ad operationē voluntatis, nego. Et indè dignoscitur, falsum esse, quod omnis cognitio prior prioritate temporis tantùm, debeat præcedere essentialiter quemcumque actum voluntatis posteriorem tempore: cum non omnis actus intellectûs præcedens tempore dirigat, præcedatque prioritate naturæ omnem actum voluntatis posteriorem. Immò prioritas temporis de materiali se habet ad impediendam libertatem posteriorem, potestque actus intellectûs prior prioritate temporis aliquo actu voluntatis esse posteriorem illo posterioritate naturæ. Constat hoc in scientia visionis divina, quæ ab æterno extitit, nec impedit libertatem tempore posteriorem, quę prior est naturá ipsâ scientiâ divina. Tùm sic: sed visio intuitiva non dirigeret in casu quæstionis voluntatem liberè operantem, sed alia cognitio indifferens, immò visionis conservatio dependeret ab actu libero: ergo, licèt talis visio esset prior prioritate temporis, nec impediret libertatem, nec esset prior prioritate naturæ respectu operationis voluntatis, immò esset posterior.

36. Obijcies vndecimò: per me licèt non repugnet peccatum pro priori, & visio pro posteriori, repugnat tamen è contra visio pro priori, & peccatum pro posteriori: ergo licèt non repugnet peccatum impeditivum visionis, repugnat tamen

men peccatum expulsivum illius. Probatur consequentia: ideò non stat visio prior, & peccatum posterius, quià visio rapit voluntatem,& necessitat ad amorem, cum quâ necessitate, & amore, nec stat peccatum, nec libertas ad peccatum: nequit enim quis diligereDeum super omnia, & detestare peccatum, & simul rem ipsi displicentem amplecti, qualis esset peccatum; sed peccatum expulsivum visionis, & potentia proxima libertasvè ad eam expellandam supponit ipsam visionem, ac proindè necessitatem ad amorem, vimque rapientem voluntatem: ergo licèt non repugnet peccatum, & potentia impeditiva, quæ visionem non supponunt, repugnant tamen peccatum, & potentia expulsiva.

37. Respondetur: peccatum prius, & visionem posteriorem non repugnare essentialiter in sensu composito, ità tamen repugnare visionem priorem, & peccatum posterius ob rationem à me sæpè assignatam: vndè nunquam possunt coexistere simul visio, & peccatum. Ex eo autem non sequitur, quod repugnent in sensu diviso, hoc est, quod nequeat expelli visio per peccatum; patet hoc in amore, & odio, quæ essentialiter coexistere repugnant; non tamen, quod præcedente amore, hic expellatur per odium subsequens. Idem est in assensu, & dissensu, gratia, & peccato in sententia Thomistica: vndè amor nequit adhuc divinitùs coexistere cum odio, potest tamen coexistere cum potentia proxima, & libertate ad odium expulsiva amoris. Ratio est, quià licèt amor supponatur in instanti *A.* pro priori instantis *B.* in quô cōcipitur potentia, & libertas ad odium, amor non concipitur; & cum se habeat, quasi non fuerit, non impidit, nec potentiam liberam ad odium, nec ipsum odium. Ità, & eodem modo discurrendum de visione, licèt hæc sit in instanti *A*, cum Deus determinet conservare illam in reliquis instantibus dependenter à voluntate creata, pro priori instantis *B.* iam non præintelligitur, nec impedit, nec necessitat, nec rapit ad amorem, solùm enim impedit, necessitat, & rapit, dum existit: vndè si voluntas obediat, conservatur pro posteriori, si peccet, expellitur. Expelli enim, & conservari aliquid, non significat (vt supra notavi) extitisse pro priori, sed extitisse in instanti reali antecedenti, aliàs, nec amor expelleretur per odium, nec assensum per dissensum, nec vnam formam per aliam, quin simul coexisterent, pro priori vna, pro posteriori alia, ac proindè in eodem instanti reali: quapropter, licèt, cum visio existit, rapit, & necessitat ad amorem, sit impossibile peccatum cōjungendum cū ipsa, & potentia proxima ad peccandum, ac proindè nequeant adhuc divinitùs coexistere, visio, & peccatum, cum tamen, nec existit, nec rapit, nec necessitat, qualiter se habet propriori instantis *B.* in quô solùm de forma-

li se habet cognitio aliciens, & retrahens à peccato, item cognitio abstractiva, non verò intuitiva Dei datur potentia proxima ad peccandum, & potest poni peccatum, quod diceretur expellens visionem, quià hæc extitit in instanti antecedẽti *A.* & nondum censetur expulsa, seù carens existentiâ positivè.

38. Objicies duodecimò, & simul replicabis: si peccatum expelleret visionem, prius natura esset peccatum, quàm carentia visionis; sed hoc dici nequit: ergo. Probatur minor: si pro illo priori non esset carentia visionis, pro illo priori esset visio: inter rem namque, & ejus carentiam nequit dari præscissio; sed si pro illo priori esset visio, homo in illo instanti reali peccare non posset, cum per me visio pro priori, & peccatum pro posteriori repugnet: ergo pro illo priori daretur carentia visionis, & consequenter visio per peccatum posterius non expellitur.

39. Argumentum est commune ad omnes formas incoexistibiles, & se expellentes: ab elementis Philosophię objicitur, vt probetur, privationem esse principium corporis geniti vt talis; oritur enim ex non intelligentia prioritatis, & posterioritatis naturæ, & illud retorqueo in gratia, & peccato in sententia Thomistica de incoexistibilitate essentiali vtriusque. Si peccatum expelleret gratiam, prius naturâ esset peccatum, quàm carentia gratiæ; hoc dici nequit: nàm si pro illo priori non esset carentia gratiæ, pro illo priori esset gratia, ac per consequens jam in illo instanti reali homo peccare non posset, cum repugnent in eodem instanti reali gratia, & peccatum, qualiter precisè se haberent, existente gratiâ pro priori, & peccato pro posteriori: existit ergo pro priori carentia gratiæ, vndè hæc non expellitur per peccatum, cum supponatur pro priori ad peccatum expulsa. Id eodem modo fit in amore, & odio, assensu, & dissensu, reliquisque formis oppositis.

40. Omissâ illâ communi, & verâ solutione, qua ad quãcumque ex probationibus objectis, negatur suppositum, quod prioritas naturæ sit, prioritas essendi, vel non essendi, existendi, vel non existendi, cum solùm sit prioritas influendi, vel non influendi. Nego minorem; ad ejus probationem dico: pro illo priori instantis *B.* nec dari carentiam visionis, nec ipsam visionem, nec peccatum, nec carentiam peccati, sed tãtum datur voluntas indifferens cum omnibus comprincipijs ad peccandum, vel non peccandum; cum enim, nec visio, nec carentia visionis, nec peccatum sint principia complentia voluntatem in esse potentię proximè potentis, principijvè operationis liberæ; indè est, quod pro illo priori, nec sit visio, nec carentia visionis, peccatum, aut carentia peccati, præscindaturque ab vtroque, si omittatur peccatum pro posteriori, vt per meritum illius

lius omissionis, erit visio conservativè, coexistetque in eodem instanti reali cum potentia proxima peccandi peccato expulsivo ipsius, & cum non peccato. Si verò peccaverit voluntas, pro posteriori erit peccatum expulsivum visionis, hæc tamen neutiquam erit, sed quià fuit in instanti reali antecedenti dicetur expelli. Et quod sæpè notavi, iterum notandum: propositiones nempè de priori, & postriori naturæ esse quasi modales; non enim denotant aliquam anterioritatem temporis, sed modum se habendi rerum in eodem instanti reali coexistentium. Illa ergo se habebit pro priori, quæ sit causa, principiumvè alterius, vel saltem, quod se teneat ex parte causæ, principijvè ad producendum, & illa pro posteriori, quæ se habet, vt effectus, vel quasi effectus: vndè idem est dicere: *hoc est prius natura respectu illius*, ac dicere: *hoc est causa, principiumvè aut se tenet ex parte principij ad productionem illius.* Cum ergo nec visio, nec carentia visionis, nec peccatum, nec carentia peccati, sint causa, vel principium peccati, neutrum ex his se habet pro priori respectu peccati; & vera est propositio negativa; scilicèt: pro priori ad peccatum non est visio, nec carentia visionis, nec peccatum, quin necessum sit negare propositionis suppositum.

41. Obijcies decimò tertiò, & replicabis cum Comp. pt. num. 3. sed pro illo priori instantis *B.* non solùm debet esse præscissio, sed etiam carentia positiva visionis: ergo hæc non expellitur per peccatum, sed aliundè supponitur expulsa. Probatur antecedens: per me visio est principium necessitãs ad non peccandum; sed potentia libera dicit carentiam positivam omnis principij necessitantis: ergo pro illo priori, in quo est potentia libera ad peccandum, dicit carentiam positivam visionis.

42. Huic argumento, quod commune est pro omnibus his quæstionibus tractatis, & tractandis, iam supra in quæstione antecedẽti respondi, nunc tamen nego antecedens, ad probationem nego minorem, & concedo maiorem: quam minorem retorqueo in omni forma essentialiter incoexistibili, quarum vna expellet aliam, v. g. amore, & odio. Odium est quid determinans ad amorem: ergo potentia ad amorem dicit non solùm præscissivè, sed etiam positivè carentiam odij: ergo pro posteriori nequit poni odium; aliàs coexisterent carentia odij, & odium, quod repugnat: en evertitur totus ordo libertatis. Quàpropter firmiter tenendum: potentiam liberam non dicere positivam carentiam visionis, sed præscissivam, qua cum cõpatitur pro posteriori visio, sicut nec cuiuslibet impedimenti ad actum oppositum, si tale impedimentum sit auferibile per talem actum: aliàs quis diceret, potentiam liberã dicere pro priori positivã carentiam gratiæ, vndè hæc pro posteriori non posset dari in præmium actûs, cuius oppositum, seù omissio es-

esset peccatum. Potentia ergo ad peccandum solùm importat illa, quæ illam constituunt in esse potentis liberè illud facere, vel omittere, reliqua non dicit, non verò dicit negationem aliorum; sed licèt visio sit impedimentum peccati, carentia visionis non constituit potentiam in esse potentis peccare, peccatumvè omittere: ergo.

43. Obijcies decimò quartò, & etiam replicabis: physica prædeterminatio v.g. ad amorem, quià pugnat cum actu opposito, nempè odij, pugnat etiam cum potentia ad odium, & hæc dicit carentiam positivam physicę prædeterminationis: ergo visio beatifica, quia pugnat cum peccato, estque physicè prędeterminans ad amorem oppositum, pugnabit etiam cum potentia ad peccatum, & hæc dicet constitutivè, aut præsuppositivè carẽtiã visionis.

44. Similitèr retorqueo argumentum in amore, & odio, gratia, & peccato, & quam dederis disparitatem inter gratiam, præcipuè si supponatur essentialiter incoexistibilis cum peccato, & physicam prædeterminationem, hanc ego inter visionem, & physicam prædeterminationem accipiam. Causalis ergo antecedentis est falsa: nàm vt supra notavi, ex oppositione actuum, non infertur oppositio potẽtiæ cum actu opposito, patetque in amore, & odio oppositis, quin potentia ad odium opponatur cum amore: ergo ex eo præcisè, quod physica prędeterminatio ad amorem pugnet cum odio, non rectè infertur pugnare cum potentia ad odium, dicereque potentiam ad odium carentiam positivam physicę prædeterminationis ad amorem. Quare ergo physica prædeterminatio ad amorem pugnet cum potentia ad odium, & hæc dicat carentiam positivam illius; visio verò beatifica talem oppositionem nõ dicat, nec potẽtia ad peccatum dicat carentiam positivam visionis? rogas statim, & statim respondeo: hoc esse, quia physica prædeterminatio amoris, vtpotè essentialiter connexa cum ipso, est impedimentum essentialiter inauferibile à voluntate creata, nec dependet, aut dependere potest juxta propriam naturam eius conservatio à voluntate creata: vndè semel posita semper pro priori se habet, nec potest ab ea fieri præscisio. Idem dic de vnione hypostatica in sentẽtia statuente, esse essentialiter inauferibilẽ per peccatũ: operans enìm, nec potest cõjungere odiũ cum physica prædeterminatione amoris, nec potest per odium illam expellere; quapropter ea posita, est essentialiter impossibile & odium, & potentia proxima ad illud; vndè hæc dicit carentiam positivam illius; at verò visio, cum solùm sit naturaliter connexa cum amore, & eius existentia quoad cõservari possit fieri dependens ab operatione libertatis, possitque proindè esse in potestate voluntatis, peccando eam rejicere, aut non peccando conservare, licèt pugnet naturaliter cum poten-

tentia peccandi, non tamen essentialiter, nec est essentialiter impedimentum inauferibile per voluntatem creatam, ac proindè nec opponitur essentialiter cùm potentia ad peccandum, neque cum peccato sui expulsivo, neque potentia ad peccandum dicit essentialiter carentiam positivam visionis. Si autē ponatur physica prædeterminatio non essentialiter, sed solùm naturaliter inauferibilis per voluntatē, eodem modo debet discurri circa illam, ac discurrimus de visione.

35. Obijcies decimo quintò: possibilis est aliqua qualitas, quæ semel producta postulet essentialiter non destrui; in hoc enim nulla apparet repugnantia; sed hâc semel admissâ, hujusmodi conditionis debet censeri visio beatifica: ergo hæc per peccatum destrui, aut expelli nequit.

46. Pater Arriaga disp. 35. de Incarnat. sect. 2. num. 5. iudicat, hoc argumentum esse contra quæstionis suppositum; supponitur enim visionem esse absolutè destructibilem per Deum (idem dic de vnione hypostatica) quo supposito inquiritur: an sicut Deus potest illam destruere nullâ expectatâ conditione, possit, spectatâ vt conditione operatione peccaminosa. Judicat item: repugnare visionem, aut quamlibet sanctitatem semel destructibilem à Deo, & quæ non possit destrui per peccatum, sed in pœnam peccati. Quidquid autem sit de hac doctrina, cui non assentior, argumentum retorqueo. Possibilis est aliqua qualitas, quæ semel producta, non postulet essentialiter, sed solùm naturaliter non destrui, quæ enim in hoc apparet repugnantia; sed hujusmodi est visio beatifica: ergo Authoritates enim Sanctorum, quæ eius excellentiam elevant, hoc solùm denotare videntur, nec minùs, magisvè requirunt, quàm certam oppositionem cum peccato, majorem illâ, quam habet gratia habitualis ratione naturalis inamissibilitatis, qua caret gratia; minorem illâ, quam dicit sanctitas increata per vnionem ratione inamissibilitatis essentialis, qua caret visio: ergo ità ponenda est, licèt aliàs non repugnaret aliqua qualitas, quæ semel producta, nec per peccatum, nec quolibet alio modo posset destrui.

QVÆSTIO XVII.

AN SVPPOSITO, QVOD visio sit essentialiter inamissibilis, possit componi divinitùs cum potentia proxima peccandi?

1. Licet sub hoc titulo, & expressione, quæstionem non viderim à DD. exagitari, gravem continet dificultatem, vtilique doctrina eam adornare conabor. Igitur quæstione antecedenti defendimus, posse visionem per peccatum amitti, ac proindè posse componi cum potentia proxima pec

peccandi. Nunc suppono, esse essentialiter inamissibilem per peccatum, ac proindè ea semel habita resistere essentialiter concursui indifferenti Dei ad peccandum, pro quocumque instanti subsequuto ad ejus existentiam per totam æternitatem, nec posse dependere ab operatione creata, cuius omissio esset peccatum. Quô supposito, inquirimus: an sit possibile, quod talis visio coexistat in eodem instanti reali cum potentia proxima, completa, & expedita ad peccandum?

2. Dico: *Supposita hac essentiali inamissibilitate visionis per peccatũ, potest visio coexistere, & componi in eodem instanti reali cum potentia proxima, & expedita peccandi.* Huic conclusioni favent omnes illi, qui defendunt cum Arriaga d. 20. de Angelis sect. 5. subsec. 1. Angelos in instanti meriti potuisse esse beatos, in quô instanti absque dubio & existeret visio pro posteriori, & potentia proxima ad merendum actu, cuius omissio esset peccatum pro priori. Item: qui tenent, humanitatem potuisse mereri vnionem hypostaticam per opera solùm naturæ prioritate antecedentia ipsam vnionem essentialiter inconjungibilem, & inamissibilem per peccatum. Ità Muniesa d. 5. de Incarn. sect. 2. num. 24. quô casu coexisterent certè in eodem instanti reali potentia proxima ad peccandum, & vnio hypostatica essentialiter inamissibilis per peccatum. Insuper, Compton. d. 74. de beat. sect. 6. num. 4. tenens, posse proponi visionem in instanti aliquo cõferendam ob actum pro illo etiam instanti prçceptum, cuius omissio esset peccatum, sicque beatum primo instanti, quô habet beatitudinẽ, posse pro aliquo priori naturæ, & rationis peccare, non tamen vllo ex sequentibus instantibus post visionem semel habitam, cum eam teneat essentialiter inamissibilem per peccatum. Clariùs P. Tyrs. tom. 3. d. 3. sect. vltima, num. 34. vbi ità: *Quãvis in reliquis beatis nulla detur potentia proxima peccandi, id non est ex terminis ipsius visionis beatificæ; quasi hæc non possit componi cum potentia proxima peccandi; potest enim, vt si Deus promitteret in præmium observationis præcepti visionem beatam statim conferendam in instãti observationis*: in quo certè coexisterent potentia libera proxima, & expedita, ad pecccandum observatio præcepti, & visio. Expressiùs tamen, & illustriùs Sapientissimus P. Franc. de la Masa in aureo tractatu de Incarnat. conclusionem tenens in visione hypostatica, cuius vestigijs venerabundus insistens.

3. Probo conclusionem primò: etiam si repugnet, visionem semel habitam amitti per peccatum, ac proindè potentiam proximam expulsivam ipsius, non repugnat, visionem nondum habitam acquiri per observationem prçcepti, cujus omissio esset peccaminosa in eodem instanti observationis prçcepti; sed in tali casu coexisterẽt simul potẽtia pro-

proxima peccandi, & visio beatifica in eodem instanti reali: ergo licèt visio sit essentialiter inamissibilis per peccatum, potest tamen componi, & coexistere in eodem instanti reali cum potentia proxima peccandi. Consequentia legitimè infertur stantibus maiori, & minori. Minor patet: nàm quæ existunt pro priori, & quæ pro posteriori existunt, coexistunt in eodem instanti reali; potentia ad observationem præcepti, & eius omissionem peccaminosam; quæ certè est potẽtia proxima peccandi, se haberet pro priori, & visio beatifica pro posteriori: ergo coexisterent in eodem instanti reali. Maior probatur: non repugnat, quod, sicut Deus potest conferre visionem Petro gratuitò, eam conferat allumens pro conditione, congruam dispositioné, vel meritum congruum ad collationem illius, observationem nempè alicuius præcepti hìc, & nunc obligantis in conscientia sub culpa in eodem instanti, quò obligat, & observatur, perculso simili pacto: *in eodem instanti, quo observaberis præceptum, pro posteriori tibi dabo visione m, aliàs si non observaberis, non daturus*: quæ enìm imperfectio ex parte Dei in simili decreto, quævè indecentia ex parte visionis, quæ ità conferatur? De facto enìm licèt non in eodem instanti reali ità paciscitur Deus cum hominibus, ità confertur visio, dependenter scilicèt à meritis, & ità impeditur per peccata: ergo.

4. Confirmatur: ex vì huius pacti nec visio conjungeretur cum peccato, nec expelleretur per illud, sed solùm conjungeretur cum potentia ad peccádũ, & non peccato, si verò non detur, impediretur tantùm per peccatum; sed conjungi cum potentia peccandi, & non peccato, si detur, nõ dedecet perfectioné visionis, cum posse peccare, & actu nõ peccare potius sit laudabile juxta illud: *qui potuit transgredi, & non est transgressus: quis est hic, & laudabimus eum?* Item impediri per peccatum excellentia est potiùs, quàm imperfectio, arguit enim visionis puritaté incoexistibilem cum malitia, illamque eiusque commercium refugientem: ergo.

5. Probatur secundò: per me, cui favent Ovied. & alij, licèt visio nequeat adhuc divinitùs coexistere in eodem instãti reali cum peccato ipsi posteriori, potest tamen componi cum peccato priori: ergo licèt nequeat componi visio cum potentia proxima peccandi exclusiva visionis, ac proindè hæc nequeat amitti per peccatum, potest tamen componi cum potentia proxima peccandi impeditiva illius, poteritque hæc impediri per peccatum, nè existat. Probatur consequentia, & paritas: quià sicut, etiam si visio pro priori se habés impediat essentialiter peccatum subsequens, eiusque comprincipia, quæ stante visione, stare nequeunt, non verò impedit peccatum præcedens, quià nulla forma impedire potest aliquid

dum non eſt. Ità, cum viſio nec ſit, nec intelligatur pro illo priori ad ſui exſtientiam, nec impedit, nec impedire poteſt principia complentia voluntatem in eſſe potētiæ proximæ ad peccandum, quâ non peccante, & ſtatim poſita pro poſteriori viſione, ipſa, & potentia proxima in eodem inſtanti reali coexiſterent.

SECTIO I.

ARGUMENTA SOLVUNtur.

6. OBijcies primò: potentia proxima peccādi, & viſio beatifica eſſentialiter opponuntur: ergo nec divinitùs coexiſtere queunt. Probatur antecedens: potentia proxima peccandi dicit carentiam impedimenti excludentis eſſentialiter peccatum, ità vt potētia proxima, & impedimentum peccati nequeant coexiſtere; ſed per me viſio beatifica eſt impedimentum eſſentiale peccati: ergo potentia proxima dicit carentiam viſionis; carentia viſionis, & viſio nequeunt in eodem inſtanti reali coexiſtere: ergo neque potentia proxima, & viſio.

7. Argumentum hoc, quià varijs vocibus ſemel, & iterùm opponitur, ſemel, & iterùm repeto, ſemelque, & iterùm, vt eius falſitas innoteſcat, retorqueo. Potentia proxima amandi liberè, dicit carentiam impedimenti eſſentialiter excludentis amorem; ſed odium eſt impedimentum eſſentiale amoris: ergo dicit carentiam odij: carentia odij, & odium nequeunt in eodem inſtanti reali exiſtere: ergo neque potentia proxima ad odium, & amor. hoc eſt falſiſsimum, aliàs amor non eſſet liber. Sicut ergo licèt odium, & amor nequeant coexiſtere, & amor ſit impedimentum eſſentiale odij, coexiſtit tamen amor cum potentia proxima ad odium; vndè potentia proxima amoris non dicit abſolutè carentiam poſitivam odij, ſed præſciſsivam, hoc eſt, non dicit pro conſtitutivo ſui odium, aut carentiam odij: ità, & eodem modo, licèt viſio nequeat cum peccato coexiſtere, ſitque impedimentum eſſentiale peccati, poteſt tamen coexiſtere cum potentia proxima peccati, quæ quidem nec dicit poſitivè viſionem, nec carentiam viſionis, ſed præſciſsivè. Non enim eſt idem, vt per ſe patet, potentiam peccandi non dicere viſionem, ac dicere carentiam viſionis. Primum eſt verum: ſecundum falſum. Vndè pro poſteriori conjungi poteſt cum ipſa viſione, & coexiſtere in eodem inſtanti reali cum illa. In forma ergo, nego antecedens abſolutè ſumptum. Nam licèt in aliquo ſenſu, & aliter accepta opponantur, cum propoſitio objecta ſit vniverſalis, & affirmet oppoſitionem in omni ſenſu, neganda eſt ſine diſtinctione. Ad probationem diſtinguo majorem: potentia proxima dicit carentiam impedimenti poſitivè, nego: præ-

præſciſsivè, concedo. Vndè potentia proximè libera peccandi, & impedimentum peccati nullatenus opponuntur; ſicut nec potentia libera ad amorem, & odium, quod eſt eſſentiale impedimentum amoris.

8. Dices: amor poteſt auferri per odium: vndè hoc poteſt coexiſtere cum potentia proxima ad amorem; viſio tamen ſupponitur eſſentialiter inamiſsibilis, & inauferibilis per peccatum: nequit ergo componi cum potentia proxima peccandi.

9. Hìc jam diſtinguendæ ſunt res, & comparandæ, vt diſtinctione, & comparatione clareſcant. Amor igitur, & odium in ordine ad coexiſtentiam, majorem oppoſitionem habent, quàm viſio, & peccatum; amor namque, & odium quomodolibet collocentur, in ſententia communi repugnant eſſentialiter; viſio verò, & peccatum in meis principijs non ita; nam, & ſi repugnet viſio prior cum peccato poſteriori, non tamen peccatum prius cum viſione poſteriori. Sed adhuc admiſſo, quod eodem modo ſe habeant in hac repugnantia ad coexiſtendum viſio, & peccatum, ac amor, & odium; diſtinguenda eſt potentia impeditiva alicujus formæ à potentia expulſiva, & amiſsiva illius. Potentia impeditiva non ſupponit exiſtentiam formæ, cujus impeditiva eſt, ſed primam exiſtentiam, & ingreſſum reſpicit; potentia expulſiva ſupponit exiſtentiam illius, & egreſſum, ejectionemque formæ intendit; poteſtque dari erga aliquam formam potentia impeditiva, non tamen potentia expulſiva, & ejectiva. Nunc ſupponimus, repugnare potentiam expulſivā, & ejectivam viſionis, hoc eſt, quæ poſtquam viſio extiterit v.g. in inſtanti *A.* eam expellat peccatum in inſtanti *B.* & in reliquis inſtantibus poſterioribus ad ejus primam exiſtentiam. Cum autem ex hoc non inferatur, repugnare ſimiliter potentiam, quæ impediat per peccatum ejus primum ingreſſum, ſeu primam exiſtentiam, defendimus: quod, etiam ſi repugnet potentia expulſiva viſionis, non repugnat potentia impeditiva; item, quod etiamſi repugnet peccatum expellens in inſtanti *B.* viſionem, quæ extitit in inſtanti *A.* non repugnat peccatum impediens exiſtentiam viſionis in inſtanti *A.* quæ antea non exiſtebat: vndè licèt in ordine ad expulſionem, & potentiam expulſivam aliter ſe habeat amor, & odium, quàm viſio, & peccatum, non tamen quoad potentiam impeditivam, & impedientem; hoc eſt, licèt voluntas poſsit impedire odium per poſitionem amoris in inſtanti *A.* & ſimul excludere illud, ſi fortè exiſtit in inſtanti *A.* per amorem in inſtanti *B.* ac proindè amor poſſit coexiſtere cum vtrâque potentiâ, & impeditivâ quoad inſtans *A.* quo non ſum exiſtebat, & primo extitit, & expulſivâ quoad inſtans *B.* quo potuit expelli per odium, & liberè

liberè non fuit expulsus; visio licèt possit impediri, nè primo exiſtat, & ingrediatur in inſtanti *A.* quo nondum fuit ingressa; nequit tamen expelli in inſtanti *B.* ſemel exiſtens in inſtanti *A.* vndè licèt non poſsit componi cum potentia expulſiva, poteſt tamen cum potentia impeditiva coexiſtere, ſi fortè hæc non peccando, viſionem non impediat.

10. Objicies ſecundò, & replicabis: viſio ſe habens pro priori, nec divinitùs poteſt componi cum potentia proxima ad peccandum ſe habente pro poſteriori: ergo neque è contra potētia ſe habens pro priori cum viſione ſe habente pro poſteriori. Probatur conſequentia: quia in eodem inſtanti *A.* v. g. entitas viſionis eadem eſt, & entitas potentiæ ad peccandum eadem: ergo ſivè hoc, ſivè illo modo collocentur, iam illa pro priori, & hæc pro poſteriori, iam è contra eodem modo opponuntur. Aliàs eædem manentes tranſirent de non oppoſitis ad oppoſitas, quod repugnare videtur.

11. Pro ſolutione ſcias: quāplures eſſe formas, vel quaſi formas in cōpoſsibiles in eodē inſtāti, nō abſolutè, & quoad omnem modū exiſtēdi, ſed tantùm quoad aliquem modum coexiſtēdi: vndè vno modo poſſunt coexiſtere v.g. ſi forma *A* ſe habeat pro priori, & forma *B.* pro poſteriori, non verò alio, ſeù è contra. Plurima exſtant juxta varias ſententias exempla. Primum juxta P. Arriaga, & alios frequenter, Gratia, & peccatum poſſunt ſimul divinitùs coexiſtere, taliter tamen, vt peccatum ſe habeat pro priori, & gratia pro poſteriori, non tamen è contra. Secundum ſit: aſſenſus, & diſſenſus juxta aliquos poſſunt coexiſtere, taliter vt aſſenſus probabilis præcedat pro priori, & diſſenſus evidens pro poſteriori, non tamen è contra. Hinc P. Izquierd. tenet, poſſe cohærere circa idem objectum, ſcientiam, & formidinem, dummodo formido ſe habeat pro priori, & ſcientia pro poſteriori, non verò è contra. Tertium, Cardin. Lug. Arriaga, Ripalda, & alij tenent, poſſe cohęrere ſpem gloriæ conſequendæ cum notitia certa, & infallibili damnationis, ſi ſpes ſe habeat antecedenter, & notitia damnationis conſequenter, ità vt verum ſit dicere: habens ſpem gloriæ conſequendæ eſt certus omninò gloriæ non conſequendæ; non tamen è contra cum nequeat eſſe vera hæc propoſitio: *Certus omninò gloriæ non conſequendæ eſt habens ſpem conſequendæ gloriæ.* Quartum juxta Angel. Præceptor in 2. diſt. 1. quæſt. 2. artic. 2. Angeli in eodem inſtanti meruerunt beatitudinem, & fuerunt beati. Ex quô ſequitur: in eodem inſtanti coextitiſſe in eis meritum beatitudinis, & beatitudo, ſtatus viatoris, & merendi, & ſtatus comprehenſoris, habentibus ſe merito, & ſtatu viatoris pro priori, beatitudine, & ſtatu comprehenſoris pro poſteriori, verumque ſit dicere:

re: *Angelus potens peccare est beatus: viator est comprehensor; merens beatitudinem est beatus*; nequeat tamen è contra verè dici: *Angelus beatus est potens peccare* &c.

12. Quales autem sint hæ formæ vno modo coexistibiles, non verò alio, colligendum est ex natura, & qualitate ipsarum formarum, & sępè id evenire solet in aliquibus actibus intellectûs, & voluntatis hoc vel illo modo tendentibus in objectum, in quibus, attenta natura, & modo tendendi ipsorum, sępè vnus, si præcędat, est obex alterius, non verò è contra. Exemplum sit: si præcedat scientia, vel revelatio damnationis, nequit pro posteriori dari spes gloriæ, ad quam debet præcedere notitia futuritionis gloriæ consequendæ, quæ hìc, & nunc, vt assequibilis proponatur voluntati; nequit autem præcedente scientia, aut revelatione damnationis pro posteriori dari notitia talis suasiva. E contra verò in sententia Arriagæ, & Ripalda, præcedente notitia, & spe suasiva gloriæ consequendæ pro priori, potest pro posteriori dari notitia certa vel ex revelatione, vel ex scientia gloriæ non consequendę, & damnationis. Ità ergo se habere visionem beatificam, & potentiam proximam ad peccandum, defendimus. Si visio pręcedat pro priori, nequit pro posteriori dari, aut concipi potentia proxima, cum hæc resultet ex cognitione aliciente ad malum, & retrahente à Deo, quæ cum visione intuitiva Dei præcedente pro priori non componitur: si verò pro priori præcedat potentia proxima, cognitioque aliciens, & invitans ad malum, optimè pro posteriori potest dari, & concipi visio, cum hęc non impediat, dum non existit. Vndè

13. In forma concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem similiter concedo antecedens, & nego consequentiam: quia, licèt formę sint eædem entitativè, hoc modo collocatæ opponuntur, & impediuntur, non verò alio, & inverso modo, transeuntque de non oppositis ad oppositas variato modo, imò verè non transeunt, semper enim ex se opponuntur ità collocatæ, & aliter non opponuntur.

14. Objicies tertiò, & simul replicabis à contrario sensu. Visio pro priori, & potentia proxima pro posteriori possunt componi: ergo similiter è contra potentia proxima pro posteriori, & visio pro priori. Vel aliter: potentia proxima, & visio possunt coexistere in primo instanti per nos: ergo & in secundo, in tertio, & reliquis instantibus. Tunc sic; sed potentia proxima in secundo, & reliquis instantibus est potentia expulsiva, cum supponat visionem in primo existentem: ergo supposita essentiali inamissibilitate visionis, repugnat coexistentia visionis, & potentiæ peccandi adhuc in primo instanti. Prima consequentia probatur vni-

 ver-

versaliter: formę, quæ possunt in primo instanti coexistere, possunt etiam coexistere in secundo. Probatur: formæ quæ in aliquo instanti coexistere queunt, non opponuntur ratione sui, vel ex se formaliter; sed formæ, quæ ratione sui, & ex se formaliter nõ opponũtur, nec in secundo, reliquisvè instantibus opponi queunt: ergo & coexistere possunt.

15. Pro argumenti solutione, & plena totius difficultatis intelligentia, distinguenda est potentia impeditiva visionis à potentia expulsiva. Potentia impeditiva respicit primũ visionis ingressum, estque ipsâ visione prior. Potentia expulsiva respicit iam visionem existentem, estque ipsâ visione posterior. Vtraque, si sit impeditiva, & expulsiva vi peccati, est potentia proxima ad peccandum: yndè de ea forma, de quâ verum sit dicere: posse coexistere cum qualibet ex illis potentijs, licèt nequeat coexistere cum vtrâque, verum erit dicere: posse coexistere cum potentia proxima peccãdi. Hoc supposito, dico: visionem posse coexistere, & cõjungi cum potentia impeditiva ipsius, non verò cum potentia expulsiva, cũ potentia respiciente primum eius ingressum; non verò cum potentia respiciente eius existentiam, vel potius eam existentem: yndè infertur, posse coexistere cum potentia proxima ad peccandum tenente se pro priori, non verò habente se pro posteriori, cum potentia proxima ad peccandum peccato impeditivo, & si fortè ponatur impediente, non verò cum potentia ad peccandum peccato expulsivo, & expellente. Dantur enim, vt iam diximus, & exemplis demonstravimus, plures formæ vno modo coexistibiles, non verò alio, quæ quidem ex se formaliter & ex natura sua opponuntur, nõ tamẽ absolutè, sed tali modo collocatæ, nam tali modo collocatæ repugnant, non verò alio, vt constat in assensu, & dissensu, Spe, & revelatione damnationis.

16. Hinc, & in hoc sensu verum non est absolutè, formas potẽtes coexistere in primo instanti posse coexistere in secundo, & reliquis; collocantur enim in secundo aliter, ac in primo: & forma, quæ in primo instanti respiciebat primum ingressum alterius, eratque proindè tantùm impeditiva, in secundo instanti respicit illam existentem, estque expulsiva: vi cuius diversæ collocationis, & effectûs diversi, oritur repugnantia. Constat hoc in dominio in solidum penès duos probabili in primo instanti, & non in secundo, & reliquis: nam in secundo, & reliquis fundat contradictionem discordiæ, & belli iusti, quod non fundat in primo. Melius: in primo instanti, quô aliquis emittit v.g. votum castitatis, vel religionis, est indifferens ad licitè eligendum statum matrimonij, non verò in secundo instanti post votum emissum. Vndè in primo instanti coexistunt potentia licita ad nuptias, & votum cas-

castitatis, repugnat tamen coexistere in secundo. Ratio est: quià in primo instanti collocatur potentia ad nuptias pro priori, & votum castitatis pro posteriori, potentia ad nuptias respicit primum ingressum, & emissionem voti, cuius est impeditiva, & ità non repugnant; in secundo verò instanti collocatur iam votum pro priori, & potentia pro posteriori, hæc respicit votum iam emissum, cuius esset expulsiva, & ità repugnāt, nequeūtque esse licitæ nuptiæ post votum castitatis elicitum. Ità & eodem modo discurrendum est inter visionem, & potentiam proximam peccandi. Et ità neganda est consequentia argumenti secundo modo appositi, & antecedens probationis.

17. Si verò clariùs, & faciliùs, imò, & ideò feliciùs respondere velis, nega consequentiā. Ad cuius probationem transeat antecedens, quod scilicèt formę, quæ in primo instanti coexistere queunt, posint in secundo, & reliquis coexistere. Si verò statim arguant: sed in primo instāti coexistere queunt potentia proxima ad peccatū, & visio: ergo & in secundo, reliquisvè coexistere possunt. Distinguo minorem: sed in primo instanti coexistere queunt potentia proxima, & visio: potentia proxima impeditiva respiciens primum ingressum visionis, peccato, quod sit obex talis visionis, concedo: potentia proxima expulsiva respiciens visionem existentem, cujus esset expulsio, nego. Et similiter distinguo consequens: ergo & in secundo, reliquis vè coexistere possunt potentia, & visio, quæ coexistere possunt in primo instanti, concedo: quæ in primo instanti coexistere nequeūt, nego. Et indè nego suppositum: quod vnquam coextitisset, posint vè coexistere visio, & potentia proxima expulsiva, quæ ex se formaliter, & ex natura sua opponuntur, ac proindè nec in primo, nec in secundo instanti coexistere queunt, potentia verò proxima impeditiva, & visio nullatenus opponuntur, ac proindè, tàm in primo, quàm in reliquis instantibus coexistere possunt.

18. Igitur potentia proxima, quam defendimus in primo instanti, & quam in eo coexistere diximus cum visione, non est potentia expulsiva visionis, seù ad peccatum posterius ipsâ visione, sed potentia impeditiva ipsius, seù ad peccatum, quod non sit posterius, sed potiùs saltem negativè prius: hæc enìm potentia tàm in primo, quàm in reliquis instantibus existit, & coexistit visioni.

19. Replicabis statim: ergo in secundo instanti datur potentia proxima peccandi; sed potentia proxima peccandi existens in secundo instanti est potentia expulsiva, cum supponat visionem existentem in primo instanti: ergo. Probatur minor: si poneretur peccatum in secundo instanti, expelleret visionem: ergo si posset poni, posset expelli. Dari potētiā in secundo instanti ad pec-

peccatum est posse poni peccatum: ergo & posse expelli visionem.

20. Retorqueo: in instanti, in quô datur prædefinitio amoris liberi v. g. vel scientia ipsius, est in voluntate potētia proxima ad odium: ergo & potentia frustrativa prædefinitionis, & scientiæ divinæ. Probatur consequentia: si de facto poneret odium, de facto frustraret prædefinitionem, & scientiam amoris: ergo si posset ponere odium, posset frustrare talem scientiam, & prædefinitionem. Huic ergo replicæ omnes Nostri respōdere tenētur.

21. Respōdetur, distinguo consequens: ergo in secundo instanti datur potentia proxima peccandi impeditiva, aut peccato impediente, concedo: expulsiva, aut peccato expellente, nego; & distinguo minorem: sed potentia existens in secundo instanti, est potentia expulsiva; potentia in secundo instanti, & pro secundo instanti, concedo: potentia in secundo instanti, & non pro secundo instanti, sed pro primo, nego. Vel aliter: si sit potentia tunc pro tunc reducibilis ad actum, concedo: si sit potentia tunc, sed non pro tunc reducibilis ad actum, nego. Vel aliter: si respiciat peccatum possibile in secundo instanti, concedo: si respiciat peccatum possibile in primo instanti tantùm, nego. Quare solùm esset impeditiva potentia, quæ extitit in in primo instanti pro priori ad visionem, non expulsiva, & posterior visione, quæ nunquam extitit, nec existere potest: vndè peccatum in secundo instanti, quod certè esset expellens visionem, non esset actus secundus correspondens tali potentiæ, sed peccatum in primo instanti possibile, quod esset impediens. Ad modum, quô odium correspondens vt actus secundus potentiæ liberæ ad odium coexistenti cum amore libero, non est odium ex suppositione prædifinitionis, & scientię amoris, quod est impossibile, sed odium absolutum, & in sensu diviso.

22. Exemplis doctrina clarescet. Primo in materia prima adhuc informatâ forma *A.* v. g. datur potentia ad formam *B.* cum sit potentia ad omnes formas, verumque est dicere de ea: *materia nunc est potens ad habendam formam B.* sed non pro nunc, cum nequeat, saltem naturaliter, informari duplici forma. Idem dic respectu formarum corruptarum, etiamsi supponatur intrinseca earum irreproducibilitas. In materia enim datur potentia ad ipsas tunc, sed non pro nunc. Hoc est, ea potentia, quam habuit materia antequam informetur forma *A.* ad formam *B.* & antequam corrumpantur formę materiales ad ipsas, eadem ipsa permanet postquam informatur, & post corruptionem formarum, siquidem ea numquam fuit ad duas formas simul habendas, nec ad formas iterum reassumendas. Ità in nostro casu discurre. Cum homo, nec habeat, neque posit habere potentiam ad expellendam visionem per pec-

peccatum, sed solùm ad impediendam; adhuc positâ visione in secundo, & reliquis instantibus manet potentia ad impediendum, quæ simùl extitit, non verò ad expellendum, quæ nec extitit, neque existere potest. Secundò: adhuc transactâ duratione hesternâ, manet Omnipotentia virtus productiva illius, ita vt verum sit dicere: *hodiè Omnipotentia est virtus productiva durationis hesternæ*; aliàs in Deo deficeret aliquod prædicatum necessarium, sed non est productiva nunc pro nunc, sed nunc, aut hodiè pro heri. Vndè licèt nunc coexistant instans hodiernum *B.* cum potentia productiva durationis hesternæ *A.* indè non infertur, posse coexistere durationem hodiernam, & hesternam, quia illa coexistentia est coexistentia instantis *B.* & potentię, non verò instantis *B.* & effectûs potentię. Ità licèt in secundo instanti coexistant visio, & potentia ad peccatum, cum hæc non sit ad peccatum nunc, seu in secundo instanti possibili, sed ad peccatum tunc, & pro primo instanti, licèt coexistant instans secundum, & potentia, nequeunt tamen coexistere instans secundum, & peccatum.

22. Ratio à priori est: quia quid diversissimum est, dari in secundo instanti potentiam ad peccatum in primo instanti, & dari in primo instanti potentiam ad peccatum in secundo instanti. Primum concedimus, secundum negamus. Primum cadit supra potentiam tantum: secundum supra potentiam, & actum. Primum solùm conjungeret potentiam cum instanti secundo, in quo nulla relucet repugnantia, secundum conjungit instans secundum cum peccato, quod repugnat in supposito quęstionis, quia eo ipso, quod sit secundum, supponit jam visionem existentem in primo; quæ cum per nos nec divinitùs existere potest peccatum posterius, & juxta suppositum nec divinitùs expelli. Sed quia cum dicimus, potentiam ad peccandum in secundo instanti, ly *in secundo instanti,* non tam videtur denotare existentiam potentię relatè ad primum instans, sed etiam relatè ad secundum, ideò & in hoc sensu negavimus, aliquando in secundo instanti posse coexistere visionem, & potentiam, licèt possint in primo.

23. Objicies quartò: si non repugnaret hoc pactum cum humaninitate, *Si non peccaveris tali instanti, dabo tibi visionem,* ex quò deducimus, posse componi visionem cum potentia proxima peccandi; similiter nec repugnaret hoc, *Si non pecces tali instanti, tibi conservabo visionem*: ex quo sequeretur, componi posse visionis conservationem à potētia libera, & indifferēti ad peccatum, posseque proindè per peccatum expelli, si ponatur.

24. Respondetur: non repugnare vtrumque pactum, si vtrumque respiciat omissionem liberam peccati, seù peccatum in primo instanti, quod esset obex ad primum vi-

visionis ingressũ, nulla enim relucet repugnãtia in eo, quod Deus decernat, seù promittat, tàm primam existentiam, quàm conservationem visionis sub hypothesi omissionis peccati, & dependẽter ab vsu libero priori ad visionẽ dicens: *Si non peccaveris tali instanti tibi dabo, & conservabo visionem:* alt verò, si secundũ illud pactum depẽdens sit ab aliquo vsu libero posteriori ad visionẽ, seù respiciat omissionem liberam peccati expulsivi visionis, repugnat; quia pro posteriori ad visionem repugnat talis vsus liber. Ex quô non sequitur, repugnare primum decretum, cum non repugnet vsus liber pro priori ad visionem, & quod hæc prima existat dependenter ab illo.

25. Obijcies quintò: quia calor, & frigus per se, & per proprias naturas opponuntur, nec in primo, nec in secundo instanti coexistere queunt. Et hinc arguunt communiter Doctores, pręcipuè Ripalda contra Lorcam, peccatum actuale, & gratiam, nec in primo, nec in secundo instanti posse coexistere, & si possent in primo, possent etiam in secundo. Ergo vel visio, & potentia proxima ad peccandum non opponuntur ex se & ratione sui, vel si ità opponũtur, nec in primo, nèc in secũdo instãti poterũt coexistere.

26. Stando secundæ solutioni tertij argumenti, transeat causalis antecedentis, & tota eius doctrina; & dico: potentiam expulsivam, & visionem, inter quas datur oppositio, ratione sui, & per proprias entitates, nec in secundo, nec in primo instanti posse coexistere; potentiam verò impeditivam, & visionem, tàm in primo, quàm in secundo instanti coexistere posse, cum inter eas nulla oppositio detur. Stando verò primæ, neganda est causalis antecedentis, concesso ipso antecedenti, idemque dicendum de gratia, & peccato: hoc est, quod etiam si calor, & frigus, gratia, & peccatum, nec in primo, nec in secundo instanti coexistere queant, non ideò hoc est, quia opponuntur ex se, & ex natura sua, sed quia opponuntur absolutè, & minimè respectivè quoad ordinem prioritatis, & posterioritatis, vndè quoqumque modo collocentur, sibi invicem resistunt: non ità potentia proxima, & visio, inter quas non datur oppositio absoluta, sed respectiva. Quod ità sit oppositio inter calorem, & frigus, est certum; quod ità sit inter gratiam, & peccatum, conceditur à Lorca, contra quem non ex vi formæ, sed ex vi materiæ optimè arguunt Ripalda, & Doctores; ex vi tamen formæ falsæ sunt omninò hę & similes propositiones. *Formæ, quæ possunt coexistere in primo instãti, possunt etiam in secundo... Ideò gratia nequit coexistere cum peccato in primo instanti, quià nequit in secundo... Si posset gratia & peccatum coexistere in primo instanti, posset etiam in secundo,* & aliæ similes.

27. Obijcies sextò: potentia proxima peccandi est periculum proximum peccati, & magnæ miseriæ,

riæ, ac proindè aliqua vera miseria: ergo componi nequit in eodem instanti reali cum visione, quæ est maxima felicitas continens in se eminéter ipsá formalé beatitudiné.

28. Argumentum est commune, & probat contra D. Thomam, non posse Angelos reddi beatos in eodem instanti pro posteriori, quô meruerunt beatitudinem. Item non posse humanitati conferri vnionem hypostaticam, cui est visio, & beatitudo debita, dependenter ab observatione alicuius præcepti, cuius omissio esset peccaminosa. Quapropter respondetur, quod, licèt periculum proximum peccati sit magna miseria in actu primo, non verò in actu secundo, & non se excludunt magna felicitas in actu secundo cum miseria in actu primo. Insuper: licèt visio sit partialis beatitudo, non tamen est totalis, & sicut componitur in Christo cum tristitia, dolore &c. ità cõponeretur cum illo periculo proximo peccati.

29. Obijcies septimò visio reddit hominem impeccabilem: ergo nequit componi cum potentia proxima peccandi.

30. Respondetur: distinguo antecedens: reddit hominem impeccabilem peccato tàm impeditivo, quàm expulsivo ipsius, nego. peccato solùm expulsivo, concedo. Cum enim reddat hominem impeccabilem per exhibitionem sui, solùm præstat illi talem effectum, dum existit: ergo nequit illum reddere taliter impeccabilem, quod impediat potentiam proximam pro priori ad ejus existentiam: ergo neque potentiam impeditivam; benè tamen expulsivam, quam ipsa visio præcederet.

QVÆSTIO XVIII.

VTRVM VISIO ESSENTIÆ sine attributis, aut vnius attributi, Personæve sine alijs sufficiat ad beandum?

1. Quæstio supponit ex tractat. de visione, posse intuitivè videri essentiam sine attributis, vnum attributum sine alio, vnamvè sine alia Personam, & rogat: vtrùm hæc visio intuitiva, præscissiva, & inadæquata dicéda sit beatitudo, nec nè? Quæstio est de nomine, in quâ meritò ferè dubius se haberet Arriaga: nam, cum beatitudo non consistat in indivisibili, nec certum gradum determinatum habeat, qué immobiliter debeat attingere, vt dicatur beatitudo, sed accipiat magis, & minùs, jam plures in Deo creaturas, & earum præcontinentias percipiens, jam minùs cognoscens, infertur certè, de ratione beatitudinis vt sic, non esse omnia in Deo claré cognoscere. Vtrum autem, qui attingeret essentiam, & non relationes, vnum attributum, & non aliud, relationes vè, & non essentiam, attingeret, quod sufficiens est, vt talis attingentia dicatur beatitudo, & ipse per consequens Beatus, divinatorium videtur.

tur. In hoc tamen, quod probabilius judico, defendam.

2. Prima sententia negat, talem visionem fore dicendam beatitudinem, ipsumque videntem beatum. Ità communiter Thomistæ Caiet. Montesin. Lorc. & ex Nostris Vazq. Salas, Ovied. Compt. disp. 19. de vis. sect. 5. num. 1. quos sequitur Gonet tom. 3. disp. 2. de Beat. art. 2. num. 41.

3. Secunda sententia, fore dicendam beatitudinem, affirmat. Ità Schotistæ sequuti suum subtilem in 1. dist. 1. q. 2. cui ex more subscribit Mastrius tom. 1. tract. de vis. q. 8. art. 2. num. 242. Ex Nostris Ex. D. Molin. Ripald. & tandem ipse Arriag. disp. 50. de Beatit. sect. 1. num. 7. & apud ipsum ipse tract. de vis. disp. 4. vbi asserit se latè de hoc; ibi tamen nec verbum quidem de præsenti quæstione.

4. Tertia sententia (pro qua citat aliquos Recentiores, supresso tamen nomine, Arriaga) tenet: aliqua esse in Deo prędicata præcipua, & capitalia, qualia sunt Omnipotentia, Justicia, Relationes, &c. quorum omnia debent attingi per visionem, quæ dicenda est beatitudo, taliter; vt si aliquod ex his non cognoscatur, beatitudinis excellentiam amittat: alia verò minùs præcipua, & principalia, v. g. continétias creaturarum, quas videre distinctè, & in particulari pro beatitudine non requiritur. Meritò rejicitur hic modus discurrendi, vel quia nil addit de novo primæ sententiæ, vel quia ejus fundamentum pænitùs caret fundamento; vt ei postea respondendo constabit.

5. Dico: *cognitio Essentiæ sine Personalitatibus, & vnius attributi, & Personæ sine alijs & vniversaliter, cognitio intuitiva cuiuslibet prædicati divini sufficit ad beandum.* Probatur primo conclusio: cuilibet cognitioni intuitivæ cuiuslibet prædicati divini vt talis, plus minusvè, aut nullo alio attacto, adaptatur definitio beatitudinis formalis: ergo quælibet cognitio Essentiæ sine proprietate, vnius attributi sine alijs &c. sufficit ad beandum. Probatur antecedens: quælibet cognitio intuitiva cuiuslibet prædicati divini vt talis est possessio intentionalis summi boni; hæc est definitio beatitudinis formalis: ergo. Consequentia deducitur. Minor supponitur ex quæst. prima, & ex toto tractatûs contextu. Maior duas partes continet: quod sit possessio intentionalis, & quod sit summi boni objectivi possessio. Quoad primam cõstabit ex iam dicẽdis, dum defendamus, beatitudinẽ formalẽ adęquatè sitam in cognitione, cui ex modo proprio tendendi esse possessionem objecti, competit. Quoad secundam constat: nàm quodlibet prædicatum divinum quá tale ratione divinitatis, & infinitudinis transcendentis ipsum est summè bonum, summè satiativum appetitûs rationalis, immò per me æquale cuilibet alij, & omnibus simul sumptis: ergo.

6. Probatur secundò conclu-

ſio evertendo præcipuum adverſę partis fundamentum, & ſtatuendo id, quod ſupra poſſeſsionem ſummi boni requiritur ad beatitudinem: eatenus quælibet cognitio intuitiva cuiuslibet prædicati divini ſine alijs non eſſet beatitudo, quatenus non ſatiaret appetitum rationalem ſufficienter ad expellendam animæ inquietudinem; ſed ſatiaret, omnemque expelleret anxietudinem: ergo. Probatur minor: de facto intellectus inquietus non manet, licèt de facto poſsit in Deo videre plura, quàm videat, plures ſcilicèt creaturas, ideas, & præcontinentias. Itē de facto viſiones ſunt inæquales etiam intenſivè, infanſque proindè infinitè minorem viſionem habet, quàm Chriſtus, & tamen ſatiatur, nec anxius hæret, vt habeat illam maiorem, nullâ aliâ ratione, niſi quià & ſi talis viſio, nec ſit ſummè intenſa, nec extenſa, eſt tamen poſſeſsio clara ſummi, & infiniti boni objectivi; ſed quęlibet clara, & intuitiva cognitio cuiuslibet prædicati divini ſine alijs, & ſi eſſet minor in eſſe cognitionis, eſſet tamen poſſeſsio intentionalis ſummi, & infiniti boni objectivi: ergo.

7. Ratio huius eſt: quià cum tunc appetitus videntis intuitivè quodlibet prædicatum divinum eſſet ordinatiſsimum, ratioque ſummè conformis diſpoſitioni divinæ, & noſceret, ſe liberaliter accepiſſe eam viſionem, vel ſaltem poſſe Deum abſolutè opera ipſius impræmiata relinquere, nec anxiaretur, ſed cederet voluntati divinæ id inducenti, nec maiorē viſionem appeteret appetito oppoſito quietudini requiſitæ ad beatitudinē formalem.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESPONdetur.

8. **O**Bijcies primò: viſio beatificans debet cognoſcere Deum vt eſt in ſe à parte rei; ſed viſio Eſſentiæ ſine Perſonis, aut è contra non cognoſceret Deū vt eſt in ſe à parte rei: ergo non ſufficeret ad beandum. Minor conſtat: Deus enim in ſe per realem identitatem & eſt trinus, & vnus: ergo viſio attingens illum vt vnum, & non vt trinum, non cognoſceret eum vt eſt in ſe. Minor probatur ex illo Joannis 1. cap. 3. *Cum apparuerit ſimiles ei erimus* (ſcilicèt Beati) *quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Vbi notanda eſt cauſalis illa, *quoniam*, quaſi ratio eſſendi beatos per viſionem ſit, quod ipſa viſio cognoſcat Deum, ſicuti eſt in ſe: vndè & ipſa ſit beatitudo, & nō aliter.

9. Eodem argumento probant Thomiſtæ, non poſſe videri intuitivè Eſſentiam ſine Perſonis, idem enim requirunt ad viſionem intuitivam, ac beatificantem. Imò indè confirmat Gonet num. 45. talem viſionem non poſſe eſſe beatitudinem, quià non eſt intuitiva, immemor certè ſuppoſiti quæſtionis, imò & ſui ipſius, qui proximo num. 42.

Montesini probationem impugnat, eo quod suppositum quæstionis relinquat, probans, non posse beare visionem Essentiæ sine Personis, quia nequit videri Essentia sine Personis. Tu probas, non beare, quia non potest intuitivè videri Deus vt vnus, quin videatur vt trinus, suppositum ergo destruis. Vel rogo: quid supponitur in præsenti quæstione? Quod Deus pòssit videri abstractivè vt vnus, & non vt trinus? Neutiquam. Tùm quià hoc de facto evenit: tùm quià de cognitione abstractiva dubitari nequit, quod sit vel non beatitudo; cum apud omnes certum sit, ità non esse: tùm quià per te num. 40. hoc pro investiganda ratione formali, & essentiali beatitudinis fit aliqua suppositio impossibilis similis illi: *Si Spiritus Sanctus, non procederet à Filio &c.* sed cognosci abstractivè Deum vt vnum, & non vt trinum, nō est suppositio impossibilis, vt per se patet: ergo quod hìc supponitur, est, posse cognosci intuitivè Deum vt vnum, quin cognoscatur vt trinus: ergo probare talem visionem, non beare, quià non esset intuitiva, est manifestè id ipsum quod supponitur, destruere. Quapropter

10. Respondetur eo modo, ac supra, cum hoc argumentum contra visionem intuitivam præscindentem apposuimus. Distinguo maiorem: visio beatifica debet cognoscere Deum vt est in se à parte rei, id est, per species proprias, & immediatas, nil attingendo, quod non sit, & existat à parte rei, concedo: id, est, adæquatè, nego. Nec de ratione intuitionis, nec de ratione intuitionis beatificantis est attingere objectum beatificans secundùm adæquatum, quod dicit, aut adęquatè. Constat hoc etiam ad hominem contra adversarios ipsos: Deus enim in se à parte rei non minus est trinus, quàm continens creaturas possibiles, Leonem v. g; sed per vos visio præscindens à cōtinentia Leonis esset beatificans, cum esset possessio summi, & infiniti boni objectivi: ergo & visio attingens Deum vt vnum, & præscindens à Trinitate.

11. Objicies tertiò ex Gonet, num. 45. illa solùm cognitio Dei est beatificativa, quæ quietat appetitum innatum gratiæ; sed appetitus innatus gratiæ est ad Deum videndum, prout est in se ipso: ergo. Probatur minor: gratia est semen gloriæ: ergo inclinat ad Deum videndum eo modo, quo de facto à Beatis videtur, sed de facto à Beatis videtur, prout est in se ipso, trinus scilicèt, & vnus: ergo.

12. Argumentum nil prætet voces continet. In primis: nunquàm vidi, visionem beatificam definiendam per quietare appetitum innatum gratiæ, sed per possessionem intentionalem summi, & infiniti boni, qualis esset visio Dei, & vnius, nec item appetitum innatum gratię esse ad videndum Deum secundùm adæquatum, quod dicit, cum de facto Beatus, in quo est gra-

tiæ, eum quoad omnes præcontinentias non videat: ad summum ergo, eo quod sit semen gloriæ, inclinabit ad videndum Deum per visionem beatificantem, qualis esset visio inadæquata. Insuper: propositio major est àbsolutè falsa: Nàm, si in homine non habente gratiam daretur visio intuitiva Dei, hæc esset beatifica, & tamen non quietaret appetitum naturalem gratiæ, qua careret. Vlteriùs: licèt fieret violentia gratiæ inclinanti ad videndum Deum, sicut de facto eum vident beati, non maneret inquietus animus rationalis sciens, hanc esse Dei voluntatem, cui summè conformis esset, sed se haberet hęc violentia sicut ea, quæ fuit humanitati expoliatę propriâ subsistentiâ, & ornatæ divinâ Personalitate. Vndè solùm sequeretur, naturaliter, & de facto videre Beatos omnia prædicata divina; non verò, non posse divinitùs aliter se habere. Denique: gratia dicitur semen gloriæ eo, quod ipsi gloria debeatur, seu visio intuitiva Dei juxta gradus gratiæ, & per modum præmij; ex eo autem, quod Deus denegaret præmium adæquatum correspondens gratiæ absolutè loquendo, & in alia providentia, nec violentiam, nec injustitiam faceret, vndè non maneret inquieta. Quapropter, vel nego majorem argumenti, vel omitto illam, & distinguo minorem ità: sed appetitus innatus gratiæ est ad videndum Deum prout est in se ipso, id est, adequatè, nego: id est, per proprias species, concedo. Vel ità: per modum meriti, concedo: aliter, nego. Vel si vis, concede minorem, & ad probationem concede totum, sed ex eo, quod ità inclinet, non infertur, animum rationalé manere inquietum, cum sciat, hoc Deum velle, cui summè conformis in omnibus supponitur.

14. Objicies tertiò ex eodem Gonet. num. 46. Non minus est de ratione Beatitudinis quietare perfectè voluntatem, quàm intellectum; sed, si visio terminaretur tantum ad Essentiam, & non ad modum, quò subsistit, hæc in tribus divinis Personis, non quietaret intellectum: ergo. Probatur minor: videns aliquam formam, desiderat videre modum, quô subsistit, nec quietatur, donec videat illum. Quod confirmat: nàm si natura divina vnico tantùm gauderet supposito, non quietaretur intellectus, qui eam videret, si non videret simul eam subsistentem in tali supposito: ergo nec defacto quietaretur, si non videret eam subsistentem in tribus. Poterat secundò confirmare ex Caietan. Si in Deo esset vnica tantùm Persona, natura istius, sine Personalitate non esset objectum beatificans, nec quietans: nàm finis, sicut & principium nostrum, non est Deitas, sed Deus; sed Deus includit Personalitatem: ergo hæc deberet ingredi casu posito objectum beatificans: ergo & nunc Personalitates.

Res-

14. Respondetur, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo primam partem propositionis: videns aliquam formam, desiderat videre modum, quô subsistit; desiderio inquietanti, & opposito requiei, nego: desiderio, quod solùm convertitur cum aliqua inclinatione non opposita requiei, concedo. Ad modum, quô Angeli desiderant videre Deum, quem vident juxta illud: *In quem desiderant Angeli prospicere*: quin hoc desiderium requiem, & quietudinem immutet. Ità ergo, cum videns Essentiam sciret aliàs abstractivè, vel per notitiam à Fide in via habitam, hanc Essentiam triplici subsistentia terminari, certè in huius visionem inclinaret; sed cum aliàs Essentiam infinitè pulchram intuitivè videret, sciretque huius dispositionem (cui summè esset conformis) esse occultare Personalitates, raptus pulchritudine summâ, quâ frueretur, quasi oblitus maneret maioris boni, ac proindè nullatenus anxius, & inquietus. Quemadmodum, & si pueruli sciant, alios Sanctos, Apostolos v. g. maiori beatitudine gaudere, pluraque videre in Deo, quàm ipsi; id non inhiant, neque invident, sed suâ visione contenti, in ea sistunt, & quietantur.

15. Ad confirmationem primam, nego antecedens: casu enim posito vnicæ tantùm Personæ, & subsistentiæ, eo modo discurrendum. Ad secundam confirmationem idem dic. Et ad probationem adde: principium, & finem nostrum non esse necessariò Deum concretivè sumptum, sed vel concretivè (ità de facto est) vel abstractivè pro Natura, & ità esset in casu conclusionis: finis namque beatificans objectivè est summum, & infinitum bonum, qua tale; sed ità se haberet sola Natura visa: ergo.

16. Objicies quartò ex eodem num. 47. Deus præcisè vt vnus non est sufficiens objectum suæ beatitudinis: ergo nec nostræ. Consequentia patet: nàm, cum nostra beatitudo sit participatio beatitudinis divinę, vtraque debet habere idem objectum; sicut, quià Charitas est participatio amoris divini, noster amor debet habere pro objecto eandem bonitatem divinam, quam amor divinus attingit. Antecedens probatur. Beatitudo divina est comprehensio Dei; sed Deus vt vnus tantùm non est sufficiens objectum comprehensionis sui, comprehensio namque divina, vtpotè perfectissima, & infinita, debet attingere quantum cognoscibile est in objecto, ac proindè Personalitates: ergo. Idem explicat num. 48. si Deus se cognosceret vt vnum, & non vt trinum, talis visio non esset beatitudo, siquidem talis visio non esset comprehensio Dei: ergo similiter, si nos cognoscamus Deum vt vnum tantùm, hæc visio beatitudo non esset.

17. Argumentum retorqueo. Si Deus se cognosceret vt vnum, & tri-

trinum, non tamen creaturas possibiles, se neutiquam comprehenderet, nec talis visio esset comprehensio Dei, cũ ad hanc non minus requiratur attingere quidquid formaliter, sed etiam quidquid eminenter est in objecto: ergo nec talis cognitio esset beatitudo Dei. Ex quô duplex infertur consequentia. Prima: ergo creaturæ possibiles pertinent ad objectum beatificans. Secunda: ergo nec nos si vltra vnitatem, & Trinitatem, creaturas possibiles non cognoscamus, nec beatificabimur; cum beatitudo nostra sit participatio beatitudinis divinæ: ex quò vniversaliter deducitur, plus requiri ad comprehensionem, quàm ad beatitudinem formalem, plusque ad objectum comprehensionis, quàm ad objectum beatificans, nec sese mutuò converti. Ad comprehensionem enim requiritur, quod attingat quidquid formaliter, & eminenter est in objecto; vndè hoc debet esse tàm directè cognoscibile, quàm indirectè; ad beatitudinẽ solùm requiritur, quod sit cognitio clara, & intuitiva summi, & infiniti boni, & quod objectum sit summum, & infinitum bonum; sed cognitio solius Essentiæ est cognitio clara summi, & infiniti boni, & sola Essentia sine Personalitatibus est summum, & infinitum bonum: ergo licèt cognitio Essentiæ sine Personalitatibus non esset comprehensio, esset tamen beatitudo. Hinc in forma ad argumentum

18. Respondetur: distinguo antecedens: Deus vt vnus non est sufficiens objectum suæ beatitudinis, quà beatitudo est formaliter, nego: qua talis beatitudo est divina, & comprehensiva, concedo. Ad probationem distinguo maiorem: Beatitudo divina est comprehensio Dei, quâ beatitudo formaliter, nego: quâ divina, concedo. Vndè cum nostra beatitudo non sit participatio divinæ, quâ divina est, & quà comprehensio, sed quâ beatitudo, evadet ità cognitio nostra intuitiva Essentiæ, & præscindens à Personalitatibus. Et ex ipso modo arguendi colligitur disparitas. Arguit enim: Beatitudinem divinam debere necessariò terminari ad Deum, tàm vt vnum, quàm vt trinum, quià beatitudo divina est comprehensio Dei: ergo cum certum sit, beatitudinem nostram, nec esse, nec posse esse comprehensionem Dei, infertur, vel non posse esse beatitudinem, quod non dices; vel non esse participationem beatitudinis divinæ, vel nullam dari paritatem inter beatitudinẽ divinam, & nostram, vel denique conceptum comprehensionis esse inferiorẽ, & contractivum beatitudinis, nec mutuò cum ipsa cõvertibilem, ac proindè, quod licèt actus attingens Essentiã sine Relationibus non sit comprehensio, possit tamen esse beatitudo.

19. Dices cum Gonet num. 49. intendens satisfacere evidentĩ retortioni à nobis factæ, creaturas possibiles pertinere ad objectum comprehensionis Dei, non primario

tio, sed secundario tantùm, vt terminos connexionis cum Omnipotétia; relationes verò pertinere vt terminos primarios,& indè,licèt relationes pertineant ad objectum beatitudinis essentialiter, non ità creaturæ posibiles.

20. Contra tamen: certa est disparitas, sed omninò materialis, & impertinens ad rem; quod patet. Ideò per te visio Essentiæ sine relationibus non esset beatitudo, quià non esset comprehensio; sed visio Essentiæ, & relationum sine creaturis posibilibus non esset comprehensio, vt per se patet: ergo nec beatitudo. Sicut enim quod creaturæ posibiles sint objectum indirectum comprehensionis divinæ non facit, quod cognitio præscindens ab ipsis sit comprehensio, eo quod hæc debeat terminari ad objectum tàm directum,quàm indirectum: vndè quod sit directum, vel indirectum omninò materialiter se habet ad punctum comprehensionis; ità omninò materialiter se habebit ad punctum objecti beatifici, quod sint objectum directum, vel indirectum. Vel si æquo pede non currunt comprehensio Dei, & beatitudo Dei, paritas nulla erit. Et sicut cognitio intuitiva Essentiæ, & relationum non attingens creaturas posibiles esset beatitudo formalis Dei, & non comprehensio, ità cognitio intuitiva Essentiæ sine relationibus, esset similiter beatitudo, & non comprehensio.

21. Objicies quintò ex eodem num. 49: relationes divinæ pertinent essentialiter ad objectum primarium beatificans, vtpotè modi essentiales naturæ divinæ, & termini intrinseci fœcunditatis divinæ: ergo implicat, illis non visis, subsistere beatitudinem. Consequentia constat: nàm negatio actûs rectè colligitur ex defectu cujuslibet essentialiter pertinentis ad illius objectum, etiamsi vt modus tantùm ipsum ingrediatur.

22. Antecedens est æquivocum: vel nego illud,si pertinere essentialiter ad objectum primarium beatificans intelligas, relationibus ablatis, non posse dari essentiam objecti beatifici, sicut sine rationali non datur homo. Vel illud distinguo: relationes divinæ pertinent essentialiter ad objectum primarium beatificans respectu visionis ad ipsas terminatę, concedo: respectu cujusque visionis beatificantis, nego. Ad modum,quo licèt respectu cognitionis intuitivæ terminatæ indivisibiliter ad Petrum, & Paulum, Paulus sit objectum primarium ipsius, ità vt negato Petro, rectè colligatur, negatio talis actûs, non tamen indè sequitur, non posse dari cognitionem intuitivam solius Pauli, quæ, etsi Petrus negetur, subsistat, ità licèt respectu visionis intuitivę (qualis est de facto subsistens) relationes sint objectum primarium, ità vt his non attactis, rectè negetur hæc visio, non indè infertur, repugnare aliam visionem terminatam tantùmodò ad Essen-

tiam

tiam, quæ non negetur, relationibus ipsis negatis, quę cum sit possessio, & intuitio summi boni, esset quoque beatitudo formalis.

23. Obijcies sextò: relationes divinę, vel addunt bonitatem, & perfectionem ad Essentiam, vel non. Si addunt: ergo cum beatitudo formalis ad omne bonum se extendat, illis non visis, nequit subsistere essentia beatitudinis formalis. Si non addunt bonitatem, addent ad minùs veritatem, cum sint entitates reales, & veritas entitatem sequatur. Quo sic arguitur: non minùs est de ratione beatitudinis quietare perfectè intellectũ, quàm satiare voluntatem; sed si relationes adderent bonitatem, illis latentibus, non satiaretur voluntas, cum non terminetur ad omne bonum: ergo si addunt novam veritatem, cum non videntur, non quietabitur perfectè intellectus, cum non terminetur ad omne verum.

24. Thomistæ communiter tenentes, relationes divinas non addere bonitatem, & perfectionem Essentię, tenent etiam, nec addere novam veritatem, eo quod non addant illi diversam immaterialitatem, & intelligibilitatem, sed gaudeant solùm eâdem immaterialitate, & intelligibilitate Essentiæ, quæ gerit vices speciei intelligibilis, & objecti motivi respectu sui, attributorum, & relationum. In quibus principijs argumētum vtroque capite truncum est. In meis verò defendentibus, relationes dicere, & addere perfectionem, nullius roboris; cum falsum sit, beatitudinem formalem debere terminari ad omne bonum, sed solùm ad bonum summum, & infinitum; ità se haberet visio terminata ad Essentiam, præscisis Personalitatibus, etsi hæ addant perfectionem, & bonitatem: ergo.

25. Obijcies septimò: relationes non sunt objectum minùs præstans, quàm Essentia: ergo debent videri non minùs, quàm Essentia, vt visio sit beatificans.

26. Respondetur, concedo antecedens, de quo alij disputabunt, & nego consequentiam. Cum visio, vt sit beatitudo, non debeat terminari ad omne objectum æquè præstans, imò per me quælibet præcontinentia divina est objectum æquè præstans, ac Essentia ratione æqualitatis inter se, & tamen non quælibet visio, vt sit beatitudo, debet terminari ad omnes præcontinētias.

27. Obijcies octavò pro tertia sententia: si prædicata præcipua, v. g. Omnipotentia, Justitia, &c. non viderentur in Deo, non satiaretur appetitus; aliter autèm minus præcipua, continentiæ v. g. creaturarum: ergo etsi, his non visis, detur beatitudo; non tamen illis non attactis. Probatur antecedens: si aliquod ex primis prædicatis Deo deficeret, non esset æquè perfectus, ac nunc est, aliter si deficeret aliquod ex secundis: ergo licèt incognito aliquo, vel aliquibus ex secundis, non maneret animus ratio-

tionalis inquietus, ità tamen maneret, aliquo incognito, vel aliquibus ex primis.

28. Triplici supposito falso fundatur argumentum, vndè & ipsum nullum est. Primum: in Deo dari prędicata aliqua minoris perfectionis, aut minus præcipua respectu aliorum, cum omnia æquè perfecta sint. Secundum: deficiente aliquo ex prędicatis (quæ vocant minus præcipua) manere Deum æquè perfectum, ac nunc: certum namque est, deficiente in Deo præcontinentia formicæ v. g. nõ manere Deum æquè perfectum, cum non maneret productivus omnis creaturæ posibilis, imò nec maneret idem Deus, cum deficeret illi aliquod prędicatum secum realiter identificatum. Tertium: quod posit manere Omnipotentia (quam dicunt prædicatum præcipuum) deficiente præcontinentia alicuius creaturæ, cum Omnipotentia nil aliud sit, quàm omnes pręcontinentiæ omnium creaturarum. Nego igitur antecedens, & simul antecedens probationis. Solutio constat ex dictis.

)(***)(

QUÆSTIO XIX.

VTRVM BEATITVDO FORmalis essentialiter consistat in actu intellectùs, vel voluntatis?

CVm omnes quæstiones pertinẽtes ad tractatum de Beatitudine in hoc de visione tractatas habuerimus, nè pręcipua desideretur, eam tractare decrevi. Quapropter

1. Prima sententia tenet: illam adæquatè consistere in solo actu voluntatis. Ità Schotus in 4. distinct. 49. quæst. 3. 4. & 5. & omnes eius discipuli, quos sequitur Ægyd. Lusitan. lib. 4. quæst. 7. artic. 2. maximè tamen digladiantur in asignando actu, qui sit essentialis beatitudo. Alij volunt, esse amorem amicitiæ distinctum à gaudio, quô Beati amant Deo suam bonitatem intrinsecam, & extrinsecam. Alij gaudium amicitiæ, quô lætantur de tali bonitate à Deo possessa, quia Deo conveniens est. Alij judicant esse amorem concupiscentiæ strictum à gaudio, & desiderio distinctum, qui fertur in summum bonum, provt nostrum bonum est. Alij verò, esse concupiscentiæ gaudium, seù dilectionem, quâ de Deo, vt à nobis possesso delectamur.

2. Secunda sententia docet: consistere simùl in actu intellectûs, & voluntatis, visione scilicèt, & amore, taliter vt neque in sola visione,

ne, neque in solo amore, sed in vtroque sita sit. Ità Bonav. Hug. Victorin. Ricard. Gabriel, Alens. OKam. Holcot. Aureol. & alij apud Exim. Doct. maximè proclivem. Veg. Cordub. Henr. Valent. & alij, quos citat, & sequitur Pater Amicus in præsenti d. 2. num. 115. sect. 6. Inter quos cum sit æquale dissidium circa actum voluntatis, in quô essentialiter consistat; vltra alij visionem esse præcipuam tenent, alij amorem.

3. Tertia sententia statuit duplicem beatitudinem, aliam quę in sola visione seorsim ab amore, aliam, quę in solo amore seorsim à visine adæquatè consistat, ità vt in quolibet seorsim ab alio reperiatur conceptus essentialis beatitudinis, & in vtroque etiam compositione quasi homogenea complectente plures beatitudines. Itâ sapientissimus Ripald. tom. 2. de Ente supernat. d. 100. sect. 3. num. 12. quam sententiam nunc vsque tenui, sæpèque defensavi, sed re benè perpensâ, cum dissidium sit de nomine, omnesque aliarum opinionum difficultates in sententiam Ripaldæ manus conferant; satiùs duxi breviori calamo beatitudinis essentiam pertractare.

4. Quarta sententia statuit, beatitudinem formalem in solo actu intellectûs essentialiter consistere. Ità D. Thom. hic. quæst. 3. & 4. & 3. contra Gentes cap. 25. 26. & 27. cui subscribit Caietan. Conr. Mend. Lorc. Joann. à Sanct. Thoma. Gonet, omnesque Thomistæ. Magister Gibon. d. 5. dub. vlt. num. 4. Ex nostris duo lumina Suar. & Vazquez. Primus tract. 1. d. 7. sect. 1. secundus, d. 11. cap. 3. Tanner. d. 1. quæst. 2. Arriaga. tract. 2. d. 49. artic. sect. 1. Ovied. tract. 1. de bat. punct. 7. num. 89. alijque communiter.

SECTIO I.

ALIQVIBVS NOTATIS, nostra sententia proponitur, & probatur.

5. NOto primò cum Acutissim. Vazquez num. 8. Arriaga num. 1. & alijs, quæstionem, & si huius tractatûs celeberrimam, vt ait Arriaga, esse, vel magna ex parte de nomine; nec qui eam ponit in amore aliquid de realitate sua visioni negat, nec è contra aliquid amori adimit, qui eam in visione collocat, sed quilibet discurrit consequenter ad significationem, quam tribuit beatitudini vt sic. Omnes enim Theologi supponunt integritatem, & connaturalem statum beatitudinis sistere non posse sine visione, nec sine amore, imò, nec sine collectione aliorũ donorũ, quæ statum beatitudinis complent, & perficiunt. Quemadmodum in principijs Thomisticis nequit stare status connaturalis completus, & perfectus animæ sine potentijs, licèt hæ sint extra essentiam metaphysicam animæ, vtpotè ab ipsa realiter distinctæ. Cum autem hoc ità sit,

quare potius in visione, quàm in amore consistat Essentia metaphysica, conceptusque primarius beatitudinis? non parum videtur habere de nomine. Neque ratio possessionis, quam vnus tribuit visioni, & alius amori, in ea ponentes conceptum beatitudinis, vocibus caret: hoc enim ipsum est de nomine; an scilicèt visio objecti, an amor illius. dicenda sit possessio?

6. Vndè dupliciter possumus de beatitudine loqui. Primò quasi physicè, & prout dicit statum omnium bonorum aggregatione perfectum, prout Boetius loquitur. Secundò, metaphysicè, prout dicit conceptum essentialem, & primarium, quo essentia beatitudinis sistit, & salvatur, quo posito, reliquis per possibile, vel impossibile ablatis, daretur beatitudo, licèt non integraliter perfecta, essentialiter tamen completa: aliud namque est esse; aliud verò connaturaliter, & integraliter esse. Beatitudinem primo modo sumptam, quis dubitet, includere actus intellectûs, & voluntatis, visionem intuitivam Dei, & amorem ipsius, contemplationẽ, fruitionem, gaudium, possessionem, cognitionem reflexam perpetuitatis visionis, exclusionem dolorum, anxietatum, & alia pleraque. Secundo modo sumpta solùm includit illa prædicata, quibus salvatur essentia beatitudinis. Et ità in præsenti loquimur, dum rogamus, an in sola visione, an in solo amore, vel in vtroque beatitudo consistat?

7. Noto secundò, apud omnes Theologos indubitatum esse, beatitudinem debere esse assequutionem, adeptionem, possessionem, seu apprehensionem Dei, qui est summum bonum, seu beatitudo objectiva; non tamen assequutionem, seu possessionem physicam, & corpoream, qualis fit per vnionem, quæ solùm competit Christi Humanitati, neque per penetrationem, & præsentiam localem, causalitatemvè efficientem, quæ communis est omni creaturæ, neque moralem per jus, aut dominium, quod creaturæ repugnat in Deum, neque per gratiam sanctificantem, quæ omnibus justis in via communis est; sed intentionalem, per actum cognoscendi, & amandi Deum: vndè ille actus, vel intellectûs, vel voluntatis, cui conveniat esse possessionem, assequutionem, adeptionem, seu apprehensionem Dei, hic erit beatitudo formalis.

8. Dico: *Beatitudo formalis adæquatè, & vnicè consistit in visione.* Conclusio duplicem continet partem: quoad primam est affirmativa, nempè quod consistit in visione, quoad secundam verò negativa, quod scilicèt adæquatè, & vnicè consistat in visione, ità namque excludit omnes, & quoscumque actus voluntatis à conceptu beatitudinis, tam conjunctim, vt tenet secunda sententia, quàm seorsim, vt affirmat tertia. Et licèt quoad vtrâque pluribus authoritatibus Sacræ Scripturæ, Patrũ, & Conciliorum pro-

probari soleat, judico similem probationem satis inefficacem. Cum enim quæstio sit purè metaphisica, & Scriptura, Sancti Patres, & Concilia non determinent, quid in operibus pro beatitudine concurrentibus se habeat per modum Essentiæ, quid vè per modum proprietatis, complementi, aut perfectionis concomitantis, & subsequentis, vix aliquid certi potest haberi, aut desumi ex his authoritatibus, cum facilè possint explicari vtrinque: illæ, quæ ponunt beatitudinem in fruitione, & gaudio, alijsque vocibus ad voluntatem pertinentibus, cum Divo Thoma, de Beatitudine, non essentialiter, sed consũmativè, perfectivè integraliter, aut complevè; & illæ, quæ eam ponunt in cognitione, alijsque ad intellectum expectantibus, cum Schoto de Beatitudine præsuppositivè. Et cum frequenter sint affirmativæ, & affirmatio vnius non sit negatio alterius, eis se protegunt secunda sententia de conjuncto, & præcipuè tertia de diviso.

9. Nihilominus tamen aliquæ authoritates exclusivæ reperiuntur, ex quibus efformatur prima conclusionis probatio. Prima sit Hilar. 3. de Trinitate paulò ante medium, vbi: *Æternitatis gloria sola est Dei cognitio.* Secunda sit August. in soliloquijs cap. 16. *Hoc est*, inquit, *plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui.* Tertia eiusdem capite vltim. lib. 1. de Trin. *Visio, quâ contemplabimur immutabilem Dei substantiam &c. sola est summum bonum.* Quarta Glossæ supra illud 1. Joannis 3. *Quoniam videbimus eum, sicuti est*, dicentis, *sola enim visio beatificat.* In quibus authoritatibus notandæ sunt particulæ exclusivæ. *Sola*, *Plena*, *Tota*, quibus in visione vnicè, & adæquatè ponitur beatitudo, excluditurque ab eius constitutione quicumque alius voluntatis actus.

10. His adde Angelic. Præceptorem, qui expressè, & rigore scholastico conclusionem tenet, quæst. 3. artic. 4. & tota eius Schola. Ex nostra duo capita Suar. & Vazquez, alijque frequenter, quod in quæstione de nomine, cum in contrarium nulla efficax ratio reluceat, authoritatesque aliorum Sanctorum, pro contraria allatæ, quæ æquivalere poterunt authoritatibus Divi Thomæ, parum faciant, ponderosissima probatio est.

11. Probatur secundò ratione: Beatitudo formalis est possessio, assequutio, adeptiovè beatitudinis objective, nempè Dei; sed visioni, non verò amori convenit esse formaliter possessionẽ, assequutionem, adeptionemque beatitudinis objectivæ, nempè Dei: ergo visioni vnicè, & adæquatè convenit esse beatitudinem formalem. Maior est certa, & supponitur cum D. Thoma à Theologis ex illo 1. Corinth. 1. vers. 24. *Sic currite, vt comprehendatis*: & ad Philippens. 3. vers. 12. *Sequor, si quomodo comprehendam.* Minor duas continet partes.

Quo-

Quoad primam, quod scilicèt visioni Dei conveniat esse possessionem, & assequutionem ipsius, probo primò authoritate D. August. lib. 83. quæstionum. quæst. 35. vbi: *Quid aliud est beatè vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? æternum est enim, de quo solo rectè fiditur, quod amanti auferri non potest. Idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere, quàm nosse.* Et infra: *omnium rerum præstantissimũ est, quod æternum est, & propterea id habere non possumus, nisi ea re, qua præstantiores sumus, id est, mente.* Ergo cognoscendo Deum, Deum habemus, assequimur, & possidemus.

12. Probatur secundò: illud est formaliter possessio alicuius rei, vi cuius illâ possumus vti, fruivè, eâ ratione, qua circa illam potest esse vsus, & fruitio, illã quasi præ manibus habemus quasi applicatam, præsentem, atque conjunctam ad vtendum, & fruendum illâ, juxta ipsius capacitatem; sed ex vi visionis est Deus nobis præsens, applicatus, atque conjunctus, vt eo possimus frui, vti, cum possimus illum amare, in eo gaudere, quod est vsus, & fruitio possibilis circa Deum: ergo visio est formalis possessio Dei, apprehensio, assequutioque ipsius. Cõsequentia legitimè infertur: minor est certa, maior constat ex definitione possessionis traditâ à Theologis, & Juristis. Omnes enim possessionem definiunt per *apprehensionẽ, & tentionem rei.* Vt videre est apud Cobartubias, ad regulam, *Possessor*, parte 2. Lesius de Just. & Jure. lib. 2. cap. 3. dub. 3. Silvester verbo *Dominium*, & alios.

13. Confirmatur paritate corporeę apprehensionis in ordine ad fruitionem rei materialis, & vsus proprios illius dedutâ ab Angelico Doctore. Sicut se habet corporea apprehensio rei sensibilis in ordine ad vsus illius, ità se habet apprehensio intellectualis Dei in ordine ad fruitionem, & vsus possibiles ipsius Dei; sicuti enim homo ex vi possessionis, & apprehensionis pecunię, potest eam impendere liberali donatione, mutuo onoroso, aut emptione vtili; ità ex vi possessionis, & apprehensionis boni infiniti, voluntas eo vtitur, amando illum, & fruendo ejus bonitate applicatâ, & possessâ, quod est vsus licitus, & possibilis talis boni; sed res sensibilis, pecunia nempè, tunc consequitur, & tenetur, *non cum aliquis vult eam tenere* (verba sunt D. Thomæ) *sed cum manu ipsam apprehendit, vel aliquo hujusmodi. & tunc jam delectatur in pecunia habita*: ergo similiter summum bonum tunc tenetur, & possidetur, non cum illud volumus, nec cum illo fruimur, sed cum sit præsens nobis per actum intellectûs, & tunc voluntas delectata conquiescit in bono jam adepto. *Sic igitur* (concludit Magnus Thomas) *Essentia beatitudinis in actu intellectus consistit, sed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens.*

14. Hinc iam relucet secundæ par-

partis conclusionis probatio, nempè quod possessio, & assequutio summi boni in nullo actu voluntatis consistat. Quia vel præcedit ad assequutionem, & possessionem boni, vel consequitur possessionem, & assequutionem, vel præscindit ab assequutione, & possessione; est enim vel desiderium, quod tendit in bonum absens, vel gaudium, & delectatio, quæ tendit in bonum præsens, & possessum quâ tale, vel amor strictus, qui præscindit ab absentia, & præsentia boni; sed in nullo ex his actibus consistit possessio, & assequutio summi boni: ergo. Probatur minor: non consistit in desiderio; tùm quia in Patria actus iste non reperitur circa Deum, ejusque bona intrinseca: tùm quia, cum tendat in bonum absens quâ tale, nequit esse possessio, & assequutio talis boni, tùm quia appetere, & desiderare ex conceptu ipsius, & modo tendendi non est assequi rem appetitam, & desideratam, sed inclinari, & tendere in eam. Sic res cognitione carentes per appetitum innatum tendunt in bonum conveniens suæ naturæ; animalia verò per appetitum elicitum excitãtur ad illud quærendum, & consequuntur illud per actum alterius potentiæ v. g. lapis per gravitatem, quæ est inclinatio ipsius, tendit in centrum, non tamen illud per gravitatem assequitur, sed per vbicationem ipsi superadditam: ovis per famem, & appetitum incitatur ad quærendum pabulum, dentibus tamen, ac ore illud attingit: homo per voluntatem appetit divitias, cibos, odores, voluptates, & per diversas potentias, ac sensus illa consequitur; manu enim apprehendit pecunias, cibos gustu, flores odoratu, voluptates tactu.

15. Ità ergo homo per voluntatem, ejusque actus non tenet, possidet, aut apprehendit bonum, sed per intellectum, & intellectualem visionem, quam liceat vocare visionem, auditionem, tactum, gustum, & olfatum Dei, quatenus eminentiori modo, quàm nostri sensus percipiunt hęc objecta delectabilia, illa percipit quidquid pulchrum, honestum, delectabile, amænum, & dulce in Deo est, cum alijs infinitis perfectionibus, & sine vlla imperfectione.

16. Nequit consistere in gaudio, & dilectione. Tùm ob eandem rationem, & modum tendendi voluntatis per modum inclinationis, non per modum tentionis, & apprehensionis termini. Tùm quia, sicut desiderium est de bono absenti, & nondum habito, ità gaudium, & delectatio est de bono jam habito, & possesso per alium actum, quem talis delectatio consequitur: vndè non facit, sed supponit boni consequutionem, vt ait D. Thomas hìc art. 4. *Delectatio advenit voluntati ex hoc, quod finis est præsens, non autem è cõverso ex hoc aliquid fit præsens, quia voluntas delectatur in ipso.* Nequit denique consistere in amore stricto, quia hic ex modo ten-

tendendi, vel ex parte objecti motivi, aut terminativi juxta varias opiniones præscindit ab absentia, & præsentia boni, à possessione, & non possessione: ergo nequit esse possessio, & apprehensio ipsius.

17. Vltra: amor hic vel est concupiscentiæ, vel amicitię; sed neuter potest esse possessio, & assequutio summi boni: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quam etiam concedit Schotus asserens, in amore amicitiæ consistere beatitudinem; tribuitur tamen communiter Aureolo. Amor concupiscentiæ, quo amo Deum, quia mihi bonus est, nec adęquatè, nec inadæquatè est possessio ipsius Dei: ergo nullatenus sortitur conceptum beatitudinis. Probatur antecedens quoad primam partem: amor hic concupiscentiæ non est ex Deo possesso secundùm se, sed de possessione Dei: ergo jam supponit possessionem Dei, seu Deum vt possessum; sed possessio Dei est beatitudo formalis: ergo talis amor supponit beatitudinem formalem: ergo ipse non est adæquatè beatitudo formalis. Confirmatur primò: licèt talis actus esset possessio visionis Dei, de qua gaudet nõ esset cõsequutio Dei, sed amor consequutionis: ergo non esset beatitudo formalis, quæ debet esse possessio, & consequutio beatitudinis objectivæ, qualis non est visio Dèi, de qua gaudet, sed ipse Deus. Et si dicas, non solùm terminari ad visionem, sed ad Deum visum, cujus ideò dicitur etiam possessio, saltem non erit adęquata, cum visio Dei, supra quam reflectit, & à qua distinguitur, nequeat excludi à possessione Dei.

18. Probatur prima minor quoad secundam partem: quod scilicèt nequeat consistere possessio, & assequutio sũmi boni in amore amicitiæ, quod tenet Schotus. Amor amicitiæ in Patria est ejusdem rationis, & speciei cum amore amicitiæ in via; sed amor amicitiæ in via non est possessio, & assequutio summi boni, aliàs viatores comprehensores, & Beatos constitueret: ergo neque ità est amor amicitiæ in Patria. Major, quę vnicè eget probatione, ex eo constat, quod objectum motivum, nempè bonitas divina, sit idem, & principium, scilicèt potentia volitiva, & habitus charitatis, idem quoque in vtroque statu: ergo non est vndè amores diversificentur. Quod autem in via dirigatur Fidei cognitione, & in Patria visione clarâ Dei, solùm importat diversitatem ex parte propositionis objecti, ex qua diversitas in amorem non refunditur: quia tendentia intrinseca actûs hac, vel illa prælucente propositione, est omninò eadem. Cognitio ergo solùm se habens vt conditio applicans, non specificat voluntatis actus: vndè sivè hac, sivè illa propositione fiat, si eadem bonitas motiva, & terminativa proponatur, idem actus specificè evadit: ergo.

19. Probatur denique conclusio

sio ratione quasi à priori, ad quam vel per has, vel per illas voces omniũ tota doctrina reducitur. Hæc est diversitas in modo operandi, & se habendi intellectûs, & voluntatis. Intellectus enim ex modo proprio, & peculiari trahit ad se res, quas intelligit, vndè illas tenet, assequitur, & apprehendit, & intentionaliter possidet; voluntas verò in illas fertur, vndè eas non possidet, sed potius ab ipsis possidetur. Quæ quidem loquutiones, licèt comparatæ ad motum physicum, & localem sint metaphoricæ, vt contendit Ex. Doct. sect. 1. num. 11. & 13. attamen significant aliquem modum nativum, & peculiarem se habendi potentiarum, sufficientem, vt verè dicamus; hominem vi cognitionis intuivæ tenere, & possidere intentionaliter objectum, non verò voluntatem: nàm, vt ipsemet Suarius ait num. 16. per cognitionem formaliter res est in mente sicuti est in se, quod non fit per amorem; ex vi cuius terminationis, quam tractionem vocamus, objectum constituitur in potestate videntis, vt illo possit frui, & vti per amorem; quod juxta ipsum Suarium num. 14. est objectum intentionaliter possidere, prout ad beatitudinem requiritur: nàm quemadmodum, vt supra dixi, & Suarius loquitur, in rebus materialibus, quibus vtendum est, tunc dicimur illas adipisci, & possidere, quando ità constituuntur in nostra potestate, vt illis vti possiminus, sic vltimo fine, quô fruendum est, tunc nos dicimur illum adipisci, & intentionaliter possidere, quando ità in nostra mente constituitur, vt illo possimus voluntate, frui. Tunc sic; sed hoc habetur vi visionis, non verò amoris: ergo vi visionis, & non amoris possidetur Deus, consequenterque in visione, & non in amore consistit beatitudo nostra formalis. Fateor, post diuturnam cogitationem nullam aliam in hac re firmiorem rationem me invenire, ideoque ei præcipuè insisto.

SECITIO II.

ARGVMENTIS SVBTILIS Doctoris, & Schotistarum respondetur.

20. OBijcies primò aliquas authoritates, in quibus beatitudo amori tribuitur. Aliquas D. Augustini congerit Ripalda sectione 4. num. 22. alias verò alij, sed præcipuè opponuntur D. Thomæ verba, quæst. 4. artic. 8. ad 5. vbi *dicendum: quod perfectio Charitatis est essentialis beatitudini, quantum ad dilectionem Dei.* Vbi notanda est illa vox *essentialis* aliquid vltra perfectionem, & complementum significans.

21. Iam supra notavi, quod deindè notatum invenio apud Exim. & Acutissim. DD. Authoritatibus parùm esse fidendum. Possunt enim facilè vtrinque explicari de beatitudine perfectiva, & integrali, non

verò essentiali, prout hîc loquimur, vel de Beatitudine, non tàm quoad conceptum metaphysicum, quàm quoad statum connaturalem ipsius, ad quem pertinet amor, sicut & alia pleraque. Sic interpretatur Thomas Augustinum dicentem cap. 10. de confessione: quod beatitudo, est gaudium de veritate: *quia scilicèt* (Thomas loquitur in corpore artic. 4. quæst. 3.) *ipsum gaudium est consummatio beatitudinis.* Et nè sibi contrarietur, eâdemque mensurâ, quâ mensus est, remetiatur ipsi, ità intelligendus est ipse D. Thomas, dum asserit, dilectionem Dei esse essentialem beatitudinem: beatitudine nempè pro statu sumptâ beatifico involventi omnia bona, quibus ditatur Beatus.

22. Obijcies secundò, estque præcipuum Subtilis Doctoris fundamentum: in perfectissima creaturæ rationalis operatione debet beatitudo consistere; sed hæc est amor, & non cognitio: ergo. Maiorem supponit, totus est in probanda minori. Probatur primo authoritate: Charitas juxta D. Paulum 1. Corinth. 13. perfectior est Fide: ergo & amor cognitione. Probatur consequentia: nàm species generis perfectioris nequit excedi in perfectione ab specie generis imperfectioris; ergo si gradus actûs Fidei, qui est cognitio, excederet in perfectione gradus actûs Charitatis, qui est amor, non posset species talis generis, nempè Charitas, excedere speciem actûs Fidei. Secùndò: juxta Theologos, ductante Dyonisio, Seraphinorum ordo, qui excedit in amore, excedit in perfectione Cherubinorum ordinem, qui excedit in scientia: ergo amor cognitionem excedit. Urgetur: in rebus creatis perfectissima sunt amoris symbola: nàm inter Planetas Sol suo calore amoris symbolum est; inter elementa ignis, inter metalla aurum; inter gemmas carbunculus &c. ergo quià ipse amor significatus inter omnes actus perfectissimus est.

23. Probatur tertiò: illud est perfectius, cuius oppositum est pejus: nàm juxta Aristotelem *pessimum opponitur optimo*; sed odium Dei oppositum Charitati peius est hæresi, ignorantiâque Dei oppositâ Fidei: ergo perfectior est actus Charitatis quolibet intellectûs actu. Probatur quartò: eligibilior est Charitas visione, & carentia visionis carentiâ Charitatis: ergo quià perfectior est Charitas visione. Probat denique quintò: perfectior est voluntas intellectu, cum liberè operetur, imperetque intellectum, hic que subordinetur illi: ergo perfectissimus actus voluntatis, qui est amor beatificus, perfectior est perfectissimo actu intellectûs, qui est visio beatifica.

24. Respondetur, distinguo maiorem: in perfectissima creaturæ rationalis operatione debet beatitudo consistere: si talis operatio sit possessio, & assequutio Dei, concedo: si ità non sit, nego. Transeat mino-

minor; & nego consequentiam. En totum Schotistarum caput quasi plumbeo gladio rescissum, nec alio opus est, quô omnes eius probationes vno veluti ictu ruunt. Maior ergo, vel minor perfectio actuum de materiali se habet ad rationem beatitudinis. Id autem, quod de formali se habet, est, quod talis actus sivè perfectior, sivè imperfectior, sivè à perfectiori, sivè à principio imperfectiori elicitus, sit, vel non possessio, & assequutio summi boni; cum autem hoc habeat cognitio, & non amor, actus intellectûs, & non voluntatis; sit hic, vel non sit perfectior, hic erit beatitudo formalis, non verò ille. Sic, licèt in omnium sententia vnio hypostatica simpliciter sit entitas perfectior visione, & amore, non indè infertur, esse beatitudinem formalem; quià ex illa maioritate perfectionis, non infertur, esse possessionem, & assequutionem vitalem, & intentionalem summi boni, prout ad beatitudinem formalem requiritur à Doctoribus. Sed ex maioritate perfectionis actûs voluntatis præ actu intellectûs (hac permissâ) non infertur, actus voluntatis esse possessionem, & assequutionem Dei, qualiter probavimus esse visionem: ergo nec infertur, esse beatitudinem præ visione.

25. Circa veritatem minoris acriter dimicant Thomistæ, & Schotistæ, hi pro voluntate; illi verò pro intellectu; quæstio hæc levis momenti est, nec certa vila ratione definiri facilis, certum in aliquibus excedere voluntatem, in alijs verò intellectum; qui autem excessus sint æstimabiliores, ac proindè, quæ potentia, quivè actus sint absolutè perfectiores, non nisi prudentum judicio taxandum est, judicialique trutina, & bilance pendendum. Si meum aliquid valeret, primas certè intellectui cum communi sententia darem. Rationes in contrarium allatæ facilè enervantur. Ad authoritatem Pauli respondetur: Paulum loqui de excellentia, & perfectione in genere moris, quæ propria est actuum voluntatis ratione libertatis; non verò de excellentia, & maioritate physica, in quâ Fides Charitatem excedit. Ad secũdam probationem nota, falsum supponere; quod scilicèt Seraphini maiorem habeant amorem erga Deum, quàm Cherubini, minorem verò visionem, in quâ excedantur à Cherubinis. Seraphin enim tàm in amore, quàm in visione Cherubinos excedunt. Seraphin tamen dicuntur ab amore, quia in via, per maiorem amorem, maiorem visionem Dei meruerunt. Vndè argumentum Seraphinorum nullum est pro maiori perfectione voluntatis erga intellectum. Ad tertiam, admisso antecedenti, & proloquio, de quô videndi, si necessum sit, Suar. d. 7. sect. 1. num. 57. & Arriaga, sect. 1. à num. 6. distinguo minorem; sed odium Dei peius est hæresi in genere moris, seù demeriti, concedo; aliter, nego. Ex quô solùm sequitur:

tur: amorem esse meliorem actu intellectûs in linea moralitatis, non verò physicè.

26. Ad quartam respõdetur: ex eligibilitate non rectè inferri maioritatem physicæ perfectionis. Sic mihi eligibilior est nummus, quàm formica, & hæc notabiliter est perfectior; eligibilior est carentia peccati venialis, quàm vnio hypostatica, & hæc excedit ferè infinitè in æstimatione, & perfectione peccatum veniale: ergo licèt eligibilior sit cuilibet Charitas præ visione, non sequitur, esse perfectiorem visione. Ratio est, quià ad eligibilitatem attenditur, vel vtilitas, vel obligatio, quæ sæpè stant in imperfectiori: quare physicè loquendo magis detestanda est, vtpotè maius malum physicum, carentia visionis, quàm amoris carentia, licèt amoris carentia in ordine morali considerata, & vt causata per actum peccaminosum, & moraliter malum peior sit, ac detestabilior. Quare si Beato daretur optio, magis eligeret carere visione, quàm ob culpã à se cõmissam privari Charitate. Ad quintam denique fateor, ratione libertatis voluntatem intellectum excedere; at verò intellectus excedit voluntatẽ, tùm quiâ est primũ directivum ipsius; tùm quia eius operatio est prima, quâ natura rationalis ab irrationali differt; tùm quià latiùs extenditur vniversalitas sui objecti: extenditur enim ad bonum, malum, indifferens, ad chimeras, ad aliquid, & ad nihilum; quô excessu cum illo se tenente ex parte voluntatis comparato, maior, & æstimabilior censeri debet.

27. Obijcies tertiò: visio Dei ordinatur ad amorem beatificum, non è contra amor ad visionem: non enim amamus, vt videamus, sed videmus, vt amemus. Indè ait Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 1. *Rectus ordo est cognoscere, vt diligamus, perversus autem diligere, vt cognoscamus*: ergo amor beatificus est vltimus finis beati, & consequenter beatitudo formalis.

28. Respondetur, distinguo antecedens: visio Dei ordinatur ad amorem beatificum vt ad effectum, seù proprietatem ipsius, concedo: vt ad finem, nego. Sic licèt ex essentia procedant proprietates, essentia non respicit proprietates vt finem, sed vt effectus. Ità non intenditur à Beato visio propter amorem, cùm hic procedat ab illa, & quià amor egreditur à visione, non verò visio ab amore, indè & in hoc sensu dicitur: non amamus, vt videamus, sed quià videmus, amamus: sicut passiones nõ sunt vt sit essentia, sed quià est. Ad authoritatem Anselmi dico, loquutum fuisse non de visione beatifica, sed de scientia huius vitæ, quam ordinare debemus ad amorem, vt medio hoc amore visionem Dei, seù beatitudinem consequamur: vndè perversũ est amare Deum præcisè propter scientiam huius vitæ, sistendo in illa; rectum verò ordinare scientiam huius vitæ ad amorem Dei, quô cona-

na-

mamur visionem beatificam ipsius.

29. Obijcies quartò: ad eandem potentiam debet pertinere meritum, & præmium; sed meritum vnicè pertinet ad voluntatem: ergo & beatitudo.

30. Respondetur, quod licèt meritum pertineat ad actum vnius potentiæ, & præmium substantiale ad actus alterius, principium merens, & cui confertur præmium est eadem anima; quod præcipuè locum habet in mea sententia realiter identificante potentias cum anima, & inter se.

31. Obijcies quintò: idem debet esse subjectum summæ felicitatis, & summæ miseriæ, cũ opponantur privativè, vel contrariè; sed voluntas est subjectum immediatum summæ miseriæ, nempè peccati læthalis, quod voluntati inhæret: ergo voluntas debet esse subjectum immediatum summæ felicitatis, quę est beatitudo formalis.

32. Respondetur, distinguo majorem: idem debet esse subjectum physicè, & realiter, concedo: formaliter, nego, & suppositum; quod ad esse subjectum, quod est prædicatum physicum attendatur huic distinctioni formali potentiarum. Eadem enim anima, quæ realiter est intellectus, & voluntas, est subjectum peccati læthalis, & beatitudinis formalis. Nota verò, distinguendam esse summam felicitatem, & infelicitatem in genere moris, quæ sunt amor Dei super omnia, qui inter actus meritorios est maioris valoris, & peccatum læthale, præcipuè odium formale Dei, & harum eadem voluntas est subjectum immediatum, à summa felicitate, & infelicitate in genere physico: illa est visio intuitiva Dei, summa miseria huic privativè opposita est privatio visionis; in qua pœna damni apponitur; vtriusque tamen subjectum immediatum est solus intellectus.

33. Obijcies sextò: solus amor est consequutio summi boni: ergo solus amor est beatitudo formalis. Probatur antecedens: non consequimur bonum aliquod illud cognoscendo: alioquin avarus cognoscendo divitias, illas possideret quod est absurdum; illud tamen assequimur per amorem, cum in illud trasformemur. Confirmatur: ideò intellectus assequitur objectum, quià intelligens fit vnum cum objecto intellecto; sed etiam amans fit vnum per amorem cum objecto amato: ergo etiam voluntas suum objectum assequitur.

34. Respondetur: nego antecedens, cuius falsitas constat ex confirmatione, & probatione. Transformari enim in bonum, & fieri vnum per amorem cum illo non est assequi, & possidere illud, sed potius possideri ab illo. Et retorqueo argumentum in Schotum: minus possidet avarus divitias eas amando, quàm eas cognoscẽdo ergo ex paritate non deducitur, amorem potius, quàm cognitionem esse objecti possessionem. Ad instãtiam ergo de divitijs dico: aliqua esse bona, quæ non

non veniunt sub vsum nostrum, nisi quatenus sunt sub dominio, & physica tentione, & ità sunt divitiæ; vndè avarus, nec amando, nec cognoscendo divitias, eas possidet, nec dives efficitur; alia verò solùm cognitione possidentur, & ità Deus se habet respectu hominis, vt constat ex nostris probationibus. Ad confirmationem distinguo maiorem: quià fit vnum cum objecto tenendo, & possidendo ipsum objectum, concedo: per translationem sui ad objectum, vtì fit per amorem, nego. Postea de hoc.

35. Obijcies septimò intendẽs evertere nostram vltimam probationem, quâ mirum in modum premuntur adversarij. Licèt amor viæ non sit assequutio boni, amor tamen Patriæ, est summi boni assequutio: ergo ab vno ad aliud non datur paritas, ac proindè argumentum nostrum non vrget. Probat antecedens primò Schotus: quià amor viæ, & Patrię specie distinguuntur, regulanter enim cognitionibus specie diversis; fide namque obscurâ amor viæ, & visione clarâ amor Patriæ. Secundò: quia licèt sint eiusdem speciei, amor Patriæ ratione maioris intensionis, vel perpetuitatis, vel necessitatis, comparatione amoris viæ, poterit prę hoc sortiri conceptum assequutionis, & possessionis. Tertiò: hoc habet amor Patrię ratione cuiusdam consũmationis, in quô excedit ità amorem viæ, vt nunquam ab isto in tali perfectione adæquari queat. Quartò: quià possibilis est, & de facto datur in Beatis amor amicitiæ determinatè ex sola visione procedens, qui erit determinatè possessio, licèt non ità sit amor viæ. Ità Ripalda. num. 31. qui videtur coincidere cum Valentia hìc d. 1. quæst. 4. recurrente ad diversam individuationem, & asserente, quod licèt amor Patræ ex specie sua assequutio non sit, ex individuali tamen conceptu obtinet rationem assequutionis.

36. Respondetur, nego antecedens: cuius falsitas constat ex nostra probatione. Ad rationem Schoti iam ibi dixi, diversitatem propositionum eiusdem bonitatis non diversificare actus: nunc addo, quod licèt amor Patriæ, & viæ procedant ex diversis principijs, & ex hoc capite specie distinguantur, dummodo distinctio non proveniat ex objecto, esset solùm physica, & non Theologica, ac proindè nil conducens ad beatitudinem constituendam, vel non constituendam; quod patet in amore viæ procedente ab habitu supernaturali, & à Deo supplente defectum habitûs, qui licèt specie physica distinguerentur juxta principiorum distinctionem, non tamen specie Theologica. Idem evenit in actu Fidei proveniente ab habitu, vel à Deo vicem habitûs gerente.

37. Secundus recursus falsissimus est: nam maior, vel minor intensio non variat conceptus, & effectus, sed eundem auget. Insuper Bea-

Beatissima Virgo in via intensiùs amavit Deum, quàm plures amant in Patria, & tamen vi huius intensionis, eius amor in via non fuit possessio Dei: ergo nec perpetuitas, aut necessitas illius amoris eũ cõstituit in esse possessionis: hæc namque necessitas, & perpetuitas provenit illi ab extrinseco, nempè à visione beata, & perpetua, & necessariò inferente: idem enim amor, qui in Patria est perpetuus, & necessarius esset liber, & defectibilis, si à visione non procederet. Indè etiam manet tertius recursus impugnatus: quia ille modus consummationis amoris in Patria sapit rem, cuius est modus: vndè sicut modus intensionis nequit esse assequutio in amore Patriæ, quià entitas, quam modificat, assequutio non est, ità neque ille modus consũmativus amoris in Patria. Sic gratia habitualis, licèt in Patria gaudeat hoc modo consũmativo, cum ibi consũmata dicatur, non hominem indè constituit beatum, quià gratia ex se caret tali conceptu. Nec solutio Ripaldæ robur addit: adhuc enim dato, quod visio hæc petat determinatè à visione progredi, non adipiscitur conceptum possessionis, licèt terminetur necessariò ad Deum possessum. Nec solutio Valentiæ stare potest: nàm si talis amor esset assequutio, non solùm individualiter, sed specificè distingueretur ab amore viæ carente tali prędicato: sicut desiderium, quià est de bono non habito specie differt à gaudio, quod est de bono possesso.

SECTIO III.

ARGVMENTA SECVNDÆ *sententiæ solvuntur.*

28. OBijcies octavò pro secunda sententia ponente beatitudinem in vtroque actu simul: si quis videret Deum, & illum nõ amaret, nõ esset essentialiter beatus: ergo beatitudo nõ solùm importat visionẽ, sed etiam amorẽ.

39. Aliqui ex nostris concedunt antecedens: nàm licèt visio sit beatitudo formalis adæquata, actu non beatificat, dum actu amorem non causat: quià requirit amorem vt conditionem, ad hoc vt actu beatificet, seù reddat subjectum beatum formaliter. Respondeo tamen: in casu adducto, hominem illum videntem clarè Deum, & illum non amantem fore essentialiter beatum, cum habeat totam essentiam beatitudinis, vi cuius essentialiter differret à non beatis, vendicaretque jure naturæ amorem, & cætera bona beatitudini annexa. Rogo enim: esse beatum secundum essentiale, & intrinsecum huius concreti *Beatum*, vel dicit tantùm esse Deum videntem, vel non, sed aliquid amplius? Si dicit aliquid amplius, iam visio non erit adæquata essentia beatitudinis. si non dicit: ergo dum existit hoc concretum *videns Deum*; existit vtique hoc concretum *Beatum*. Tùm sic; sed hoc concretum *videns Deum* eodem

modo intrinsecè, & essentialiter existit, subsequuto, vel non subsequuto amore: ergo & concretum *Beatum*. Fateor, talem hominem non fore perfectè consummatè, & completè beatum; sicut, qui haberet animam rationalem, & careret potentijs, si ab ea realiter distinguantur, aut proprietatatibus connaturaliter debitis, esset essentialiter homo; non tamen perfectè integraliter, & completivè.

40. Replicabis: talis homo esset summè miser: tùm, quià pateretur vim impedimento amoris, in quem naturali impetu fertur: tùm, quià non haberet satiatum appetitum, desideraret enim amorem, & de illo habendo esset solicitus cum anxietate: ergo non haberet essentiam adæquatam beatitudinis, quæ omnem anxietatem excludit.

41. Respondetur, nego antecedens; immò esset summè felix, eo quod posideat summum bonum satiativum cujusque appetitûs anxietatem inferentis, qui ratione violentiæ, quam patitur in impeditione amoris, in quem fertur, miseriam causet. Sic nec Christus summè miser dicitur impedimento gloriæ corporeę, qua cum compatibilis fuit beatitudo essentialis animæ ipsius. Et licèt non esset formaliter satiatus voluntatis appetitus, desideraretque, saltem sub conditione, quod Deo placeret, concursum ad amorem; præexistente tamen visione, & possessione Dei, summaque conformitate cum voluntate ipsius, tale desiderium anxietatem, aut inquietudinem non causaret. Sic licèt beati plura bona accidentalia à se non habita ex his, quæ viatores cum anxietate appetunt, desiderent, ratione tamen visionis, & possessionis summi boni, quæ satiativa est formaliter intellectûs, & saltem radicaliter titulo naturalis exigentiæ voluntatis, omni anxietate, & inquietudine carent.

42. Dices: si homo careret gratiâ, vi cujus diceretur justus, non esset Beatus: ergo si careret amore, vi cujus diceretur amans, nec diceretur Beatus.

43. Respondetur, admisso antecedenti, nego consequentiam, & paritatem. Ex eo ergo, quod visio Dei, si peccatum non expelleretur per gratiam, aut per ipsam visionem, si fortè opponatur per se ipsam peccato, vt tenet Vazq. non reddat hominem Beatum, non sequitur, ipsam non esse beatitudinem adæquatè, sed solùm talem visionem eo casu non præstare effectum secundarium expulsionis peccati: sicut ex eo, quod si gratia conjungatur cum peccato, non redderet hominem justum, non sequitur, gratiam non esse formam adęquatè sanctificantem, sed solùm, tali casu privari suo effectu secundario. Sicut enim effectus formalis *iusti* resultat ex positivo, & negativo, nempè expulsione peccati, ità effectus formalis *Beati* ex positivo possessionis Dei, & negativo carentiæ summi mali moralis, nempè pec-

cati.

cati. Et si gratia est forma adæquatè sanctificans, quia ipsa præstat naturaliter effectum illum secundarium expulsionis peccati, necessariò requisitum ad denominationem *Iusti*; ità, cum visio ex se similem effectum secundarium præstet similiter requisitum ad effectum formalem *Beati*, ipsa est adæquatè forma beatificans. Effectus verò formalis *amans* non ingreditur conceptum essentialem *Beati*, vndè nec amor: qui quidem, cum non sit quid negativum, sicut carentia peccati, nequit induci per se à visione, licèt exigatur ab ipsa. Nota tamen pro antecedenti, ex præcisa carentia gratiæ, & denominationis *Iusti*, non deficere denominationem *Beati*, sed ex carentia peccati, quæ naturaliter per gratiam inducitur. Vndè si quis gratiâ carens, & similiter peccato (qui esset non justus, nec injustus) videret intuitivè Deum, vi talis visionis diceretur *Beatus*, quia licèt careret bono gratiæ, non tamen esset infectus summo malo peccati.

44. Obijcies nonò: beatitudo debet consistere in perfectissima assequutione summi boni; sed Beatus perfectiùs assequitur Deum per visionem, & amorem simul, quàm per solam visionem: ergo in amore, & visione simûl beatitudo consistit.

45. Respondetur, concedo majorem, & distinguo minorem: perfectiùs assequitur Deum, essentialiter, & intensivè, nego: accidentaliter, integraliter, & extensivè, concedo. Amor non est assequutio; est tamen complementum, & perfectio assequutionis, sicut proprietates essentiæ, quam nõ constituunt, sed complent integraliter, & perficiunt.

46. Obijcies decimò: in divinis non solùm possidetur summum bonum per intellectum, sed etiam per voluntatem: ergo idem in creatis dicendum; cum possessio creata summi boni sit participatio possessionis divinæ. Probatur antecedens: non solùm per intellectum, sed etiã per voluntatem communicatur summum bonum: ergo non solùm per intellectum, sed etiam per voluntatem possidetur summum bonum. Antecedens constat: nam Spiritui Sancto per voluntatem communicatur tota Natura divina, & saltem ex vi processionis communicatur amor divinus, qui quidem est summum bonum sufficiens ad beandum, vt jam diximus, ac proindè ejus possessio erit beatitudo. Antecedens probatur primò: quia in ipsamet communicatione summi boni includitur possessio ipsius. Secundò: quia, sicut nemo dat, quod non habet, ità nemo communicat, quod non possidet: ergo si voluntas communicat Spiritui Sancto amorem formalìter, illum possidet formaliter, & consequenter ab illo beatur.

47. Ingeniosa certè objectio, quç potiùs videtur probare sententiam Ripald. nam in divinis ex vtrâ-

 que

que procesſione per intellectum, & volũtatem non reſultat vna proceſſio adæquata, ſed duplex, quælibet in ſua linea adæquata: ergo nec ex vtràque poſſeſsione sũmi boni vna adæquata poſſeſsio, ſed duplex, & cõſequẽter duplex beatitudo diſtincta. Sed cuique faveat, dum nobis non obeſt. Pro quo nota: non quãcumque poſſeſsionem ſummi boni ſortiri conceptum beatitudinis formalis, ſed poſſeſsionem intentionalem vitalem, vi cujus ſummum bonum præſens ſit, vt fruatur, & vtatur voluntas eo modo, quo erga Deum poſsibilis eſt vſus, tanquam bono proprio à ſe habito, & apprehenſo. Vndè nec vnio hipoſtatica, nec identitas Perſonalitatum cum Natura divina, licèt ſint perfectiores poſſeſsiones ſummi boni, vtpotè ſubſtantiales, participant conceptum beatitudinis formalis. Quô ſuppoſito,

48. Reſpondeo: nego antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens: non ſolùm per intellectum, ſed etiam per voluntatem poſsidetur ſummum bonum poſſeſſione identicâ, phyſicâ, & materiali, concedo: poſſeſsione formali, intentionali, & vitali, nego. Ad probationem concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo non ſolùm per intellectum, ſed etiã per voluntatem poſsidetur identicè, phyſicè, & materialiter, concedo: formaliter, vitaliter, & intentionaliter, nego. Ad primam antecedentis probationem dico; in communicatione includi poſſeſsionem identicam; nam vt communicetur per identitatem amor, debet præhaberi per identitatem à principio communicante, non verò debet præhaberi vitaliter, & intentionaliter ab ipſo principio formaliter communicante, vndè adhuc conceſſo, quod hoc eſſet voluntas, hæc non poſsideret vitaliter, & intentionaliter amorem communicatum, ſicut nõ poſsidet Naturam divinam, quam amat. Hinc claret ſolutio ſecundæ probationis. Ex quâ ſolùm ſequitur, quod principium communicans amorem Spiritui Sancto amorem habeat, & poſsideat per identitatem. Imò etiam ſi requiratur, quod poſsideat vitaliter, & intentionaliter, non ſequitur, quod ipſa met communicatio ſit poſeſsio; ſicut, & ſi ad amorem Naturæ divinæ requiratur viſio, & poſeſsio ipſius reſpectu amantis, non ſequitur, quod amor ſit poſſeſsio, ſed viſio ad amorem pręcedens, ità & cognitio ad communicationem amoris præcedens, eſſet poſſeſsio intentionalis ipſius amoris, ac proindè beatitudo, non tamen cõmunicatio ſubquens.

SEC-

SECTIO IV.

ARGVMENTIS P. RIPALDÆ fit satis.

49. OBijcit vndecimò, & ex num. 30. ad possessionem purè intentionalem Dei, qualis est nostra beatitudo formalis, non requiritur rigorosa proprietas, sed ea, quæ sufficit, Deum ita nobis appropriari, vt eum constituat bonum nostrum eo modo, quô nostrum esse potest, nobisque objectivè prodesse per gaudium, & fruitionem ipsius; sed ità se habet amor beatificus in nobis circa Deum: ergo. Probatur maior. possessio namque, & assequutio bonorum, ea censetur, vi cuius aliquis ità eis bonis conjungitur, vt jure omne gaudiū, & fructum, quod ab eis desumi queat, accipiat. sicut in physicis possidere agrum est, fructus agri percipere: Probatur minor: amor beatificus sic Deum nobis conjungit, vt eum constituat bonum nostrum, eo modo, quô nostrum esse potest, jusque tribuat eo gaudendi, atque fruendi gaudio, & fruitione nobis possibili. Quippè nil est apud PP. Theologos, ac Philosophos constantius, quàm, amorem Dei esse intentionalem vnionem amantis cum Deo amato. Rursus. hæc vnio talis est, vt ex vi ipsius jus acquirat homo Deo fruendi omni genere gaudij, & fruitionis, quæ ex Deo percipi potest: ergo amor dicitur, & est possessio, & assequutio intentionalis Dei.

50. Respondetur: concedo maiorem: quæ quidem possessio vt in nostris probationibus notavi, licèt comparativè ad possessionem physicam, & materialem sit lata, & metaphorica, in sua linea intentionali est propria; si quidem est illa, vi cuius, Deus capitur, percipitur, & apprehenditur, sicque nobis vitaliter, & intentionaliter constituitur præsens, vt eo frui, & gustari, omnesque ab eo voluptates, omniaque commoda, quæ ex Deo colligi queunt, haurire possumus, qualiter non se habet amor. Si quidem ratione illius, nec Deus capitur, percipitur, apprehenditur, nec nobis præsens intentionaliter constituitur, vt eo frui possimus per amorem, jusque habeamus in ipsum, vt in bonum, quasi nostra ditione iam positum; quapropter neganda est minor. Ad maioris probationem dico: quod sicut possessio agri non est ipse vsus, & acceptio fructuum, qui quidem potiùs est effectus possessionis, sed jus illud, seù dominium & in talem vsum; ità possessio intentionalis non est ipse amor, aut fruitio Dei, sed jus illud, seù tentio, apprehensio Dei, vi cuius homo potest eo frui per amorem; hic autem non est possessio sed vsus dominij, & possessionis: vndè possessio non consistit in vnione hac affectiva, vi cuius beatus fit vnus cum Deo, sed in illa repræsentatione Dei, vi cuius voluntas fit proximè potens amare De-

Deum, jusque accipit ad eum amandum.

51. Replicari tamen potest: A Christo Domino Math. 25. & Joan. 15. Beatitudo nomine gaudij compellatur juxta illud: *Intra in gaudium Domini tui vt vestrum gaudium impleatur. Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Item ab Augustino, & Sanctis PP. *Fruitio, & delectatio* dicitur; sed gaudium, fruitio, & delectatio ad voluntatem pertinent: ergo. Ratio est: quia si in humanis quis habeat divitias v. g. & non fruatur illis, nequit ex eis habere beatitudinem, nec apparentem; at eo ipso, quod fruatur, iam illam habet: ergo gaudium, & fruitio illa constituit divitias in ratione beatitudinis. Similiter ergo in Deo idem dicendum, dicente Augustino 8. de Civit. cap. 9. *Nemo beatus est, qui eo, quod amat, non fruitur.* Et Bernard. Epist. 23. *Sicut initiat in hac vita Fides, & desiderium, sic etiam in alia consummat visio, & amor.* Vrgetur: si quis non amat, & optat videre Deum, non potest eius visio esse beatitudo: quo modo enim potest esse mea felicitas id, quod ego habere non opto, nec curo? Ergo amor de visione possessa vel facit hominem beatum, vel saltem constituit eius beatitudinem.

52. Pro solutione noto cum Arriaga num. 26. Gaudium, & fruitionem esse vocem æquivocam: significat enim sæpè idem, quod *voluptas*, & *recreatio* &c. sæpè idem, quod voluntatis complacentia in aliqua re. Quo posito, dico: in primo sensu gaudium non pertinere ad voluntatem, quia voluntas nō est propriè, & formaliter perceptiva, nec eius actus sunt perceptiones formales delectabilitatis objectivæ, quod solùm pertinet ad intellectum, eiusque actus. Sic juxta plures, quos sequitur ipse Arriaga in materia de Angelis, cruciatus, & dolores sunt propriè actus intellectûs, & sensuum, qui dum experiuntur res adversas, formalissimè torquent, & similiter è contra voluptatem, & delectationem propriè ad intellectum pertinere. Res constat exemplis. Pulchritudo causat voluptatem, & recreationem. Item cibus gratus, suavis musica, fragrans odor. Voluntas non percipit vllo modo ex his objectis voluptatem vllam immediatam, quia ea non percipit, sed visus rei pulchræ, olfatus odoriferæ, gustus ciborum, sunt, quæ formaliter recreant; licèt postea volūtas quasi reflexè cōplaceat sibi in illa delectatione, quā aliæ potentiæ, & per illas anima experitur. Hinc est, quod homines ex communi apprehensione beatitudinem nomine gaudij significent, non quia consistat in actu voluntatis, sed quià perceptio, & recreatio habita vi cognitionis intuitivæ Dei est gaudium, est felicitas, est voluptas, etiam ante quàm voluntas per complacentiam reflexam libenter habeat eam possessionem, recreationem, & voluptatem. Indè etiam Christus Dominus in beatitudinem

vt

vt in gaudium invitat: sicut, qui alterum invitat in convivium, ad spectacula, ad musicam, meritò ad gaudium, invitaret; cum tamen nec cibus, nec spectacula, nec musica aliter percipiantur, aut recreent formaliter, quàm, dum gustantur, videntur, audiuntur.

53. Ad exemplum divitiarum iam supra respondi, hæc bona physica, & materialia solùm possessione physicâ delectare, & earum possessionem nec in cognitione, nec in amore consistere. Insuper; qui iudicaret, divitias esse summum bonum, & apprehenderet, se habere eas, talis apprehensio esset eius beatitudo, & ea est, quæ ipsum recreat independenter ab amore. Vbi non ipsa possessio physica divitiatiarum esset eius beatitudo: nàm etiam si divitias nullatenus possideret, si tamen invincibiliter crederet, illas habere, eodem modo esset lætus, & eâ fictâ beatitudine beatus, ac si re ipsâ eas possideret. Ex quô infertur primò possessionem physicam concurrere vt objectum, non vt formam, sed ità se habere possessionem intētionalem vi apprehensionis. Secundò: delectationem voluntatis, sicut non est formalis perceptio talis objecti, ità non esse quod formaliter recreat, sed id, quod placeret avaro ea possessio, & recreatio.

54. Ad vrgentiam respondetur, quod, quandò res illa, quæ possidetur per se ipsam independenter ab amore vllo reflexo recreat formaliter, tunc non est necessarius reflexus amor illius, ac proindè erit felicitas, quin optem, vel curem illum habere. Constat hoc duplici exemplo: primo, si quis, quin optaret, vel curet cibos, aliàs ipsi gratissimos, immò invitus cogeretur eos comedere, absque dubio perciperet voluptatem, quam secum afferunt, sic de musica, & alijs omnibus objectis delectantibus dicendum est. Secundo ad hominem: gaudium reflexum, in quo beatitudinem ponitis, quia per se affert voluptatem, formaliter per vos beatificat, & recreat absque gaudio reflexo de illo, alioquin daretur processus in infinitum gaudiorum, & reflexionum: cum ergo Deus per se ipsum afferat recreationem, dulcedinem, suavitatem independenter ab amore, vi visionis, seu possessionis ipsius, est summa felicitas objectiva, quin requiratur essentialiter, sed solùm completivè, & integraliter talis optatio, & cura reflexa de ejus possessione.

55. Replicabis: ergo, si quis displiceret in visione Dei, adhuc visio esset beatitudo, & videns Beatus; cum adhuc percipiat delectabilitatem, quam affert secum formaliter ipse Deus.

56. Certum est: posse percipi delectabilitatem, quam secum affert aliquod objectum cum displicentia, immò, & renuentia voluntatis. Patet hoc in pollutione involuntaria odio habita à voluntate, summèque dis-

displicente, & renitente animo, si tamen naturaliter excitetur voluptas, & delectatio consistens formaliter in sensatione, percipitur. Ast displicentia in hoc casu provenit ex prohibitione objecti delectantis: cum autem in visione Dei nil malitiæ, malivè reperiri queat, nequit homo videns, percipiensque delectabilitatem illam divinam displicere in ea perceptione, & visione. Fateor: eo ipso, quod quis displicet in re, quam possidet, non posse habere ex illa formaliter integram beatitudinem, quia tunc eam apprehendit, vt sibi malam, & indè fit, vt tristetur possessione ipsius, & conetur eam à se excutere. Ex quo solùm sequitur: quod, si quis displiceret in visione Dei per possibile, vel impossibile, non diceretur Beatus; nam hæc denominatio sicut constituitur ex carentia peccati, tormentorum inferni, & similium, ità posset dici, constitui, ex carentia displicentiæ in visione.

57. Objicit duodecimò, & ex num. 13. in eodem supposito potest reperiri multiplex sanctitas, quia in eo potest esse multiplex forma opposita peccato, vt in Christo sanctitas per vnionem, & sanctitas per gratiam: ergo in eodem supposito poterit esse multiplex beatitudo opposita summè infelicitati, vna ex vi visionis, & altera ex vi amoris. Insuper: sicut huic sanctitatis multiplicitati non obstat, quod vna forma supponat aliam, vt gratia habitualis vnionem hypostaticam, ità nec obstare debet beatitudinis multiplicitati, quod vna beatitudo, nempè amor beatificus, supponat aliam, nempè visionem: ergo, licèt gaudium sit de bono possesso, vt possesso, poterit vltra esse ejusdem boni exercita possessio. Ità componit, & explicat suam sententiam Ripalda.

58. Respondeo: id optimè pro se afferre, & vt se explicet, Ripalda; nec enim dubito de ejus exemplis, & doctrina generali: sed illi restat probandum, amori competere conceptum beatitudinis, sicut competit gratiæ, & simùl Personalitati divinę conceptus formę sanctificantis.

59. Objicit decimò tertiò id probans num. 38. homo quà intellectivus beatur per visionem, & quà volitivus per amorem; sed hoc sufficit, vt in homine detur duplex beatitudo: ergo. Majorem probat primò: homo est capax beatitudinis quà intellectivus, & quà volitivus, sicut est vtroque modo miseriæ capax; sed beatitudo, cujus homo est capax quà volitivus, est amor ejusdem. Probatur: nam homo, quà intellectivus, non beatur amore, sed visione, nec quà volitivus visione, sed amore; si quidem solâ cognitione, homo, quà intellectivus, & solo amore quà volitivus perficitur, & satiatur: ergo. Minorem primam probat num. 39. beatitudo hominis, quà intellectivi est distincta à beatitudine hominis, quà volitivi: aliunde vtraque est abso-

absolutè, & essentialiter hominis beatitudo: ergo duplex.

60. Respondetur: nego majorem quoad secundam partem. Ad probationem traseat major, & nego minorem, quoad secundam partem. Ad probationem nego etiã probationem quoad secundam partem. Sicut enim homo beatur, quà volitivus, ità etiam quà olfactivus, quà auditivus, quà risibilis, quà admirativus, quoad animam, quoad corpus, & quoad sensus; sed non dantur plures beatitudines essentiales correspondentes formaliter cuilibet parti ex beatificabilibus, olfactui v. g. odoratio, auditui auditio, corpori materialis sensatio, sed totus homo secundùm totum, quod dicit, beatificatur possessione intentionali Dei, licèt cuilibet sensui sua particularis fruitio, & delectatio correspondeat: ergo, licèt homo, quà volitivus beatificetur, & voluntati correspondeat volitio, non beatificabitur per hanc, sed per possessionem Dei consistentem formaliter in visione, non verò in amore. Insuper: hę reflexiones, *quà intellectivus, quà volitivus* &c. sunt formales dependentes ab intellectu nostro præcisivè distinguente, cui distinctioni attendẽdum non est ad assignandam essentiam beatitudinis, sed sicut eadem anima est, quæ intelligit, & vult; ità eadem anima, quę intelligit, & vult, beatificatur per visionem, non per amorem; cum per visionem, non verò per amorem Deum formaliter possideat.

61. Objicit decimò quartò ex num. 36. ille actus in re, præscissa quæstione de nomine, est beatitudo formalis, cui annexa sunt cætera bona propria statûs beatifici; sed eiusmodi conditionis sunt tùm cognitio, tùm amor: ergo vterque actus erit in re beatitudo formalis. Probatur minor primò quoad secundam partem: sicut vnio beatifica per visionem vendicat sibi vnionem per amorem, ità vnio beatifica per amorem, vnionem beatificam per visionem, mutuò enim ambæ nectuntur, cum neutra possit existere sine alia: ergo vtraque seorsim nectit sibi cętera bona, cum ea sivè immediatè, sivè mediatè alicui earum nexa sint. Probatur secundò: bona vniuntur cum Beato, quià Beatus vnitus est immediatè cum summo bono vnione strictissimâ, & peculari, quâ ipsum possideat: ęquum enim est, vt miseriæ sint alienæ, aliaque bona aggregentur possidenti summum bonum, seù immediatè sibi iungenti Deum; at hæc ratio vtrique actui tùm visioni, tùm amori sine discrimine communis est: ergo.

62. Respondetur: distinguo maiorem: cui annexa sunt cætera bona propria status beatifici per se, & ratione sui, concedo: non per se, sed ratione alterius, nego. Et nego minorem quoad secundam partem in sensu distinctionis. Ad primam minoris probationem nego antecedens: visio enim per se, & ratione sui exigit omnia bona sta-

tùs beatifici propria, exigit quoque amorem Dei; amor verò nec exigit per se visionem beatificam, sed cognitionem Dei, cum posit idem specificè amor provenire, prælucente Fide, vt iam diximus, & etiam si illam exigeret ratione mediatæ exigentiæ ad dona statûs beatifici, non constitueretur in ratione beatitudinis, sed ad summum in ratione proprietatis in quarto modo beatitudinis. Sic quia risibili debentur omnia propria hominis ratione prædicati rationalis, quocum ipsum risibile est connexum, ipsum non est essétia, sed proprietas metaphysica hominis. Ad secundam probationem concedo antecedens, vt iacet, & apponitur à Ripalda; sed nego, amori competere, eius vnionem Beati cum Deo, quâ ipsum possideat, cum non sit possessio Dei.

63. Obijcies decimò quintò: Beatitudo est possessio Dei, vt summi boni; sed visio non est possessio Dei vt summi boni, sed solùm vt summi veri, cum solùm respiciat objectum vt verum, & sub ratione veri, non vt bonum, nec sub ratione boni: ergo vel beatitudo non consistit in visione, vel datur duplex beatitudo, vna consistens in visione, quæ sit possessio Dei vt summi veri, & alia consistens in amore, quæ sit possessio Dei vt summi boni.

64. Pro solutione nota, possessionem Dei vt summi boni bifariam posse intelligi. Primò ità, vt actus posidens moveatur à summa bonitate tanquàm ratione motiva formali, sub quâ tendat in objectum; & ità visio non est possessio Dei vt summi boni, cum bonitas non sit ratio formalis motiva sub quâ intellectûs, sed sola veritas. Secundò ità, vt actus posidens, licèt non moveatur à summa bonitate, tanquàm à ratione formali sub quâ, sed à summa veritate, feratur tamen in summam bonitatem posidendam, vt in objectum materiale, & ità visio est possessio summi boni, ac proindè beatitudo formalis, nàm ità confert Beato ius ad amorem, & ad vsum intentionalem talis objecti. Nec requiritur ad hoc, vt sit possessio summi boni, quod tendat sub bonitate in summum bonum, sed quod tendat in summum bonum sub veritate. In forma distinguo maiorem: Beatitudo est possessio Dei vt summi boni, habente se bonitate, vt ratione formali motiva, nego: habéte se vt ratione formali terminativa, concedo; & ità distinguo minorem. Solutio constat ex dictis.

65. Obijcies decimò sextò: Beatitudo supernaturalis huius vitæ (quam communiter Theologi admittunt) consistit in actu Charitatis, qui est perfectissima operatio huius vitæ, vnioque perfectissima cum Deo: ergo beatitudo supernaturalis Patriæ in eodem actu consistere debet; nàm imperfecta beatitudo est participatio perfectæ beatitudinis Patriæ.

66. Plures Theologi negant antecedens, ponentes beatitudinem supernaturalem viæ in actu Fidei, quem

quem consequuntur actus Charitatis, & amoris, quod videtur esse de mēte D. Thomæ hîc art. 5. & quæst. sequenti art. 5. & 7. vbi: *in hac vita magis accedit ad similitudinem illius perfectæ beatitudinis felicitas contemplativa, quàm activa.* Vndè Lucæ 7. dicitur de Magdalena. *Optimam partem elegit sibi Maria*: cum ibi sit sermo de vita contemplativa. Sed adhuc admisso antecedenti ob rationem argumenti, & quià Charitas est incompossibilis cùm peccato, quod actui Fidei non competit, nego consequentiam, & paritatem: nâm beatitudo imperfecta hujus vitæ quocumque actu constituatur, nequit esse possessio summi boni in re, sed tantùm in spe, quod vel maximè convenit Charitati; beatitudo verò perfecta Patriæ debet esse possessio, & assequutio summi boni, qualis vnicè reperitur in visione.

QVÆSTIO XX.

AN PERPETVITAS SIT de conceptu essentiali Beatitudinis, eiusvè proprietas?

1. NOto primò cum Ex. D. d. 14. sect. 3. n. 3. & Arriaga sect. 3. num. 14. quæstionem non esse de visione beatifica, quâ visio est, sed quâ beatitudo. Hoc est, non rogare, vtrùm de essentia visionis beatificæ, quà visio est, sit perpetuitas; certum enim est, visionem intuitivam Dei non esse essentialiter perpetuam, sed posse durare per aliquod tempus, & deindè deficere, & de facto ità se habuisse in Moyse, D. Paulo, & alijs, tenet probabilis sententia defendens, ipsos in via intuitivè vidisse Deum, sed de essentia visionis intuitivæ, quâ beatitudo est; taliter, vt nomen beatitudinis non sortiatur intuitio, cui deficeret perpetuitas.

2. Noto secundò: nec dubitari, ad statum perfectum quasi accidentalem, complementumque beatitudinis perpetuitatem spectare; omnes enim id admittunt; ex ipsa enim terminorum apprehensione constat, multum perfectionis desiderari in eo, qui ad tempus tantûm gauderet operatione illa, in quâ beatitudo consistit. His prænotatis,

3. Origines lib. 3. Periarc. cap. 1. ad finem docet, Beatos aliquos ob sua demerita tandem damnandos, & aliquos damnatos ob ipsorum merita beandos. Contrarium tamen est de Fide Catholica credendum, tenendumque, de facto beatitudinem alterius vitæ esse perpetuam. Constat hoc ex illo Sapientiæ 5. vers. 16. *Iusti autem in perpetuum vivent*: ex illo Mathæi 25. vers. 46. *ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam*: ex Symbolo Apostolorum. *Credo vitam æternam*: definitumque est in Concil. Lateran. sub Innocent. III. contra Origin. traduntque omnes

antiqui DD. cùm Magist. in 4. d. 19. & Moder. cùm S. Thom. 1. 2. quęst. 5. artic. 4. an autem hæc perpetuitas sit de essentia beatitudinis, vel solùm proprietas, & extrinseca eius essentiæ, in præsenti inquirimus. In quo,

4. Prima sententia docet: non esse de essentia beatitudinis perpetuitatem. Ità Schot. in 4. distinct. 49. quęst. 6. Duran. Okam. Gab. Montes. & Granad. tract. 3. disp. 3. sect. 2. Tanner apud Arriagam.

5. Secunda sententia affirmat, esse de essentia beatitudinis perfectæ perpetuitatem. Ità omnes Thomistæ cum D. Thoma. Exim. D. Vazquez, Amicus, Arriaga sect. 4. num. 20. Ovied. controv. 3. punct. 1. n. 4. Gibon disp. 4. dub. 1. num. 4. Gonet. d. 6. artic. 2. num. 13.

6. Dico cum his DD. *Perpetuitas est de essentia beatitudinis vt talis*. Conclus. probat Angel. Doct. & DD. communiter ex Philosopho 1. Ethicor. cap. 2. vbi hæc habet: *ver enim, nec vna facit hirundo, nec vnus dies, & Beatum hominem eodem modo nec vnus dies, nec breve vllum effecit tempus*. Ex quibus verbis Divi Thomæ authoritate munitis sic argumentor: de ratione beatitudinis huius vitæ temporalis juxta Aristotelem est per totam hanc vitam durare: ergo de ratione beatitudinis illius vitæ æternæ erit per totam illam vitam æternam similiter durare. Consequentia tenet à paritate: nàm, sicut ab Aristotele non censetur beatus homo, qui licèt per aliquod tempus delitijs aflueret, in aliquo eis careret, nàm in eo esset miser; ità nec censeri debet beatus ille, qui Deum per aliquod tempus, etsi longum, intuitivè videret, si tandem eâ visione per æternitatem privaretur, esset namque in æternum miser: nam mille anni in comparatione æternitatis sunt sicut dies hesterna, quæ præterijt.

7. Probatur secundò: beatitudo nostra formalis est possesio perfecta summi boni, & consequutio illius; sed possesio limitata, & per breve tempus, nullatenus censetur perfecta possesio, & assequutio alicujus boni: ergo neque beatitudo. Probatur minor: nam qui potestatem haberet vtendi dominio alicujus Civitatis per vnum, vel duos dies tantùm, nullatenus diceretur posidere, & consequi Civitatem, nisi absoluto illius dominio potiatur: ergo multò minùs diceretur, posidere, & consequi Deum, qui intuitivè videret illum per aliquod tempus, si non sit inamisibiliter; nam omne tempus comparatione æternitatis, minùs esset, quàm vnus dies comparatione totius temporis, vel gutta vna comparatione maris aquarum.

8. Probatur tertiò ratione à priori: de essentia beatitudinis perfectæ, & completæ est satiare appetitum rationalem beati, & omnem anxietatem ab eo excludere; sed hoc non præstaret intuitiva visio Dei non perpetua: ergo esse perpe-

petuam; est de essentia beatitudinis. Major supponitur; minor probatur: quandiù Beatus non est certus, & securus de inamissibilitate visionis, anxius, & timidus est de sua duratione, & permanentia: imò quantò majus, & perfectius judicatur bonum objectum visum, tantò majorem anxietatem haberet homo de ejus amissibilitate, doloremvè de ejus contingentia, & desiderium de ejus duratione; sed dummodò visio perpetua non sit, nequit Beatus esse certus, & securus de inamissibilitate visionis: ergo neque excutere omnem anxietatem, & angorem; & consequenter, nec satiare appetitum rationalem tali visione gaudentem: ergo neque talis visio conceptu beatitudinis gauderet. Ex his tamen probationibus

9. Probatur quartò ratione comprehensiva, & vniversali: illud est constitutivum alicujus rei, quo ablato, manentibus omnibus alijs, non manet res; sed manente visione intuitivâ Dei, ablatâ vnicè perpetuitate ipsius, non maneret beatitudo: ergo per perpetuitatē cōstituitur visio in esse beatitudinis. Major est primum principium. Probatur minor ex communi hominum, & Doctorum apprehensivè iudicantium, nullatenus adimplere significationem vocis *Beatitudo* visionem amissibilem, nec posse dici Beatum, qui perpetuâ visione non gauderet.

***

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESPONDETVR.

10. Objicies primò intendens evertere probationes: de essentia beatitudinis non est, quod satiet per se, & immediatè appetitum rationalem, sed sufficit, si illum satiare exigat, exigendo perpetuitatem, vt proprietatem sui: ergo, etiamsi ex se non auferat anxietatem, quam causare potest contingentia boni possessi, erit visio intuitiva Dei beatitudo nostra formalis, etiam illa, quę per breve tempus duraret. Antecedens probatur primò: in Christo Domino fuit ab instanti suę Conceptionis perfecta beatitudo; sed licèt dolores, & afflictiones admiserit, ac proindè non esset Christus perfectè satiatus, ideò ità fuit, quia exigebat talium dolorum exclusionem: ergo similiter, sufficiet pro beatitudine exigētia perpetuitatis. Probatur secundò: visio quia ex se dona supernaturalia exigit; nempè gratiam &c. etiamsi contra illius exigentiam homo privaretur gratiâ, & illius carentiâ locus pateret anxietati, esset essentialiter beatitudo ratione talis exigentiæ: ergo etsi careret perpetuitate, & ratione talis carentiæ permitteret anxietatem, cum perpetuitatem exigat; beatitudinis essentiam adimpleret.

11. Respōdetur: ex argumēto infer-

inferri, non solùm quoad entitatem, sed etiam quoad denominationem manere beatitudinem, & Beatum, qui videret intuitivè Deum, etiam per breve tempus, & ità dicendos Moysem, Paulum, & alios stãte probabili opinione eos vidisse Deũ in hac mortali vita, defendẽte: quod à nemine dictum, vel concessum asserit Arriaga. num. 26. Item, eâdem ratione posset dici, lumen gloriæ satiare appetitum, & esse beatitudinem formalem, eo quod exigat visionem, quę appetitum satiat: vndè nego antecedens. Ad primam probationem distinguo antecedens: in Christo fuit perfecta beatitudo, secundùm positivum, quod dicit, concedo: secundùm positivum, & negativum, nego. Vndè licèt in Christo ab instanti suæ cõceptionis fuerit perfecta visio, & intuitio Dei, quâpropter posśit dici perfectè videns, & intuens Deum, non tamen perfecta, & adęquata beatitudo, nec dici perfectè, & adæquatè Beatus. Ratio est: quià visio Dei saltem componitur cum doloribus, & tormentis, sicut gratia cum peccato per nos; ast sicut denominatio *justi, & grati* dicit vltra positivum gratiæ negationem peccati, vndè homo non diceretur *gratus, & justus*; ità denominatio *beati, & beatitudo* completè sumpta, quæ est forma talis denominationis, vltra positivum visionis, dicunt negativum carentię dolorum peccati &c. vndè Christus defectu huius carentiæ non diceretur, nec dicitur completè Beatus, nec eius visio beatitudo ab instanti suæ Conceptionis.

12. Ad secundam probationem dico, ex præciso defectu gratiæ non causari anxietatem in homine impeditivam statûs beatifici, si videret intuitivè Deum, nisi aliundè introduceretur peccatum loco illius, cuius carẽtiã essentialiter includũt tũ *Beatitudo*, tũ denominatio *Beati*, vndè, & si carentia peccati sit effectus secundarius & mediatus visionis intuitivę Dei, non tamen gratia habitualis, quę esset tantùm velut proprietas ipsius.

13. Replicabis: perpetuitas est effectus beatitudinis: ergo nequit ex ea resultare beatitudo. Probatur antecedẽs, carẽtia anxietatis est effectus secũdarius negativus beatitudinis: ergo perpetuitas est effectus positivus per modum proprietatis ipsius.

14. Respondetur negando antecedens, & similiter antecedens probationis ipsius. Cum enim beatitudo constituatur essentialiter ex perpetuitate, & carentia anxietatis, iam essent effectus sui ipsius. Perpetuitas ergo est effectus immediatus positivus visionis beatificæ, & carentia anxietatis effectus mediatus negativus eiusdem, ex quibus resultat beatitudo, nec repugnat, quod ex causa, & effectu resultet quid tertium. Sic ex materia prima, quæ est causa formæ equinæ, & ex ipsa forma equina, quæ est effectus, resultat equus, & ex gratia, & carentia peccati,

cati, quę est effectus secundarius negativus gratiæ, denominatio *justi*.

15. Objjcies secundò: perpetuitas per nos requiritur, vt beatus quietetur, & omnis anxietas ab eo tollatur; sed ad hoc sufficit, quod Deus decreverit, visionem beatam perpetuò conservare, & hoc Beato innotescat: ità enim impossibilis esset amissio visionis, & de tali impossibilitate esset certus, & securus beatus: ergo non requiritur perpetuitas intrinseca, seù ex natura sua in visione.

16. Respondeo: pro nunc admitto totum argumentum, ex quô solùm infertur, perpetuitatem esse extrinsecam, & dependentem à novo favore Dei in visione; non verò non esse essentialiter requisitam ad beatitudinem, sivè sit intrinseca, sivè sit extrinseca, quod solùm in præsenti defendimus: sicut enim cognitio est extrinseca objecto cognito, & tamen ex ipsa, & objecto resultat essentialiter *cognitum*, ità licèt perpetuitas esset extrinseca visioni, ex ipsa, & perpetuitate resultaret beatitudo. Postea defendam, visionem esse ab intrinseco inamissibilem, & perpetuam.

17. Objjcies tertiò: de nullius creaturæ essentia est perpetuitas, seù in perpetuum durare; sed beatitudo est creatura: ergo de essentia beatitudinis non est perpetuitas, seù in perpetuum durare.

18. Ità arguit Pater Tanner, contra quem optimè Arriaga ità: nullius creaturæ est proprietas essentialis perpetuitas; sed beatitudo est creatura: ergo perpetuitas nequit illi adhuc vt proprietas competere, vt ipse Tannerus tenet. Insuper, argumentùm probat, etiam de essentia ipsius durationis creatæ perpetuę non esse perpetuitatem, cum ipsa perpetuitas creata sit creatura. Si respondeas, quod, cum in ipsa duratione perpetua involvatur perpetuitas, nil mirum quod hæc sit de essentia durationis perpetuæ: id ego dico de beatitudine, nempè sub hac voce *Beatitudinis* significari perpetuitatem, ac proindè hanc esse de essentia beatitudinis. Admitto ergo repugnare creaturam, cui repugnet destrui à Deo per æternitatem (quod videtur fallificari in cognitione reflectente supra suam durationem perpetuam) ac proindè de nullius creaturæ essentia esse essentialiter perpetuitatẽ; est tamen de essẽtia perpetuitatis ipsius perpetuitas, cũ nil magis de essẽtia alicuius rei, quàm ipsa res; sed per vocẽ *beatitudo* significatur implicitè perpetuitas: ergo de essentia beatitudinis est perpetuitas. Si minorem neges, hanc defendo: proba ergo aliquid in contrarium. Quod autem in præsenti defendimus, est, per vocem *beatitudo* significari, non vtcumque visionem intuitivam Dei, sed vltra perpetuitatem. Vndè, etsi non sit de essentia visionis essentialiter durare per æternitatem, est tamen de essentia beatitudinis.

19. Objicies quartò: beatitudo

do per me est assequutio, & possessio summi boni; sed de essentia assequutionis, & possessionis summi boni, non est perpetuitas: ergo neque de essentia beatitudinis.

20. Respondetur: distinguo maiorem: est possessio, & assequutio perfecta, stabilis, & perpetua, concedo: possessio, & assequutio imperfecta, & transiens, nego. De essentia ergo possessionis, & assequutionis perfectæ, stabilis, & perpetuæ est perpetuitas. Solutio constat ex dictis: est enim beatitudo possessio, & assequutio excludens omnem anxietatem, qualis solùm est stabilis, fixa, & perpetua. Vndè optimè Gregor. cap. 15. moral. loquutus de Avaro: *Anxiatur qualiter acquisita custodiat: ipsa eum satietas angustiat. Mens Avari, quò prius ex abundantia requiem quæsierat, postea ad custodiam graviùs laborat.* Cum enim tota anxietas, & inquietudo proveniat à contingenti amissione bonorum, illa certè possessio omnem anxietatem, & inquietudinem excludet, quæ fuerit stabilis, permanens, & perpetua.

21. Obijcies quintò: visio, hic & nunc existens eadem omninò, & eodem modo afficit hominem, sivè in æternum sit duratura, sivè per aliquod tempus defutura sit, perpetua enim, & non perpetua sūt ejusdem speciei; quælibet enim est consequutio summi boni: ergo vel vtraque, vel neutra erit beatitudo, consequenterque perpetuitas non erit de essentia beatitudinis.

22. Respōdetur, visionem eandem omninò esse, & eodem modo afficere hominem, sivè in æternum sit duratura, sivè defutura in ratione visionis, eo quod quælibet, sivè perpetua, sivè non perpetua in ratione talis sit ejusdem speciei; non verò in ratione beatitudinis, in qua addere debet perpetuitatem: vndè perpetua, & non perpetua diverso modo morali afficerent hominem, diversamque denominationem conferrent; non duratura conferret denominationem *Videntis* tantùm, perpetuò duratura *Videntis*, & *Beati*.

23. Obijcies sextò: homo actu beatur, & satiatur per id, quod actu habet, non verò per id, quod habiturus, vel non habiturus est; sed visionem esse perpetuam, vel ità non esse, tantùm dicit, hominem postea habiturum, vel non habiturum visionem: ergo homo eodem modo est actu Beatus, sivè visio duratura sit, vel nō, quin ad hoc perpetuitas de formali se habeat.

24. Respondetur: nego majorem. Homo enim licèt actu physicè reddatur videns Deum per visionem, quam actu habet, satiatur tamen, & beatur per ipsam, quam habet, & habiturus est in perpetuum, nam per hoc, quod habiturus sit in perpetuum hanc visionē, quam actu habet, satiatur, & quietatur: quam satietatem, & quietudinem non haberet, si cariturus esset aliquando visione, quā in præsenti gaudet.

Res

25. Replicabis: hominem esse beatum hîc, & nunc, est aliquid physicum; sed visio hîc, & nunc existens physicè, est eademmet, & eodem modo afficiens hominem: ergo eodem modo illum constituet beatum, sivè in æternum sit duratura, sivè post aliquod tempus defutura.

26. Respondetur: distinguo maiorem: est aliquid physicum purè tale, nego: est aliquid physicum moraliter, seù virtualiter continens durationem perpetuam, futuramvè per totam æternitatem, concedo. Homo igitur non redditur beatus per visionem præcisè actu existentem, sed per ipsam vt continentem, seù includentem virtualiter, & eminenter suam stabilem, æternam permanentiam, quam non includit visio transiens.

27. Obijcies septimò: si perpetuitas esset de essentia beatitudinis, nunquam homo posset esse beatus. Brobatur: nunquam homo potest habere perpetuitatem: ergo. Probatur antecedens: nil aliud est perpetuitas, quàm omnes durationes futuræ per totam æternitatem; sed eas nequit homo habere, dum enim habet hodiernam, caret crastinâ, & dum crastinâ gaudet, caret hodiernâ: ergo.

28. Respondetur: nego antecedens; ad cuius probationem distinguo antecedens: nunquam homo potest habere perpetuitatem physicè, & per coexistentiam omnium partium eam constituentium, concedo: moraliter per possessionem vnius partis æquè bonæ, ac reliquę, & continentiam, vel quasi continentiam virtualem reliquarum, nego: & similiter distinguo minorem probationis. Certum est, perpetuitatem resultare ex omnibus futuris per æternitatem: certum item, has omnes nõ posse physicè simul coexistere, cum sint successivè; attamen, vt constituatur beatitudo, non requiritur, quod simul coexistant physicè, sed sat est, quod existat vna pars, seù duratio, & quod reliquæ extituræ sint indefectibiliter: in hac enim visione nunc existente perpetuò duratura reliquæ durationes moraliter censentur inclusæ, habitæ, & possessæ; cum enim hæc futura succesio sufficiat pro expellenda anxietate, quin requiratur simultanea coexistentia durationum, ità & eadem sufficiet pro constitutione beatitudinis, & ad hoc, vt dicar ego hodie habere durationes æternas eo modo, quô haberi queunt, moraliter nempè. Sic passim dicimus: Petrus habet episcopatum per totam vitam; non quià ideò significare velimus, ipsum hodie habere episcopatum eum cras; sed quià eo ipso, quod nequeat ab illo auferri, censetur moraliter etiam hodie possidere illum pro crastina die.

29. Obijcies octavò: si quis judicaret suam visionem perpetuò duraturam, etiamsi post vnum, vel alterum diem esset defutura, nullâ premeretur anxietate, esserque

æquè lætus, & gaudens, ac si re vera perpetuò visurus esset Deum: ergo esset tunc temporis Beatus; sed talis visio non esset re ipsa perpetua: ergo perpetuitas ad beatitudinem non requiritur. Probatur antecedens: si maneret in intellectu visio Dei intuitiva, reddito impossibili Deo, talis intellectus maneret Beatus æquè, ac re ipsa existente Deo, æquè enim exhilararet, recrearet intellectum: ergo.

30. Respondetur: concedo antecedens, & nego consequentiam nam juxta Aug. & SS. PP. non sufficit ad beatitudinem, quod homo se beatum reputet, falsò judicando perpetuam visionem, quæ re ipsa perpetua non est, sed brevi defutura: nā ad beatitudinem requiritur, quod re vera habeat id, quod re verâ satiat, & satiare potest appetitum, anxietatemque tollere, & licèt in casu argumenti satiet ex falsa cognitione, re tamen ipsa verè, & realiter, independenterque à fictione, nec satiat, nec satiare potest. Paritas, & probatio maximè vrget Arriagam, aliosve, qui, cum Durando, Vazquez, & Gaspar Hurt. tenent, existente visione, Deo non existente, æquè manere hominem beatum in eo casu ficto, ac modò est, licèt ipse Arr. num. 29. dicat, se facilè paritatem evertere, eo quod, tunc Deum verè possideret eodem modo, quo de facto possidetur, & ad beatitudinem requiritur, scilicèt intentionaliter, cùm de facto, Deo existente, non detur alia possessio: ergo in eo casu ficto dabitur beatitudo eodem modo, ac nunc; at verò ad beatitudinem non sufficit possessio intentionalis perpetuitatis, licèt hæc etiam requiratur, vt jam dicemus; sed vltra requiritur realis, vera, & physica perpetuitas, qualis in casu argumenti non daretur; vndè nec beatitudo: quo cessat paritas.

31. Communior tamen modus discurrendi Doctorum, quos sequitur Ovied. contr. 2. punct. 3. num. 31. negat antecedens probationis, & concedit omnimodam paritatem, asserens, visionem Dei, reddito impossibili, vel deficiente Deo, non esse beatitudinem formalem. Ratio est, quià visio, quæ in eo casu ficto supponitur existens, non esset possessio veri Dei, & summi boni, sed objecti cuiusdam chimerici; nemo autem dicitur beatus per possessionem chimeræ, sicuti nemo potest esse dives per possessionem fictarum, & non realium divitiarum. Vltra: tunc visio non afferret secum bona, quæ secum affert visio Dei existentis, quià hæc bona non proveniunt à visione vt distincta ab objecto viso, quod est Deus, in quò omnia velut in principio continentur, sed ab illo vt viso, à quó omnia procedunt. Et hæc est causa, quare destructo objecto creato, si permaneret visio objecti pulchri v. g. æquale homo emolumentum portaret de ea visione, ac modò portat: quià scilicèt objectum creatum in tantum est bonum videnti, quatenus in

in causa est, vt sit visio, ac proindè dum hæc sit, parum homini refert, objectum existere, vel non existere. Deus autem innumeris alijs modis est bonus ipsum videnti: ipse enim vt visus homini tribuit, & secum affert omnia ea, quæ ad statum beatitudinis conducunt, & omnia ea, quæ sub desiderium videntis Deum posśint cadere. Quâ propter Deus non est beatitudo præcisè objectiva, vt objectum visionis, sed etiam vt de facto existens in se: vndè visio hæc in casu argumenti non esset beatitudo formalis ex defectu beatitudinis objectivę, hæc enim est sũmũ bonũ existẽs, & illa est possesśio summi boni in se realiter existẽtis.

23. Vel dic, Deum non solùm esse beatitudinẽ objectivam, sed etiã partẽ beatitudinis formalis, nõ quia ipse per se sit forma intrinseca hominis, sed quia formalis beatitudo dicit aliquid homini intrinsecum, nempè visionem, & aliquid extrinsecum, nempè ipsam existentiam Dei: visio namque, quâ vera, constituit beatitudinem formalem; sed quâ vera dicit vt formam extrinsecam sui objecti existentiam, vt Logicus docui: ergo. Vndè sicut manente visione, & deficienti reali perpetuitate, non maneret beatitudo, eo quod hæc constituatur in esse talis per perpetuitatẽ: ità manente visione, si per posśibile, vel imposśibile deficeret Deus, non maneret in esse beatitudinis ex defectu existentiæ Dei constitutivæ visionis in esse beatitudinis.

QVÆSTIO XXI.

AN COGNITIO PERPEtuitatis sit etiam de essentia beatitudinis formalis?

1. SVppono, de facto Beatos cognoscere suę visionis perpetuitatem, talis namque cognitio pertinet saltem ad perfectionem statûs beatifici: vndè posśint gaudere de sua perpetua, & infallibili felicitate: constatque ex Augustin. lib. 11. de Civit. cap. 32. *Angelos Sanctos in sublimibus Cæli sedibus de sua superna, & vera felicitate securos, & certos esse, nemo ambigat.* Ex Cyprian. lib. de animæ immortalitate: *Magnus ille nos numerus charorum spectat Parentum, Fatrum, Filiorum frequens nos, & copiosa turba desiderat iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita.* Hoc supposito, disquiritur: an, sicut perpetuitas est de essentia beatitudinis, constituitque visionem in esse talis, similiter visio, & cognitio quasi reflexa talis perpetuitatis sit quoque de essentia beatitudinis, constituatque similiter visionem in esse talis?

2. Prima sententia affirmat. Ità Arriaga d. 48. de beatitud. sect. 5. num. 32. nec ipse citat, nec vidi alium expresśè, & directè conclusionem defendentem.

3. Secunda sententia negat, cognitionem hanc esse de essentia beatitudinis; affirmat tamen, *requi-*

ri essentialiter ad denominationem beati per modum applicationis perpetuitatis ad sedandum appetitum, excludẽdumque anxietatem. Ità Exim. Doct. d. 14. sect. 3. num. 6. Acutiss. D. d. 23. cap. 3. num. 14. Card. Lug. d. 14. de Incarn. sect. 11. num. 23. Ov'ed. contr. 3. punct. 3. num. 10. Gib. d. 6. dub. 1. num. 14. His assentior.

4. Probatur conclusio, simulque explicatur, evertendo fundamentum contrariæ sententiæ. Eatenus cognitio perpetuitatis pertineret ad essentiam beatitudinis, quia, positâ visione perpetuâ, solùm ablatâ cognitione de ejus perpetuitate, vel per errorem aliter judicata, homo eâ gaudens non esset Beatus, cum maneret anxius, & dubius de ejus permanentia; sed licèt hoc ità sit, non sequitur, talem cognitionem reflexam esse de essentia beatitudinis, sed solùm esse cognitionem essentialiter requisitam ex parte beati, vt satiari possit, applicatâ perpetuitate visionis, & exclusâ anxietate: ergo licèt talis cognitio essentialiter requiratur ad denominationem *Beati*, seu ad beatitudinem in actu secundo; non tamen est pars essentialis ipsius beatitudinis, tenens se ex parte actûs primi, seu formæ beatificantis. Major est totum fundamentum Arriagæ. Patet minor: positâ in voluntate qualitate affectivâ, seu amore, ablatâ præcisè cognitione voluntas nec amaret, nec diceretur amans; sed ex hoc non infertur, amorem constitui ex cognitione, neque hanc esse partem amoris in esse formæ denominantis voluntatem, sed solùm requiri ex parte voluntatis ad talem denominationem suscipiendam per modum applicationis bonitatis objectivæ: ergo consequentia efficaciter persuadet.

5. Vrgetur: sicut perpetuitas visionis non satiat, nisi vt cognita, ità bonitas non movet, nisi vt cognita; sed cognitio non movet *vt quod*, sed vt *quo*, & indè non constituit bonitatem in esse moventis vt *quod*, licèt essentialiter requiratur, vt moveat, taliter vt, eâ ablatâ, non moveret, solùmque requiritur ex parte voluntatis motę, non verò ex parte bonitatis moventis: ergo cognitio perpetuitatis non satiat appetitum vt *quod*, nec constituit perpetuitatem in esse satiantis, nec requiritur ex parte ipsius, licèt requiratur, vt satiet, ex parte beati, qui satiatur, & cui applicat intentionaliter perpetuitatem satiativam vt *quod*.

6. Omitto ex instituto rationem probandi Eximij Doctoris sec. vlt. num. vlt. sic se habentem: cognitio reflexa perpetuitatis terminatur ad creaturam, durationem nempè visionis; sed nulla cognitio creaturæ vt talis est de essentia beatitudinis eo, quod, licèt per visionem beatam possint in Deo cognosci aliquæ creaturæ, id non est necessarium ad beatitudinem: visio namque terminata ad solum Deum perfectissimè bearet: ergo.

Primò

Primò: quià videtur supponere, quod probandum erat. Doctores namque contrarij asserunt, vltra cognitionem Dei requiri cognitionem alicuius creaturæ, ipsius nempè perpetuitatis visionis ad beatitudinem: vndè contrarium probas? Secundò: quia, & si cognitio aliarum, aliusvè creaturæ, à visione, & perpetuitate distinctarum nō sit necessaria ad beādum, sed sufficiat cognitio solius Dei; attamen perpetuitas huius cognitionis debet cognosci; sicut homo potest esse beatus, etiam si nulla alia creatura præter ipsum, & suam visionem existat, existente vnicè Deo, requirit tamen & sui, & visionis existentiam: ergo similiter. Tertiò: quià si per te nequit homo dici beatus sine tali cognitione requisita ad excludendam anxietatem; ità dicet Arriaga, non posse visionem dici beatitudinem sine tali cognitione perpetuitatis.

SECTIO VNICA.

ARGVMENTIS RESPONDETUR.

7. OBijcies primò: illud est constitutivum alicuius rei, quò ablato, manentibus omnibus alijs, nō manet ipsa res: sed ablatâ vnicè cognitione reflexâ perpetuitatis, manētibus omnibus alijs, nempè visione Dei, perpetuitate ipsius, &c. non maneret beatitudo: ergo. Probatur minor; si quis gaudens visione perpetuâ eius perpetuitatem non agnosceret, vel ex errore iudicaret, esse auferendam, anxius, ac inquietus existeret, ac proindè non beatus. Vndè August. 11. de Civitate Dei. cap. 11. *Non minùs nescientes error, quàm scientes timor non sinit esse beatos*: ergo.

8. Factâ retortione in cognitione, & amore, respondetur: concedo majorem, & nego minorem: ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Sicut enim etsi cognitio requiratur essentialiter ad denominationem *amantis*, non tamen constituit formam talis denominationis, amorem nempè, sed requiritur, vt dispositio applicans objectum potentiæ: ità etsi cognitio perpetuitatis requiratur essentialiter ad denominationem *Beati* ex parte subjecti applicans perpetuitatem exclusivam anxietatis, & inquietudinis, non tamen constituit formam talis denominationis, *Beatitudinem* nempè. Vndè ablatâ cognitione, reliquis manentibus, maneret beatitudo essentialis, cum maneret visio, & possessio Dei perpetua satiativa appetitûs; non tamen actu bearet ex defectu cognitionis reflexæ perpetuitatis, ratione cujus deberet actu excludere anxietatem, & inquietudinem; nec daretur denominatio *Beati*, quæ certè essentialiter resultat ex ea cognitione, quod solum sua authoritate vult Aug. cum solùm loquatur de concreto *Beati*, non verò de forma beatitudinis.

9. Obijcies secundò ex Arriag. num. 25. Ergo iam incidimus in sententiam Connotatorum. Probatur: manere totam essentiam beatitudinis, & non manere beatitudinem ex defectu alicuius conditionis, est doctrina Connotatorum; sed ità se haberet beatitudo: existeret enim tota ipsius essentia,& quià deficeret cognitio perpetuitatis,quę est mera conditio, beatitudo non existeret. Nè ergo hoc dicatur, statuendum, cognitioné perpetuitatis ad essentiam beatitudinis pertinere.

10. Respondetur: nego consequentiam. Ad probationem concedo maiorem,& nego minorem. Casu enim, quô quis haberet visionem Dei intuitivam,& perpetuam, illique deficeret perpetuitatis cognitio, haberet beatitudinem, non tamen esset beatus: sicut, casu, quô haberet qualitatem affectivam, & deficeret cognitio, haberet amorem, non tamen esset amans; quin hoc sit incidere in connotata. Ratio est, quià constitutum, cuius constitutiva manent, manet vtique, nec deficit ex præciso defectu conditionis: sic cum maneant constitutiva beatitudinis, adhuc deficiente cognitione reflexâ perpetuitatis, maneret beatitudo; non tamen homo redderetur beatus. Ex quô solùm sequitur, concretum *Beatus* constitui essentialiter tali cognitione: vndè id, quod se habet, vt conditio respectu beatitudinis, se habet vt prædicatum essentiale respectu concreti: sicut cognitio, quæ se habet vt conditio respectu amoris, se habet vt prædicatum essentiale respectu denominationis *amantis*.

11. Obijcies tertiò: Beatitudo debet esse satians, & quietans appetitum; sed in esse satiantis, & quietantis constituitur per cognitionem perpetuitatis: ergo & in esse beatitudinis. Probatur minor: per id constituitur in esse satiantis, per quod constituitur in esse excludentis anxietatem; sed per cognitionem reflexam perpetuitatis constituitur in esse excludentis anxietatem, illam namque non excluderet, si non cognosceretur perpetua,etiam si ità esset: ergo.

12. Respondetur: distinguo maiorem: debet esset satians in actu primo, concedo: in actu secundo, nego: vndè licèt in esse satiantis, & excludentis anxietatem &c., constitueretur per cognitionem reflexam perpetuitatis; non tamen in esse beatitudinis, cum in esse talis solùm sit satiativa, & exclusiva anxietatis, & id, quod se habet vt mera conditio ad hoc,vt virtus satiativa satiet, constituit illam in esse satiantis; sicut causa in actu primo, non constituitur per me per actionem possibilem, licèt in esse causantis in actu secundo per actionem actualem constituatur,& actio, quæ requiritur,vt virtus causativa causet, constituit virtutem causativam in esse causantis. Et comparatio subsequens, quæ requiritur vt vniversale adæquatè constitutum per abstractionem prædicetur, constituit il-

illud in esse proximè prædicabilis, seù approximati ad prædicationem.

13. Replicabis: cum Card. Lug. contra proximè dicta: si cognitio perpetuitatis esset essentialiter requisita ad hoc, vt visio perpetua actu satiaret appetitum, etiam esset requisita cognitio cognitionis reflexę, & eius similiter perpetuitatis, & vltra alia cognitio tertia reflexa supra secundam in infinitum, vndè iam essent requisitæ infinitæ cognitiones ad beatitudinem in actu secundo.

14. Vt huic difficultati satisfaciat Sapientissimus Cardinalis, ait, ad perfectionem statûs beatifici, & ad perfectè satiandum appetitum, excludendamque omnimodã anxietatem, non requiri actu cognoscere visionis perpetuitatem, sed sufficere illam habitualiter cognoscere; hoc est, quod habeat Beatus sufficiens principium, vt quoties vellet, posset cognoscere perpetuitatem suæ visionis, & posse iterum reflectere supra perpetuitatem cognitionis reflexæ: ex quò solùm sequitur esse in potestate Beati infinitas cognitiones sincategorematicè supra reflectentes, non verò infinitum in actu, & categorematicum. Non est necessarium ad hanc doctrinam recurrere; cum ad satiandum appetitum non sit necessaria cognitio reflexa supra perpetuitatem cognitionis reflexę; quò replica ruit. Ratio est: quia cognitio perpetuitatis non satiat appetitum per modum obiecti, sed per modum applicationis summi boni, quô appetitus satiatur: vndè non requiritur necessariò cognitio talis cognitionis, & eius perpetuitatis: quapropter siquis certus de æternitate visionis, vel non haberet reflexam cognitionem secundam supra primam, vel etiam si dubitaret de æternitate talis cognitionis reflexę supra primam cognitionem de perpetuitate, adhuc non esset anxius, & consequenter esset beatus, quià ad omnimodam quietem sufficit cognitio perpetuitatis.

15. Rogas: an cognitio hæc perpetuitatis ità requisita debeat esse supernaturalis, an sufficiat naturalis? sufficere naturalem præcipuè, si sit metaphysicè vera, non dubito: nám cum solùm requiratur ad auferendam anxietatem, & hæc auferatur per cognitionem certificantem de perennitate visionis, parum interest, quod hoc fiat per actum naturalem, vel supernaturalem. Nec inconvenit, quod concretum *Beatus* cõstituatur minus principaliter ex aliquo naturali, vt talis; ità enim cõstituitur ex intellectu naturalissimo, cum visio beatifica forma talis denominationis sit supernaturalis: ast vt Beatitudo in actu secũdo seù denominatio Beati compleatur juxta proportionem præcipuæ formæ, nempè visionis: videtur, talem cognitionem reflexam esse de facto supernaturalem.

)§(

QVÆS-

QVÆSTIO XXII.

AN VISIO BEATIFICA sit naturà suà perpetua, & in corruptibilis?

1. Dico *visio beatifica*, quia non loquimur in præsenti de beatitudine, sed de visione, in qua consistit beatitudo. Poterat enim beatitudo dicere essentialiter perpetuitatem, non ratione, & conceptu visionis, sed ex decreto Dei extrinseco, & tamen esse ex natura sua visio corruptibilis, vt optimè notat Ovied. cum Ex. D. quod autem nunc inquirimus, est: an ea visio, non quà beatitudo (nam vt sic dicere essentialiter perpetuitatem, jam defendimus) sed quà visio, sit ab intrinseco, & naturâ suâ incorruptibilis. Dico iterum *natura sua*: quia posse de potentia absoluta a Deo corrumpi, & annihilari, constans est apud omnes Theologos: sicut enim liberè fuit à Deo producta, ità liberè potest à Deo destrui. Rogo ergo: an visio beatifica sit ex natura sua, & ab intrinseco perpetua, & incorruptibilis; hoc est, an petat perpetuò durare?

2. Prima sententia tenet, solùm ab extrinseco decreto Dei esse perpetuam. Ità Schot. in 4. dist. 49. licèt de ejus mente dubitent Suar. Ovied. & alij.

3. Secunda sentētia affirmat, esse ab intrinseco, & naturà suà perpetuam, & incorruptibilem. Ità S. Thom. hîc, art. 4. Thomistæ, quibus Gonet. d. 6. art. 2. num. 13. Ex. D. d. 14. sect. 2. num. 3. Vazq. d. 21. cap. 2. Valent. Gran. Salas, & alij, quos sequitur Ovied. contr. 3. p. 2. num. 18. insup. Gibbon. d. 6. dub. 2.

4. Dico: *Visio beata est ab intrinseco, & naturà suà perpetua, & incorruptibilis.* Probatur: illa entitas est, & dicitur ab intrinseco incorruptibilis, quæ nullam habet potentiam naturalem, à qua per agentia naturalia destrui possit; sed ità se habet visio beata: ergo. Major est certa. Ità sunt de facto incorruptibiles Angelus, anima rationalis, formæ cælestes, & alia, quæ simili perfectione gaudent; licèt simùl obedientialiter possint à Deo destrui, & in nihilum redigi. Probatur minor: tripliciter potest aliquid potentiâ naturali corrumpi. Primò ex parte subjecti, si subjectum, in quo recipitur, vel sustentatur, possit naturaliter deficere. Secundò per introductionem contrarij, hoc est, si possit naturaliter introduci aliquod contrarium incompossibile cum illo in eodem subjecto. Tertiò per cessationem liberam, si dependeret ab imperio voluntatis; sed nullo ex his capite potest visio beatifica corrumpi: ergo. Major constat ex sufficienti enumeratione capitum defectibilitatis alicujus entis. Probatur minor quoad primam: nàm subjectum visionis est anima, & intellectus; sed anima

ma; & intellectus nequeunt naturaliter destrui, corrumpivè: ergo nequit deficere visio, aut corrumpi ex defectu subjecti.

5. Probatur quoad secundam: forma contraria visioni opposita vel esset error circa Deum, vel peccatum in Deum; sed semel positâ visione intuitivâ Dei, sicuti est in se, nequit dari error circa Deum, neque peccatum in Deum; cum visio determinet ad non peccandum, & ad amorem Dei rapiat, vt iam vidimus: est enim visio summa felicitas, quæ excludit omne malum, nec locum eius introductioni relinquit: ergo. Quoad tertiam partem patet. Nam omne bonum habitum, quo aliquis carere vult, aut est insufficiens, & quæritur aliud sufficientius locô eius, aut habet aliquod incōmodum annexum, aliquamvè arduitatem, & difficultatem, propter quod in fastidium veniat; sed visio Dei est bonū planè sufficiens; cum enim sit possessio summi boni, animam replet omnibus bonis, satiatque eius appetitum perfectè; item nullum habet incommodum sibi annexum, difficultatemvè, quâ animum fastidire possit; sed eum suavissimè replet, & complet: ergo nequit voluntas cessationem talis actûs, visionisvè imperare.

6. Hinc rectè deducitur, quod licèt Deus de potentia absoluta possit eam corrumpere, in nihilumvè redigere, non tamen de potentia ordinaria, quâ operatur juxta exigentiam rerum; sed nulla res creata exigit corruptionem visionis: ergo est incorruptibilis. Nec patet recursus ad exigentiam moralem; quia, cum substractio beatitudinis moraliter esset quædam pœna, nequit à Deo judice justo provenire, nisi pro aliqua culpa; sed nulla culpa reperiri potest in eo, qui fruitur clarâ Dei visione, cum necessitet ad non peccandum: ergo quacumque ex parte tenenda est visionis incorruptibilitas.

SECTIO UNICA.

ARGUMENTIS RESPONdetur.

7. OBijcies primò cum P. Vazquez: per nos visio potest corrumpi à Deo: ergo non est dicenda absolutè incorruptibilis, sed ad summum incorruptibilis respectu creaturæ, & corruptibilis respectu Dei.

8. Ità eam appellat Vazquez; sed dummodo concedat, esse incorruptibilem, eo modo, & sensu, quò incorruptibiles dicuntur anima rationalis, Angelus, aliævè creaturæ, quæ absolutè possunt à Deo annihilari, cum eo non contendam; sed cum Angel. Doctore. 1. part. quæst. 50. artic. 5. ad tertium dicam: *Non dicitur aliquid corruptibile per hoc, quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem; sed per hoc, quod in se ipso aliquod principium corruptionis habeat.* Hęc D. Thom. ex quô sic:

sic: sed visio beata nullum habet in se principium corruptionis, vt probatum manet: ergo, licèt à Deo posit in nihilum redigi, non dicetur corruptibilis. Imò absolutè debet dici incorruptibilis: nàm ad hanc denominationem non attenditur potentia extraordinaria, & absoluta Dei, sed potentia communis, & ordinaria. Sic lapis v. g. dicitur absolutè immobilis sursum; quia licèt Deus posit illum movere sursum, caret tamen principiô intrinsecô ad locum sursum inclinante. Et è contra, licèt Deus corpora mista, & corruptibilia posit perpetuò conservare; quia tamen in se habent principium corruptionis, nequeunt dici absolutè incorruptibilia: ergo incorruptibilitas corruptibilitasque rerū non est venāda à potētia Dei extraordinaria, sed à principijs intrinsecis rerū, & à potētia ordinaria, quæ se eis accōmodat.

9. Obijcies secundò: visio communicata in via Moysi, Divo Paulo, & alijs est eiusdem speciei cum visione permanenti Patriæ; sed illa fuit corruptibilis, transiens naturâ suâ: ergo & hæc; solùmque ab extrinseco erit permanens.

10. Respōdetur: admitto maiorē, & nego minorem: fuit enim ab intrinseco incorruptibilis, & solùm ab illa extrinseca determinatione, & de potentia absoluta defecit. Hoc est, si fortè Moyses, Paulus, & alij viderint Deum intuitivâ visione in via.

11. Obijcies tertiò ex P. Gasp. Hurtad. disp. 2. diff. 12. visio ex se est subjecta imperio voluntatis: ergo potest hæc pro suo nutu, & exercitio libertatis, nullô exigente principiô intrinsecô, eius cessationem imperare, quô corrumperetur visio.

12. Respondetur: nego antecedens; in pluribus enim non dependet intellectus à voluntatis imperio, vt patet in assensu primorum principiorum; in assensu conclusionis, prestitô assensu præmissarum, & alijs. Si roges, qualia sint hæc, in quibus non subjicitur intellectus voluntati, dicam: ea esse, in quibus intellectus ex se, & ex vi apprehensionis, aliusvè comprincipij est determinatus. Quapropter alterius potentiæ determinatione non eget, sed vi luminis ità intellectus est determinatus ad visionem, vt alîus potentiæ determinatione non egeat: ergo semel positô lumine in intellectu, hic non dependet à voluntatis imperio, neque hęc potest impedire productionem, permanentiamque visionis: sic enim sensuum externorum operationes non impedit, si sensus suis comprincipijs supponantur compleri. Item: sicut intellectus non eget imperiô voluntatis, neque subjectus est illi in prima productione visionis, ità neque in æterna conservatione ipsius.

13. Obijcies quartò ex Curiel: visio beata in sui existentia dependet à lumine gloriæ, seù ab intellectu instructo lumine gloriæ; sed lumen gloriæ non est debitum intellectui, eo quod sit supernatu-

rale, ac proindè supra exigentiam naturæ: ergo lumen potest deficere ex sua natura: ergo & visio ab ipso lumine dependens.

14. Respondetur, verum esse visionem dependere in suo esse, & conservari à lumine, & hoc non esse debitum intellectui, eo quod sit supernaturale, & intellectus potentia naturalis; perpetuitas tamen est debita lumini, quod semel productum, receptum in intellectu, dependens à Deo, & carens contrariò nequit deficere. Sic vnio hypostatica est naturæ humanæ indebita, & tamen est ab intrinseco inamissibilis, & incorruptibilis.

15. Replicabis: accidens est propter subjectum, cui inhæret: ergo si subjecto non debetur duratio accidentis, ipsa accidenti deberi nequit; sed per nos intellectui non debetur duratio luminis, ergo nec ipsi lumini debetur.

16. Respondetur: non esse contra naturam accidentis perpetuitatem exigere, si contrariò careat, à solo Deo dependeat, & in subjecto perpetuo recipiatur; vt patet in charactere suapte naturâ perpetuo, & indelebili. Concessô ergo antecedenti, cum esse accidentis sit inesse, nego consequentiam: contrarium enim experientiâ constat: calori enim recepto in aqua v.g. debetur duratio per aliquod tempus, quin ipse calor sit debitus aquç, in qua recipitur, imò ipsa aqua illi resistit: ergo, & si lumen sit indebitũ intellectui, in quo recipitur, ipsi tamen lumini debetur permanẽtia.

17. Obijcies quintò: forma recepta in subjecto non connaturali, sed extraneo recipitur in illo amissibiliter, & corruptibiliter; sed visio beata est in homine vt in subjecto extraneo, non verò connaturali: ergo est in illo amissibiliter. Maior constat in calore, qui in igne vt in subjecto connaturali est inamissibiliter, & in aqua, vtpotè subjecto extraneo, amissibiliter existit. Minor probatur, eo quod lumen gloriæ, à quô visio depẽdet nulli intellectui creato, & creabili sit cõnaturale.

18. Respondetur: transeat major, & nego minorem, cujus probatio mutat sensum, & intentum. Aliud enim est, quod visio sit connaturalis intellectui creato; & aliud, quod intellectus creatus sit subjectum connaturale visioni, & non extraneum ipsi. Primum esset contra rationem qualitatis supernaturalis, quç vtpotè talis debet esse indebita omni potentiæ naturali, qualis est intellectus: secundum nõ: nam ex eo solùm sequitur, intellectum esse debitum visioni: idem dico de lumine, dum existunt. Non enim est inconveniens, quod potentia naturalis debeatur qualitati supernaturali. Vndè subjectum connaturale, connaturalitate se tenente ex parte formæ, & consequenter non extraneum, visionis, luminis, amoris, characteris, actuumque omnium supernaturalium est anima: nam ex suppositione, quod existant, in ea debent recipi. Dixi ad

ad propositionem majorem, *transeat*: quia si forma recepta in subjecto extraneo ex se habeat incorruptibilitatem, & illam non emendicet à proprio subjecto, quô caret, non est ibi corruptibiliter; imò potiùs subjectum trahit ad suam incorruptibilitatem. Patet hoc in subsistentia divina, quæ quia ex se est incorruptibilis, & ęterna, & communicata subjecto extraneo, Humanitati nempè, incorruptibilis, & perpetua manet, & trahit illam ad suam perpetuitatem: vndè Verbum naturam semel assumptam nunquam dimisit, etiam dissolutâ vnione inter animam, & corpus per mortem. Cum autem visio beata ità sit, nec participet ab aliquo subjecto suam incorruptibilitatem, & si intellectus esset subjectum extraneum, in eo conservaret suam incorruptibilitatem.

19. Objicies sextò: gratia habitualis est qualitas corruptibilis, & amissibilis, nam quoties homo peccat, corrumpitur, & amittitur: ergo potiori titulo ità erit visio beata, & lumen glorię. Consequentia probatur primò: quia gratia sanctificans est nobilior forma in ordine supernaturali. Secundò quia gratia se habet in ordine supernaturali per modum naturæ, & radicis visionis, & luminis, quę se habent vt proprietates ipsius; nequit enim proprietas esse incorruptibilior, & magis perpetua, quàm essentia, cujus est proprietas, & à qua dimanat.

20. Respondetur, gratiam ex se esse qualitatem incorruptibilem physicè, moraliter tamen per peccatum sæpè amitti in via. Cum autem visio, & lumen, vt anteà vidimus, nequeant per peccatum amitti, manent omninò incorruptibiles. Vndè, concesso antecedenti sub distinctione data, nego consequentiam. Ad primam probationem dico: non esse ità certum excessum gratiæ erga visionem præcipuè, nam cum hæc sit vitalis, ejus perfectio non facilè compensatur. Sed admissâ majori perfectione ex parte gratiæ, hæc proveniet ex alijs capitibus, licèt à visione excedatur in perfectione particulari inamissibilitatis. Ad secundam probationem respondetur, lumen, & visionem, esse proprietates gratiæ respectivè ad statum perfectum Patriæ, vbi ipsa gratia, vtpotè in statu perfecto, & consummata, etiã gaudet inamissibilitate; non verò gratiæ vialis, seu in via, cujus solùm in jure sunt proprietates, non verò in facto esse. Tunc enim in facto esse erunt proprietates, cum à gratia pullulent; sed non pullulant à gratia, dum est in via, sed solùm, cum est in Patria: ergo.

20. Objicies septimò: species impressæ scientiæ infusæ Christi non determinant intellectum ad assensum; sed liberum est Christo vti, & non vti talibus speciebus: ergo species impressa divisivè, distincta, sivè indistincta à lumine, quâ Dei visio producitur, non determinat

nat intellectum ad visionem, quapropter poterit hic cessare à visione pro suo libito.

22. Ità vltra suum intentum prosequitur Gasp. Hurtad. sed ex modo probandi in ipsum apertè deducitur, voluntatem non solùm posse impedire visionem, sed necessarium esse actum voluntatis, qui determinet intellectum ad eius elicientiam, quod Hurtad. non admittit. Respondetur ergo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio disparitatis desumenda est ex diversa natura specierum. Cum ergo varietas, & vicissitudo cognitionum circa objecta creata pertineat ad perfectum statum vtentis potentiâ finitâ, & limitatâ, infusę sunt Christo Domino tales species, vt non sint determinativæ vltimò, & independenter à voluntate; ast verò cum necessum non sit à visione cessare, vt Deum intuitivè videns perfectissimè videat, & assequatur finem; necessum quoque nō est ponere species, seù lumen dependens à voluntate, & vltimò determinativum.

23. Rogas: an visio, pro cuius productione suppleret Deus defectum luminis per Omnipotentiam specialiter applicatam, esset ab intrinseco etiam incorruptibilis, naturâque suâ perennis? Respondetur cum Exim. D. visioni sic productæ non deberi durationem æternam; ac proindè, non esse naturaliter perpetuam, sive consistat vitalis operatio in actione, sivè solùm in qualitate consistat. Ratio est: quià visio ità à suis principijs in conservari dependet, vt his deficientibus, à quibus semel procedit, alia principia non debeantur, vndè nec duratio vi aliorum. Patet hoc in luce, cui non debetur conservatio, luminoso deficiente. Quapropter eo modo, quô pincipia possunt removeri, potest visio deficere. Cum ergo hæc visio dependeret ab Omnipotentia locô luminis gloriæ specialiter applicata per aliquod decretum liberum divinum, & hoc vtpotè tale possit esse per vnicam horam, vel vnicum diem, aut mensem, & nil amplius; certè deficiente hâc applicatione naturaliter, & non applicatô locô Omnipotentiæ aliô comprincipio, visio illa naturaliter deficeret, si consistat in actione, quià nequit provenire ab alio principio, si consistat in qualitate absoluta; quià non est illi debitum aliud principium, primô deficiente.

***

§

LAUS DEO.

INDEX
TRACTATUUM, QVÆSTIONVM, SECTIONVMQUE,
quæ in hoc primo volumine continentur.

TRACTATVS I.
DE PROLEGOMENIS Theologiæ fol. 1.

TRACTATVS II.
DE ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS.

TRA-

TRACTATVS III.

DE VISIONE DEI

FINIS.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm